52003|B
4529
E XIX
18/t
40

531. TRILLER DANIEL WILHELMUS. Clinotechnia medica antiquaria sive de diversis aegrotorum lectis secundum ipsa varia morborum genera convenienter instruendis Commentarius medico-criticus. Francofurti et Lipsiae sumpt. J. G. Fleischeri 1714. In 4 perg. (4529) 25

47408

DANIELIS WILHELMI TRILLERI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTORIS CONSILIARII AVLICI ELECTORIS SAXONIAE MEDICINAE PROFESSORIS PRIMARII IN ACADEMIA WITTEBERGENSI ET ILLVSTRIS ACADEMIAE SCIENTIARVM BONONIENSIS SODALIS

CLINOTECHNIA MEDICA ANTIQVARIA

SIVE

DE DIVERSIS AEGROTORVM LECTIS SECVNDVM IPSA VARIA MORBORVM GENERA CONVENIENTER INSTRVENDIS

COMMENTARIVS MEDICO - CRITICVS

CVM

INDICE RERVM MEMORABILIVM LOCVPLETISSIMO

FRANCOFVRTI ET LIPSIAE

Antonio Savarese

SVMTIBVS IOANNIS GEORGII FLEISCHERI

CIƆIƆCCLXXIV.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

DANIELIS WILHELMI TRILLERI
PROLEGOMENA
AD
LECTORES AEQVOS AC HVMANOS
SIMVLQVE
ANTIQVITATVM PRAESERTIM MEDICARVM
AMANTES ET INTELLIGENTES.

Spatioſum Vobis hic aperio Cubiculum, per plurima quidem ſaecula, hucuſque, clauſum; nunc autem a ſene octogenario, in communes uſus, ſerius tandem reſeratum.

Extremum hunc, Arethuſa, mihi concede laborem.

Vosque hinc, ſi placet, ad *Lectos* deduco permultos, variae quidem formae, ſtructurae, ac materiae, variique inde uſus, effectus, ſcopi atque pretii. Nolite autem quaeſo, eos faſtidire, aut aſpernari. Non enim ſunt Lecti molles, delicati et otioſi, luxus, aut amoris; ſed duri potius, aſperi et odioſi, luctus et amaroris; ſunt Lecti inquam, non laute lenteque meridiantium ſanorum ac ſaturorum; ſed acerbe moerentium aegrotorum, qui ſpem inter metumque medii, dubii ac ſuſpenſi, anxie *ſeſe verſare in Lectis ſolent, et mutare nondum feſſum latus, et alio atque alio poſitu ventilari, nihilque diu pati, et ipſis mutationibus, ut remediis, uti: Qualis fere ille Homericus fuit Achilles, modo pronus, modo ſupinus, in varios habitus ſe ipſe componens;* ut ſcribit, immo pingit potius, facundiſſimus ac ſapientiſſimus SENECA.

Hos ergo diverſos multiplicesque moroſorum ac morboſorum hominum Lectos vobis nunc primus coniunctim monſtro, abſit hic vana et inanis iactantia, aut hiſtrionicus faſtus, a me quippe alieniſſimus. Quamvis enim haud prorſus defuerint Medici, praeſertim ſuperiorum temporum, qui de his aegrotorum Lectis levem aliquam mentionem paſſim ſparſimque iniicerent, quorum laudanda utique nomina, ad meam quidem notitiam huc uſque perlata, ipſe in huius operis limine, fideliter ac diligenter indicavi; inter quos inprimis eminet NICOLAVS PISO, de quo infra commodiore loco, plura ſum dicturus: Nemo tamen illorum, quantum mihi quidem adhuc conſtat, repertus hucuſque eſt, qui nobile illud, arduum, utile ac ſcitu neceſſarium argumentum data quidem opera, ex inſtituto, diligentius tractaſſet, illudque per omnes Veteres Medicos, Graecos, Latinos et Arabes, late vageque diſperſum ac disiectum pertinaci ſtudio et conſtantiſſima patientia, hinc inde collegiſſet, atque demum indefeſſa induſtria et incredibili paene labore, in iuſtum concinnumque ordinem redegiſſet.

Quod ergo iuvenes quondam neglexerant, Viri ignoraverant, aut ardui laboris magnitudine, deterriti, reformidaverant; hoc ipſum nos tandem fatis ſic iubentibus et urgentibus, imbelles licet iam et imbecilli ſenes, dextra tamen haud plane imbelli, aut ingenio penitus imbecillo, ac languido, ſtrenue alaciterque adgreſſi, atque per ſingularem faventis Dei gratiam, feliciter tandem exequuti ſumus, ita ut ampliſſimum illud ac longiſſimum Cubiculum tam multis variisque diverſorum aegrotorum Lectis inſtructiſſimum ac refertiſſimum, citra ſpem fere ac fiduciam omnem, laeti tamen demum, grati atque hilares, iterum occluderemus, atque longis veluti vigiliis feſſi ac fatigati, et multis potius, quam diuturnis laboribus fracti, placide quieſceremus, ac laudabili denique honeſtoque otio, poſt tot peractos laudabiles forſan labores, blande perfrueremur. Ideo nunc merito cum SENECA *gra-*

tias

tias ago ſenectuti, quod me Lectulo affixit, nempe lucubratorio et ad doctas elaborationes inſtructo. Namque

Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi,
Contemto, colitur Lectus et umbra, foro.

ut OVIDIVM nonnihil hic imitari liceat, de eodem Lecto negotioſo potius, quam otioſo, acute loquutum. Alias enim per omnem quidem vitam meam, ſat longaevam certe ac ſpatioſam, ſemper fugi, contemſi, deſpexi, quin et exhorrui iſtud quidem

Genus ignavum, quod Lecto gaudet, et umbra.

ut ita IVVENALIS verbis, quamvis alio nonnihil ſenſu, uti mihi hic liceat.

Iam dudum igitur, ante triginta annos et amplius, conſilium ceperam, hoc ipſum *de diverſis apud Veteres, aegrotorum Lectis,* argumentum iuſto integroque Commentario illuſtrandi, uti uel ex *appendice,* Libello illi meo *de pleuritide,* ſatis noto, adiecta, perſpicue patet, eumque in finem varia iamiam loca ex aſſidua Veterum Medicorum Lectione collecta et in ſchedula exigua fugitiva et peritura, more meo conſueto quidem; ſed nec ſatis tuto, nec ſemper laudabili, obiter tantum ac breviter ſubnotaveram: factum vero inde eſt, uti ſaepius fieri ſolet, ut perpetua mea locorum ſediumque mutatione et translatione non ſolum fugaces iſtae ſchedulae; ſed et plura maiora et elaboratiora ſcripta et opera vel negligenter, vel ſubdole, perirent, quae facile hic quidem longa ſerie recenſere poſſem; quanquam non ſine moeſta recordatione, quod tantum vigiliarum, tantum laboris exhauſerim fruſtra: niſi iure mihi verendum eſſet, ne iniquiores forte cenſores, ſi qui futuri ſint, hanc ipſam meam iacturam, etſi candidc relatam, tamen per inanem tantum iactantiam, perverſe interpretarentur. Namque Dii nos per omnem fere Vitam, quaſi pilas, habuerunt, ut ita cum PLAVTO, loqui liceat, nunc in longinquas ac peregrinas oras, nunc in Imp. et principium aulas, nunc in fera et inquieta Militum caſtra, et ex his

denique in pacatiora Muſarum caſtra, nos per vices, iactando ac transferendo. Sic ergo omnis paene Vita noſtra fuit fuga quaſi perpetua, peregrinatio continua, et conſtans, ut ita dicam, inconſtantia. Sed haec veluti in tranſitu.

Cum perdito igitur illo brevi locorum nonnullorum obiter collectorum indiculo, perdita quoque ſimul ſenſim fuit conſilium iſtud atque propoſitum, eo quidem de argumento tam difficili, laborioſo et praeſertim hucuſque indicto plane et intractato, quidquam commentandi et in publicam lucem producendi, praecipue in hac provectiore iam aetate, qua Vitae adhuc forte reſiduae ſumma admodum brevis ſpem vetabat inchoare longam, ut poeta ait. Verum aliud plane fuit in fatis: haud ita pridem enim contra ſpem omnem et opinionem accidit, ut vel inviti; aut certe nihil tale prius cogitantes, fortuita quidem occaſione, invitati quaſi et allecti eſſemus, ad hoc ipſum arduum negotium, dudum oblitum, ſepoſitum ac neglectum, alacriter ſuſcipiendum et ſtrenue agitandum.

Quum enim d. XII. Iun. Anni ſuperioris LXXIII. *Diſſertatio Medica* more conſueto, publice a me eſſet habenda; atque ego hinc de Themate aliquo cogitarem, quod haud publici prorſus eſſet ſaporis; quoniam, ut alibi iam ſaepius ingenue faſſus ſum, indocilis ſemper atque difficilis fui, argumenta pertrita, vulgaria, et centies iam ad nauſeam uſque, cocta ac recocta, tractare; inter alia plura tum recurrebat quoque mihi antiqua promiſſi illius mei memoria, quo ſpem ſcilicet feceram, de ipſis *Aegrotorum Lectis* iuſtam commentationem aliquando in publica quidem commoda, evulgandi. Protinus igitur et veluti in arena, conſilium cepi, periculum eius rei intrepide faciendi, atque ſic promiſſa illa mea, ſi non ex omni, de quo quippe merito adhuc fere deſperabam, tamen ex aliqua tantum parte, implendi; atque ſic datam hanc fidem candide et fideliter liberandi.

Prodiit

Prodiit igitur tum ipſa illa Diſſertatio ſub Titulo: *de diverſis aegrotorum Lectis, a Medico clinico probe obſervandis*, duabus Sectionibus diſtincta, quarum prior generalis, tractabat quidem *de diverſis Veterum Lectis;* altera vero ſpecialior, *de diverſis aegrotorum Lectis*. Vtraque vero brevior, et in arctius veluti compendium contracta, ita, ut, ſignificaret potius tantum et indicaret paucis, rerum ipſarum momenta, quam multis exactius doceret, aut fuſius diceret: praeſertim vero altera Sectio tam anguſtis incluſa fuit cancellis, ut vix ſeptem exiguos aegrotorum Lectos, neque hos integros complecteretur, nempe *Phreniticorum, Lethargicorum, Apoplecticorum, Paralyticorum, Pleuriticorum, Peripnevmonicorum* et denique *Cardiacorum*. Reliquorum vero nomine tantum indicatorum ingentem numerum et ſpatioſum catalogum illis tantum ſub finem, nude et veluti obiter, adnectere tum licebat. Tota namque diſſertatio ne totis quidem quinque plagulis integris conſtat, more ſcilicet in plerisque Academiis, recepto potius, quam ſemper recipiendo, aut commendando, quo praeſides veluti brevibus Gyaris clauſi, et anguſtis gyris circumſcripti, ingenii ſui habenas libere laxare non poſſunt; ſed potius nobiles ac praeclaros, nec inutiles generoſi animi impetus, liberius ac ſolutius excurrendi, non ſine indignatione, reprimere coguntur.

Licet igitur dictis iam ex cauſſis ac rationibus, huic meae oppellae feſtinanter potius effuſae, quam diligenter elaboratae, aut ſolerter limatae ac perpolitae, parum ſecundae fortunae, aut benigni favoris omnino promitterem, adeo, ut inde potius metuerem, hos ipſos meos Lectos, parum quippe ornate inſtratos et inſtructos, illectos potius neglectos et inexploratos in poſterum eſſe manſuros Lectoribus praeſertim doctioribus,

dignoſcere cautis,
Quid ſolidum crepet, et pictae tectoria linguae.

Praeter omnem tamen ſpem meam atque opinionem, e contrario, accidit, ut haec ipſa *antiqua Novitas*, aut *nova Antiquitas*, (ſi ita quidem per nonnullos ſubmoroſos forſan cenſores, verbis blande ludere licet) a me ibi denuo propoſita, non ſolum multos Lectores, ſed etiam approbatores ac laudatores inveniret, qui tam publice, quam privatim, per humaniſſimas quidem literas, ſuum benignum aſſenſum mihi liberaliter praeberent; meque ſimul ſerio adhortarentur, ut ex his quidem primis lineis ductis, iactisque rudimentis ac fundamentis, amplum, ſolidum atque integrum ſyſtema, per otium, ſenſim conficerem, et in Antiquitatum Medicarum decus ac ſplendorem, fere ſub ipſum Vitae meae finem, in manſuram forte mei memoriam, gratae poſteritati relinquerem.

Fuerunt vero, ne quid diſſimulem, etiam nonnulli ex amicis ac fautoribus, quibus, quum ingentem illum et numeroſum aegrotorum Catalogum ſub finem dictae diſſertationis, conſpicerent, proinde incredibile paene videretur, tam multos varioſque Lectos a priſcis Medicis olim adhiberi potuiſſe, aut re ipſa fuiſſe adhibitos. Vt igitur priorum amicis blandisque exhortationibus placide obſequerer; poſteriorum autem ſpecioſis dubitationibus modeſte ac humaniter obloquerer, ac leniter obluctarer, omnesque illos fruſtra conceptos ſcrupulos ſemel ſimulque tollerem atque eximerem; protinus utrique parti, quantum ſcilicet per vires ipſas ſeniles exiguas et exiles, commode adhuc liceret, ſatisfaciendum eſſe, nobiscum firmiter graviterque conſtituimus.

Confeſtim ergo, rapidae incertaeque fatorum properantium ſortis probe memor, ipſo *Menſe Auguſto* vix exorto, opus hoc arduum, et intactum hucusque intentatumque alacriter exorſus ſum, atque coeli tum aeſtuantis fervorem Venis meis ſenilibus ac paene frigentibus ita quaſi infuſum ac communicatum ſenſi, ut ſingulari mentis conſtantia, corporisque firmitate, omnem perdifficilis laboris moleſtiam facile

tolerarem

tolerarem, atque per ſingulos dies, uberes proſperosque ſucceſſus in opere iſto pertexendo, laetus perciperem. Sic igitur ſtrenue fortiterque in eo perrexi, per integrum *Menſem Septembrem*, uſque ad finem fere ſequentis *Menſis Octobris;* adeo, ut hinc maior certe meliorque ipſius operis pars iamiam eſſet profligata et abſoluta; finisque totius ſperatus et exoptatus iam e propinquo, imo proximo fere, proſpiceretur.

Verum, ut ſunt plerumque rerum humanarum vices lubricae, incertae atque dubiae, ſpesque ſaepius irritae, fugaces ac fallaces; ita et ipſe iterum, idem fere triſte durumque fatum in hoc quidem opere elaborando, contra Votum meum, expertus ſum, quod me acerbiſſime premeret, imo paene penitus opprimeret, quum praeterito quidem Anno, *Tomus meorum Opuſculorum Tertius* hic loci, imprimeretur, ut ibi pluribus, laeto gratoque in divinam bonitatem, animo, enarravi, in iſtius Voluminis *prolegomenis*.

In fine nempe paene decurrebat iam *Menſis October*, ut iam dixi, quum et ipſa mea Vita in fine fere decurreret, et vix uſque ad ipſius finem toti operi imponendum, perdurare poſſe, videretur. Perveneram enim iam ad §. CXVIII. Sect. III. quum me nihil tale cogitantem ac futurae ſortis plane ignarum, d. XXV. noctu, derepente invaderet dolor acerbiſſimus et atrociſſimus, qui me in regione praeſertim hypogaſtrica, dentatis veluti morſibus acutiſſimis, perpetuo lancinaret, imo pene laceraret, et ſaeviſſimo quaſi equuleo, diſtorqueret, ut ferendis illis intolerandis fere cruciatibus, diutius vix par eſſem. Et licet divina gratia ac immenſa miſericordia praeſertim adiutrice, et Medicina deinde ſimplici, miti, cauta et ſecura, pro conſueto more meo, ſimul tempeſtive adhibita, iſta quidem perpetua acerrimorum cruciatuum atrocitas ſenſim miteſceret et veluti blande ſopiretur; breves tamen et intervallatae tantum, potius dolorum iſtorum fuerunt induciae, quam certa, ſolida et diuturna pax, ut ita dicam; ſemper enim,

quum

quum res iamiam in vado, navisque in portu eſſe crederetur; novi protinus fluctus motusque ac turbines ex improviſo, exorti ſunt; qui malum iamiam, ut videbatur quidem, ſopitum et pacatum, denuo exaſperarent, ut omnia rurſus in peius ruerent et exitium minarentur: adeo ut hic commodiſſime applicari poſſint iſta quidem SYMMACHI: *Breves ſunt doloris induciae, et mox in miſeras cogitationes recurrunt diſſimulata paullulum mala.*

Sic ergo inter ſpem metumque medius quaſi ac ſuſpenſus, integrum *Menſem Novembrem,* una cum ipſo *Decembri,* horreſco referens, miſerrime et calamitoſiſſime traduxi ego, ego inquam, iam ſenex fere octogenarius, ſine ulla paene quiete, ciborum appetentia ac Vitae iucunditate ac voluptate, alienus plane et averſus ab omni litterarum, alias ante omnia dilectarum et praelatarum, ſtudio ac commercio; nihilque aliud plane cogitans ac meditans, quam ſuprema, atque Lectum demum emortualem, qui me de Lectis aegrotorum commentatum, tacite efferret, et tot poenis diutius excruciatum et penitus confectum placidae tandem et imperturbatae quieti traderet. Tum enim erat

Nobis nulla Quies, nec, quum ſe condit in undas,
Nec, quum Sol verſis mane, recurrit equis.

Donec tandem divinae gratiae, miſericordiae et omnipotentiae immenſae placuit, hoc ipſo fere *veteri Anno,* in fine iam laborante, Veteres illas meas querelas, aerumnas ac calamitates, ferreo veluti et inpenetrabili pectore tamdiu toleratas, clementiſſime tandem tollere; meque ipſum ſub ipſius *Novi anni,* laetum exordium, novis corporis languidi Viribus, novoque animi ſubtriſtis Vigore induere, et memet ipſum mihi reddere: ita, ut tandem ſalvus ſoſpesque, pennam hactenus per duos fere integros menſes, ſuſpenſam, obtuſam et prorſus otioſam, reſumtis ſenſim virium incrementis, reſumere, penſoque illi noſtro iuſto diutius hucuſque ſuſpenſo, mente manuque laeta validaque

rurſus

curſus ſtrenue admovere valerem. Quare inenarrabilis huius divini beneficii per omnem quidem Vitam meam adhuc ſuperſtitem, ſemper ſemperque memor, immenſas illas indulgentiſſimi mei Dei et Domini clementiſſimi miſericordias cantabo in aeternum, nec cantando, laudando et gratias perſolvendo, unquam defatigabor, quidquid etiam leves, profani et procaces divinae providentiae et gratiae contemtores, contra debacchentur et raucum vociferentur.

Aſt ego Coelicolis gratum reor, ire per omnes
Hoc opus, et ſacras populis noteſcere curas.

Relicto igitur ſic divinis auſpiciis, inviſo aegroti, imo et paene morituri, Lecto, ad *Lectos* meos per tantum temporis ſpatium, nec viſos, nec contactos, laetus et redivivus quaſi, reviſi, ſicque ſtatim lentam operis illius tamdiu fatali quadam neceſſitate, dilati et intercepti tarditatem nova impigre recepti ac repetiti laboris celeritate, compenſavi, ut telam illam antea iam paene detextam, penitus tandem pertexerem ipſique exoptatum demum Telos et ſupremum veluti coronamentum laetus gaudensque imponerem: tam fauſto quidem cum ſucceſſu, ut ſub ipſum novelli Anni initium, prela quoque typographica initium facerent, muſteum illud opuſculum, literis prius a me ſcriptum perituris, poſtea mox manſuris, exprimendi, brevique admodum tempore, per plusquam mille exemplaria, multiplicandi. Sic ergo, quod a me intra *quatuor* fere *Menſes*, calamo fuit expreſſum, neque hos plane integros, et ab aliis curis ac negotiis ſemper immunes, paullo poſt, intra *tres Menſes*, Chalco, ut ſic dicam, fuit impreſſum. Quomodo autem in hoc quidem Libro conſcribendo, ipſe ſim verſatus, nunc paucis enarrare adgrediar.

Poſtquam igitur exiles illae ſchedulae, quibus nonnulla Veterum Medicorum loca de *Lectis aegrotantium*, obiter tantum illita fuerant, vel per incuriam, vel iniuriam, aut invidiam, periiſſent, ut ſupra iam paucis indicavi, inde totum illud negotium de novo, vel ab ovo, quod

dicitur, ſuſcipiendum erat. Hinc ergo tum neceſſario mihi recurrendum fuit ad meos conſuetos Locos communes, ſive Collectanea ſolita, non quidem vaſtis aliquot Voluminibus comprehenſa, qualia mihi nonnulli eruditorum, qui me e longinquo potius, et ſcriptis meis, multa ſcilicet variaque Lectione paſſim refertis, quam propius, norunt, plerumque, etſi falſo, tribuunt; ſed potius ad ipſum meum caput modicum, ibique concluſam memoriam, fidam ſemper, foecundam, promtam, et in ipſa hac mea effoeta et extrema ſenectute, ſingulari plane et rariſſimo divinae gratiae munere, adhuc tenacem, vivacem, praeſentem ſemper atque paratam: Haec, una cum notatis aliquot librorum marginibus, ſola ſunt, ſola inquam, ſunt mea collectanea, quae vivus, ſemper ubique mecum porto, et moriens quoque, aliquando mecum hinc auferam, et ſepulchro ſervabo, nulla prorſus alia poſt me relicturus.

Omnibus ergo priſcis Medicis per diuturnum et fere quotidianum uſum, mihi paene familiariſſimis, ocyſſime percurſis, Graecis ſcilicet ab ipſo primo HIPPOCRATE, uſque ad ultimum ACTVARIVM, ut et NONVM; Latinis porro, a CELSO primo, uſque ad poſtremum GARIOPONTVM, ut et AESCVLAPIVM ſic dictum et perſonatum, et Arabicis denique, ab AVICENNA, uſque ad IANVM DAMASCENVM, ut et CONSTANTINVM AFRICANVM, etiam ex parte, huc pertinentem. In illis ergo cunctis, omnes illos locos antea quidem deperditos, duce et adiutrice illa fidiſſima cuſtode, memoria, rurſus facile inveni, inventos collegi, collectos digeſſi, et ad ſingulos morbos ordine applicavi, ex quibus ruderibus ac caementis, poſtea nata et exſtructa fuit haec ipſa *Clinotechnia*, quam Vobis hic decenter offero, ut ceu artifices recentes adhuc, vegeti et perſpicaces, placide ac benigne iudicetis de Artifice iamiam Veterano, eiusque artificio, forſan non ſatis ſcite compoſito, aut perpolito: quanquam ex accurata ipſius operis inſpectione, facile, ſpero, patebit, me quidem pro viribus, aut viriculis, (ut

(ut ſic cum APVLEIO, loqui liceat,) per provectiorem ſcilicet aetatem, adhuc reſiduis, nihil ſeniliter ſegniterque peregiſſe, nihil fere non e contrario, gnaviter acriterque pertractaſſe.

Iſta vero Graeca Auctorum Veterum loca, etſi ſaepius perquam diffuſa et verboſa, ſemper, ubi licuit, integra, correcta et emendata, exhibuimus, addita ubique verſione Latina, vel veteri, ubi opus, correcta, vel nova, a memetipſo inter ſcribendum, accuratius confecta: idque non tam vanae et ventoſae oſtentationis gratia, quod a me quippe alieniſſimum eſt; quam potius, urgentis neceſſitatis et ſperatae inde utilitatis cauſſa, unice a me non ſine labore ac moleſtia, ſuſceptum eſt: ideo praeſertim, quod ipſae graecae Veterum Medicorum, praecipue AETII, AEGINETAE et ACTVARII editiones hodie quidem rariſſime occurrunt, et in ampliſſimis quoque et ſplendidiſſimis Bibliothecis ſaepiſſime deſiderantur. Inde profecto vix mirum, repertos etiam quondam fuiſſe Medicos, alias quidem haud prorſus indoctos, qui PAVLLVM AEGINETAM, AETIVM et ALEXANDRVM TRALLIAMVN, ACTVARIVMque, modo dictos, Latine ſcripſiſſe, ſecure nimis, minusque docte, crederent, aliisque perſuaderent. Par quoque hinc eſt ratio Medicorum Veterum Latinorum, rariſſime quoque plerumque obviorum, ut ipſe ſummus REINESIVS ſua iam tempeſtate, in *Variis Lectionibus,* paſſim conqueſtus eſt. Pauciſſimi enim viderunt utramque diverſam plane THEODORI PRISCIANI editionem, item PLINIVM VALERIANVM, MARCELLVM EMPIRICVM, ut et GARIOPONTVM, ac perſonatum denique illum ſic dictum AESCVLAPIVM; ut nihil iam de Latinis Arabum Medicorum verſionibus, quibus iam vulgo utuntur docti Medici, praeſertim IANI DAMASCENI ſic dicti, hic adiiciam, quarum pleraeque etiam perquam raro publice conſpiciuntur, ut communibus uſibus pateant.

Serio itaque hinc utique optandum eſſet, ut omnes iſti Medici Graeci, qui poſt GALENVM potiſſimum inclaruerunt, una cum ipſis Latinis, qui poſt ipſum CELSVM, orbi innotuerunt, uno iuſto corpore comprehenſi, atque obſervationibus neceſſariis, et ad hodiernum Medicinae immutatae ſtatum et praxin noſtram, acommodatis, in utilitatem publicam, foras ederentur. Quale eximium plane et in ſaecula haud dubie profuturum opus olim molitus quidem eſt immortalis noſter BOERHAAVIVS; ſed nimia negotiorum et impedimentorum mole non ſolum in ſuae celeberrimae urbis, ſed univerſi potius orbis commoda et emolumenta, ingenti animo ſuſceptorum ac ſuſtentorum magis magisque obrutus ac paene ſubmerſus, contra votum ſuum, abſolvere non potuit: adeo, ut hinc ſolum ARETAEVM, cum aeterna quidem ſui nominis gloria, in communes quidem uſus, publicare ipſi licuerit.

Neque noſtrum ſane fatum mitius aut fortunatius fuit, quum enim nobis longo demum poſt tempore, eadem ſparta ſatis quidem opimis conditionibus, oblata eſſet, nosque iamiam accincti fortiter eſſemus ad tam arduum et praeclarum utileque opus alacriter ſuſcipiendum ut ex edito tum de iſta Medicorum Veterum collectione, ſpecimine publico clare ſatis, opinor, apparuit; tum ſane fatali quadam neceſſitate aut invidia, ac infortunio, accidit, ut eo ipſo quidem tempore, alio opere magno, laborioſo ac difficili occupati, ad novum iſtum longe gratiorem certe laborem protinus transire haud poſſemus; licet poſtea maximo noſtro taedio ac faſtidio deprehendiſſemus, opus illud diu contentiſſime quidem elaboratum, nobis longius ab ipſo prelo remotis, perquam male fuiſſe impreſſum, peius correctum, ac peſſime denique interpolatum, novis inprimis et indignis plane additionibus et inconcinnis illepidisque acceſſionibus ſoloeca potius ac lutulenta quam ſelecta et luculenta Latinitate propoſitis, imo rectius, involutis, atque ſic me prorſus inſcio et invito, et ipſo hinc iuſte meritoque indignante parario, pollutum magis prodiiſſe, quam politum.

Succeſſit

Succeſſit dein, in malorum veluti cumulum et augmentum, Bellum illud atrox feroxque, quod nos per ſeptem fere annos, miſerrime preſſit, afflixit et exercuit, quo proh dolor! factum demum eſt, ut accreſcentibus interea et augeſcentibus Vitae provectioris annis, cura illius ardui magnique operis ſenſim decreſceret et tandem penitus paene intercideret. Expectatur ergo nunc merito adhuc eiusmodi praeclarum et in communem uſum, utiliſſimum Medicorum veterum una Collectorum opus, quod nemo me quidem ipſo, magis profecto optare et votis ardentiſſimis expetere poterit.

Quae enim intetea temporis, aliquot Voluminibus, in publicum prodiit Veterum Medicorum ſylloge, aut rectius forte, fortuita ſyndrome; ea profecto ita undique comparata eſt, quod ſine ulla tamen cuiuscunque offenſa, invidia, aut obtrectatione, libere et ingenue hic a me dictum et monitum eſto! ut melioris et elaboratioris eorundem editionis habendae deſiderium haud minuat, aut tollat; quin potius vehementius augeat, et tanto acrius urgeat, quoniam iſta nec eruditis Medicis optabilis eſt, nec ipſis tironibus utilis, aut commendabilis; quod innumeris profecto paene exemplis vel ex ſolo Tomo primo, et corruptiſſima illa Latina HIPPOCRATIS verſione, ne iam de reliquis dicam, hic liquidiſſime facile oſtendi poſſet, niſi aliud ageremus, quod longius a praefixo ſcopo noſtro divagari nos omnino prohiberet.

Quod ſi vero ſpes iſta dubia adhuc et ambigua, Theſauri illius operoſi ac pretioſi potiundi, eminus potius affulgeret, quam cominus, pro noto ſcilicet ſaeculi noſtri torpore et occallato veluti in meliores literas, palato, (pudet ſane pigetque publice fateri); ardentius tamen tunc optarem, ut ALEXANDRI tantum TRALLIANI, atque COELII AVRELIANI opera, ſed emendatiora, et inde lectu et intellectu faciliora, quam hactenus quidem factum, interea, in publicos communesque uſus, nitide excuderentur. Ambo enim iſti Auctores praeſtantiſ-

ſimi non ex alieno fonte hauriunt, nec in peregrino fundo aedificant ut ita dicam, ſed ſuas potius opes longo multoque labore partas, in publicos uſus, largiter ac liberaliter effundunt, et non ea, quae alii ante ſe, dixerant, aut ſcripſerant, operoſe colligunt, (uti nempe fecerant AETIVS, AEGINETA, ORIBASIVS, et alii, laudandi tamen inde, quod ex tanto Medicorum Veterum deperditorum, ut ARCHIGENIS, ANTYLLI, RVFI et aliorum, veluti naufragio, aliquot adhuc tabulas ſpecioſas ac pretioſas nobis auſpicato ſervarunt) ſed quae ipſimet potius in praxi clinica, indefeſſa induſtria, et ſtudio vigilantiſſimo per longam annorum ſeriem, viderunt, obſervarunt, exploraverunt palparunt et experti ſunt, et inde approbaverunt, vel reiecerunt, vere candideque proponunt, et tam ad cavendum, quam imitandum, fideliter, et ſine fuco aut fumo, Lectoribus impertiunt. Inde igitur non mirum, ALEXANDRVM praeſertim TRALLIANVM, meliora quippe et certiora per ſedulas et frequentes obſervationes, edoctum, ipſum magnum ea praeſertim aetate, GALENVM ſaepius, modeſte quidem, vere tamen ac ſolide, redarguiſſe. Hinc ergo vocari ille utique meretur ARETAEVS parvus, aut ſecundus: quem quippe, non tam propter mirum ſtili nitorem, in quo ſcilicet iſte ipſo longe eſt ſuperior; quam potius ob concinnum rerum propoſitarum ordinem, iudicium acre, ac intimam denique artis clinicae ſolidioris peritiam, paene penitus exaequat: Sed haec obiter. Quod et ipſe COELIVS AVRELIANVS in multis aliis Medicis priſcis, cum ratione, et ab ipſa ſua experientia, reprehendendis, ubique per ſuum opus, impigre et intrepide auſus fuit, ne ipſo quidem excepto noſtro HIPPOCRATE, ſed hoc ex partium potius ſtudio, et ſuae ſectae praeiudicio et favore, quam ipſa veritate, aut ſufficienti ratione, ut alibi, et in hoc ipſo etiam opere, ſat liquido docuimus. Inde igitur, ut id hic per occaſionem adiiciam, ſerio optandum eſſet, ut vel ipſe COELIVS puro illo nitidoque CELSI ſtilo uſus fuiſſet; vel CELSVS rurſus res illas COELII ſolidas, et ab

ipſa

ipſe fida tutaque Naturae et Artis cognitione caute prudenterque deſumtas propoſuiſſet; tum ſane utrinque elegantiſſimum Verbis, et utiliſſimum ſimul rebus, ſicque perfectiſſimum propemodum ipſius Medicinae Veteris ſyſtema hodie laeti fortunatique haberemus. Sed ſic nihil in rebus humanis plane eſt perfectum, nihilque ab omni parte beatum.

Serio autem dolendum eſt, horum quidem excellentiſſimorum et utiliſſimorum Auctorum utrumque, tot adhuc foedis mendis eſſe contaminatum, atque inde obſcurum ſaepe, implicitum intellectuque difficilem redditum: parcius quidem et rarius ALEXANDRVM TRALLIANVM, cumulatius autem ac frequentius, COELIVM AVRELIANVM, quem per ſe, ſua natura ac natione, veluti AFRICANVM, ſtilo horrido aſpero, implexo, imo et impexo, ut ita dicam, et incomto, prius uſum poſtea craſſa ſcribarum ſupinorum et oſcitantium tam in ipſis rebus medicis, quam peregrinis et inſolitis Verbis, ignorantia foedius inſuper corrupit et innumeris paene nouis Vitiis putide ruſticeque illatis, foecundius auxit, quod per omnes fere paginas, facile oſtendi poſſet; et a nobismet ipſis iamdudum exemplis quam plurimis, liquidiſſime oſtenſum in *Tribus iſtis Opuſculorum noſtrorum Tomis,* et in hoc ipſo *Novo Opere,* loco plusquam uno, manifeſtiſſime demonſtratum.

Inde igitur novam correctiorem ac nitidiorem ipſius ALEXANDRI editionem per Viros quosdam doctos ſimul procurandam, meditabatur olim magnus ille Magnae ſuae Britanniae Aeſculapius, RICHARDVS nempe MEAD, ſummus quondam, quo merito gloriamur, fautor et amicus noſter, aeternum mihi devenerandus, et uſque ad finem vitae, colendus, meque, ut ſaepius ſcilicet ſolebat, per humaniſſimas literas, impenſe rogabat, ut ſymbolas quoque meas, qualescunque nimirum, promte ac libenter illuc conferre vellem. Parui ergo illico ſine mora, tam placido et amico imperio, variasque mox conſcripſi obſervationes philologicas et emendationes criticas, lucem clariorem

obſcu-

obſcurioribus locis forte illaturas, ipſumque verborum vitiatorum Contextum emaculaturas, atque in priſtinum ſi quidem pote, ordinem et habitum reſtituturas. Verum opera illa mea eheu! incaſſum fuit impenſa: neſcio enim quo ſiniſtro et inimico fato, factum fuerit, ut iſta quidem meditata ac cogitata ALEXANDRI Editio, veluti in ipſa tenera adhuc herba, perierit: nihil enim prorſus de ea poſtea inaudivi, praeſertim, quum aliquo poſt tempore interiecto, ipſe ille venerabilis LXXXIII. annorum ſenex irreparabili utique ipſius rei medicae et literariae ſimul damno, meoque inprimis inconſolabili per omnem quidem vitam, luctu, mortalitatem exueret, et immortalitatem contra indueret, vel inciperet, imo forſan rectius, continuaret. Licet enim tam grandaevi Senis mors tanquam ſatis matura, ac per ipſam naturam, ſat ſera, utique conſiderari poſſit: plenus enim ille annis abiit, plenus meritis, honoribus, ac ſonoris denique famae ſplendidae undique late diffuſae praeconiis: ipſius tamen immenſae fere iacturae reſpectu, mors eius ſemper ceu immatura adhuc et acerba, tanquam iuvenis, aut firmiſſimi, dolenda et deflenda eſt. Interea autem Tibi, o animae quondam dimidium meae, ad luctum ac genitum eheu! relictus, pie candideque appreor

tenuem, et ſine pondere terram
Spirantesque crocos, et in urna perpetuum Ver.

Ea vero caſtigatioris Editionis felicitas, quam fatorum iniquitate, ne ſemel quidem conſequi potuit bonus iſte ALEXANDER, bis tamen contra obtigit, et brevi certe tempore interiecto, alteri illi COELIO nempe AVRELIANO, cuius nimirum duae ſimul Editiones Novae prodierunt: Novae inquam, ſed et ſimul quoque Veteres: Novae ſcilicet omnino ſunt ratione temporis, locorum, et ipſius impreſſionis: Veteres tamen una etiam vocari utique merentur, propter vetera illa copioſa adhuc Vitia et errata, quae ex nota iſta Editione poſtrema Almelovee-

meloveeniana, in has utrasque ſic dictas novas, ſecure nimis, properanter ac negligenter denuo translata et infauſta foecunditate, propagata fuerunt.

Quod ſi vero illarum Editoribus tum placuiſſet, memet ipſum decenter adire: ego certe honeſtis iuſtisque ipſorum deſideriis confeſtim ex voto, reſpondiſſem, atque lubens gaudensque, meum ipſius exemplar, ubique quam diligentiſſime correctum, illuſtratum et explicatum, in publicos uſus, ultro gratisque conceſſiſſem. Quam quippe utiliſſimam opem operamque non ſolum COELIO huic AVRELIANO, ſed et omnibus reliquis in univerſum Medicis, tam Graecis, quam Latinis, magno quidem labore, ſed non minore cum ſucceſſu et uſu, abſit hic vana iactantia! per ambitioſiſſimum plusquam ſexaginta annorum ſpatium, quam ſolertiſſime praeſtitimus.

Interea tamen hic celare non poſſumus, nec debemus, ipſum illum COELIVM plurimum nobis omnino profuiſſe in ipſo hoc noſtro novo arduoque opere elaborando. Inter omnes enim reliquos Medicos Graecos et Latinos, poſt ipſum HIPPOCRATEM, AETIVM et ARETAEVM, ille paene ſolus primus ac princeps eſt, qui frequentius, accuratius et diſtinctius, *de diverſis diverſorum aegrotorum Lectis,* per totum ſuum egregium opus, tractavit, et circa eos apte, commode et opportune inſtruendos et inſternendos, prudentiſſima et ſaluberrima conſilia ac praecepta propoſuit. Cuncta igitur iſta loca, quae de illa *Clinotechnia* Medicis ſcitu tam neceſſaria, quam ipſis quoque aegris utili ac ſalutari, ſpeciatim agunt, quam diligentiſſime ex ipſo collegi, collectos in concinnum commodumque ordinem redegi, et redactos denique ipſi meo operi ſemper ibi fideliſſime inſerui, ubi ipſa ſcilicet id poſcebat ratio, et argumenti tractandi naturalis ſeries; allegatis ſimul ubique quam accuratiſſime ipſis illis Libris et capitibus, quin et ipſis adeo pa-

ginis, unde ſcilicet quaevis loca, argumenta et momenta petita ac depromta eſſent.

Nolebam enim hic imitari NICOLAVM illum PISONEM, quanquam ipſum alias lubentiſſime imitari velim, utpote Medicum ſuae quidem aetatis doctiſſimum et inſigni experientiae ac prudentiae laude clariſſimum. Is igitur in eximio illo ſuo *de cognoſcendis et curandis Morbis*, opere, paſſim quoque, ex veterum Medicorum conſuetudine, *Lectorum aegrotorum* meminit, ut ſupra iam paucis obſervavi, ipſaque COELII AVRELIANI, CELSI et aliorum de iisdem, loca in lucem producit, imo, ut rectius dicam, potius tenebris obducit, et altius occultat. Dum enim iſtos locos, quin et de argumentis aliis medicis, longas Veterum periodos, integrasque paginas, inaudito fere et inuſitato hactenus more, ſuis ipſius verbis, una quidem ſerie, ſine ulla diſtinctione, aut mutatione characteris typorum, aut paragraphorum, maxime tamen neceſſaria, anxie interſerit et intertexit, ne ulla quidem ipſorum Veterum Auctorum mentione in margine, vel alibi, adiecta: inde ſane neceſſe eſt, non ſolum ingratam aſperamque tam diverſi ſtili inaequalitatem ſubinde oriri; ſed et inſuper turbatam rerum et ſententiarum confuſionem concitari, dum ipſi attenti Lectores dubii omnino haerent, quosnam ex priſcis illis ſcriptoribus, aut quem legant, cuique ex illis ſpeciatim ac praecipue, tam pulchra reperta, aut tam praeclara dicta imputare debeant. Quae tamen obſtacula aut impedimenta cuncta facillime e contrario, praecaveri, aut prorſus amoveri potuiſſent, ſi uti modo monui, aut ipſa Auctorum Veterum nomina una cum ipſis Librorum Titulis, ubique fuiſſent adſcripta, aut ipſa denique illorum loca diſtincto aliquo ac ſeparato a reliquis ipſius PISONIS verbis, literarum charactere, fuiſſent deſignata et expreſſa. Quod ipſum nos deinde diligenter praeſtitimus: omnia enim illa abſcondita et inter-

texta

texta Auctorum loca facillime deteximus, detectaque in ſedes ſuas priſtinas commode reduximus, ut per omnes fere huius noſtri operis paginas, Lector ubique ſat luculenter, ſpero, deprehendet.

Neque has iuſtas verasque obiectiones ignoravit ipſe bonus noſter PISO, ut ex ipſa illius praefatione clariſſime quidem patet, in qua nempe aperte fatetur, inaequalem ac tavtologum ſaepius eſſe ſtilum; meros centones ex diverſi coloris pannis ac laciniis operoſe conſutos indeque doloſum plagii crimen ac ridiculum denique inanemque faſtum graculi illius aeſopici, alienis pictorum pavonum pennis furtim exornati, at male, tametſi digne et iuſte, deinde multati, ſibi forſan non immerito obiici poſſe. Culpam igitur hanc ſibi obiectam, aut obiiciendam, paullo poſt, enixe deprecatur.

At praeſtabat tamen, me quidem iudice, culpam prius non committere, quam iam commiſſam poſtea ſerius deprecari. Non ignoravit itaque ſua Vitia, aut naevos hos potius; ſed tamen amavit, ut de OVIDIO quondam acute dicebat SENECA ſenior: Sed, ſi non venuſti, leves tamen ſunt iſti quidem naevi, quique nihil prorſus derogant ſplendidae famae et ingentibus meritis praeſtantiſſimi illius PISONIS, cuius felicitati poſt ſera tempora, hic ſupremus tandem acceſſit cumulus, quod publice tam magnifice ampleque laudatus ſit ab immortali noſtro BOERHAAVIO, in elegantiſſima illa *praefatione* novae operis Piſoniani Editioni praefixa. Sed miſſis his, veluti nonnihil alienis, nunc ad noſtrum potius Inſtitutum illico revertamur, et ad finem denique iam dudum ardentius exoptatum, ocyſſime properemus.

Sic igitur hanc noſtram *Clinotechniam*, per ſingularem Dei gratiam laeti tandem ita abſolvimus, ut eam ſcilicet in *Tres* potiſſimum *Sectiones* diſtribueremus: priorem nempe *Generalem*, alteram porro, *Specialem*, et Tertiam denique *Specialiſſimam*. *Primam* vero atque *ſecundam* iam-

c 2 iam

iam exhibebat ipſa illa praemiſſa *Diſſertatio*, quae poſtea primam ipſi huic operi anſam et occaſionem dedit, ut ſupra iam monitum: eas tamen nunc hac nova quidem editione, multis magnisque acceſſionibus ita ſubinde auximus, ut duplo fere maiores et ampliores redditae fuerint. Sed *Tertiam* denique illam locupletiſſimam, et in integras longas uberesque periodos, ſeu *paragraphos* CLXXXIV. latiſſime largiſſimeque prolatam atque exporrectam, non ſine aliquo quidem labore, ut facile apparebit, ſuavi tamen magis, quam gravi, et delicioſo, quam taedioſo, uſque ad fatalem illum ſcilicet caſum, derepente interiectum, gnaviter pertexuimus.

Quoniam vero non ſine ratione, verebamur, ne Lectores noſtri, ex illa continua et diuturna de *Lectis aegrotorum*, Lectione, vel ipſi forſan, ex oborta nauſea, ſimul aegrotarent, vel certe laſſi nimium ac fatigati, ſenſim oſcitarent, ac tandem plane obdormiſcerent; ſicque, contra votum noſtrum ac voluntatem, ipſi Lecti noſtri tum illecti prorſus et neglecti relinquerentur: ideo ad conſuetas illas noſtras honeſtas technas, dolos ingenuos, nobilesque ſtrophas, ut ſic dicam, caute confugimus, hincque ad iucundam ac delectabilem varietatem opportune interiiciendam, varias *obſervationes criticas ac philologicas*, novas plerumque, nec ubique vulgares, paſſim hinc inde intermiſcuimus, ceu quaedam ſubita ſcilicet et inexpectata epiſodia, aut intercalata epimetra, ut et embolia interſerta, aut vermiculata denique emblemata, ut ſic quidem loqui hic liceat. Idque ſaepe data, ſaepius autem, ſtudio quoque, quaeſita occaſione, ſuſcepimus, ne iſtae ſcilicet obſervationes, non nullos forſan uſus olim habiturae, poſt fata mea, quotidie fere metuenda incognitae prorſus et obliteratae, fruſtra perirent: quin potius, ut ita e contrario, dum Vita precaria adhuc ſuppeteret, ſedulo eniteremur, ut ipſa mors, repente forſan, veluti ex inſidiis advolatura, pauciſſima tantum

tum

tum, quae abolere poſſet, ſic inveniret, ut PLINIVS quondam ſapientiſſime monebat. Inde igitur de die adhuc hodierno, tanquam paullo certiore, occaſionem cauti ac diffidentes, rapuimus, quam minimum ſcilicet poſtero incerto creduli, ſic HORATII conſilio, quamvis meliore et puriore ſenſu, obſequuti. Vnde ſpes nobis certior affulget, aequos iuſtosque Lectores hanc noſtram variarum digreſſionum criticarum hinc inde interiectarum, allatam rationem haud eſſe penitus improbaturos, quin potius libenter admiſſuros, aut certe paratiorem veniam ipſi daturos.

Sic ergo in hoc quidem opere, variae paſſim occurrent emendationes, plerumque, ni fallor, probabiles ac neceſſariae, variorum Auctorum Veterum, tam Medicorum inprimis, quam etiam aliorum, exempli cauſſa, ipſius HIPPOCRATIS, ARETAEI, RVFI EPHESII, AETII, AEGINETAE et MOSCHIONIS, item HERODOTI, LVCIANI, IVSTINI MARTYRIS, BASILII MAGNI, HESYCHII, SVIDAE, et aliorum Graecorum, ut et e Latinis, CELSI, SCRIBONII LARGI, COELII AVRELIANI, THEODORI PRISCIANI, et GARIOPONTI item et ipſius CICERONIS, SVETONII, MACROBII, ſeu PVBLII SYRI, et forſan etiam aliorum.

Varios quoque ſacros locos, ut *Exod.* I, 16. *Ierem.* XVIII, 3. *Prov.* XXI. 14. *Hebr.* XII, 1. et *Apocal.* II. 22. rectius forſan ac commodius, explicare conati ſumus, quo et illa pertinent, quae de iſto *paralytico,* per tectum detectum, lecto penſili ac portatili, ad ſervatorem, delato, late diſſeruimus.

Sed longe plures obſervationes philologicae criticaeque aliae, ubique, commode capta, vel rapta, occaſione, interiectae deprehenduntur, v. c. *de Antho*-vel *phyllobolia, per aegrorum cubicula diſperſa,* item

Auſteritate lucis et colorum; Ephialte epophele, ſeu *utili, Viticis,* ſeu *Agni* ſic male dicti *caſti, foliis, in caſtis, Theſmophoriis, matronis ad temperandam libidinem ſubſtratis,* de *Sellarum obſtetriciarum antiquitate et frequentiore prae Lectis, uſu, earumque forma rotunda ac lunata, Nummo Antonii pii, cum expreſſo in eo, Fauſtinae puerperio, Arte figulina,* et *Rota* inprimis *figuli antiquiſſima,* de *Oraculo* ZENŌNI quondam dato, *concolores mortuis illos fieri debere, qui optime vivere velint,* de veterum ritu, *foetus editos humi prius ponendi, deinde eos rurſus tollendi, de ſolis contactu et Myropolii odore,* eleganti tropo, ad res morales doctasque translato, *locorum obſcuritate lippientibus commendata,* ad easdem res traducta, de *ſermone rotato ac rotundo, carne corporis, Veſtimenti nomine denotata, uſu ſilentii in quibusdam morbis,* atque plura id genus alia, longe lateque in ipſo *Indice locupletiſſimo* obſervata et ſuis locis accuratiſſime relata. Quem nosmet ipſi ſummo quidem ſtudio ac iudicio, nec minore labore, confecimus, ut ſcilicet quaſi compendium, aut promtuarium eſſet omnium certe rerum memorabilium ac ſcitu cognituque dignarum.

Denique etiam longe moleſtiſſimum illum extremum laborem, iterum publici boni cauſſa, patientiſſime ſuſcepimus, in *emendandis* ſcil. et emundandis foediſſimis illis et frequentiſſimis *mendis typographicis;* quantum ſcilicet licuit per ſenilem aetatem, temporis anguſtiam, oculos interdum hebetes, et alia impedimenta ſubito interiecta. Interim tamen, licet vel in ipſo forſan contextu latino ſic dicto, quaedam paratypomata leviora fuerint relicta; in ipſis tamen locis graecis, ut et hebraicis, tanto pauciora, imo forte pauciſſima, quin etiam paene nulla, deprehenſum iri, haud fruſtra quidem ſperamus, quin immo fere certius confidimus.

Haec

Haec autem omnia non avida ſordidi lucelli cupiditate, nec ventoſo famae vitreae fragilisque ſtudio, nec vano denique inanique impetu, variae eruditionis oſtentandae, nunc ſane ſero nimis et intempeſtive me invaſuro, utpote iam Vita plenum, atque hinc abire paratum: ſed ſolo potius de praeſenti, et forſan quoque de futuro ſaeculo, etiam ſub ipſum Vitae meae finem, honeſto, bene merendi, deſiderio, a me ſuſcepta, exantlata, et ad finem denique perducta eſſe, Deum ipſum noſtramque conſcientiam ſancte teſtamur.

Alias enim commodius faciliusque compoſitis in ſinu, manibus vel in ſpatioſa exedra, vel ſella ampla, blando pulvino ſcorteo inſtructa, reclinatus lentusque, conſidere potuiſſem, vel in Lecto culcitis plumeis molliſſimis inſtrato extenſus et porrectus, recumbere, ut ita nempe perquam iucunda multorum laborum, et itinerum longorum peractorum, ac denique periculorum, ſaepe de proximo metuendorum, feliciter tamen ſuperatorum, recordatione ſecure taciteque perfruerer: niſi et in ipſa otioſa alias ſenecta (namque *ut ſenes in otia tuta recedant*, permiſſum, teſte poeta) deſidioſum iſtud otium mihi odioſum atque exoſum fuiſſet; ac potius e contrario, otium placuiſſet minus otioſum, ac magis negotioſum, ut ita dicam. Semper enim animo meo obverſabatur prudentiſſimum illud POMPONII, paris fere mecum aetatis, Monitum, ac praeluſtre ipſius exemplum, ad imitandum, opportune propoſitum, in *Pandect. Tit. de Fideicommiſſar. Libertat. Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam, in octavum et ſeptuageſimum Annum aetatis, duxi, memor ſum eius ſententiae, qui dixiſſe fertur: Etſi pedem alterum in tumulo haberem; tamen non pigeret, aliquid diſcere*, imo et *ſcribere*, aut *commentari*, quod mihi hic addere liceat. Sevi igitur ſic pro viribus meis reſiduis, ſi non proceras arbores, aut odoratas cedros, aut annoſas denique quercus, ſeris olim nepotibus umbram facturas; at

teneras

teneras tamen arbuſculas, humilesque myricas, gratae, ut equidem ſpero, poſteritati forſan aliquantulum certe profuturas.

Sed nolo Vos diutius, ac iam factum, morari, *Lectores* humaniſſimi, imo et patientiſſimi. Quod ſi igitur ex his noſtris *Lectis* attente perlectis, quandam forte, etſi exiguam, oblectationem perceperitis, nec ſtudium noſtrum ſenile, ex ampla potius voluntate, quam curta facultate, aeſtimandum, plane improbaveritis; tunc mihi quaeſo, favere pergite, aut certe incipite: praeſertim autem erroribus forſan paſſim obviis benignius ignoſcite, demumque cum poeta, candide optate

Di ſenectuti placidae Quietem
Date! (imo placidam tandem ac beatam mortem)

Ita iterum, iterumque bene valete, ut Vos quoque aliquando *integra cum mente, nec turpem Senectam degatis, nec cithara carentem*, ex eiusdem quidem Vatis ingenuo Voto. Sed ſatis nunc, et plusquam ſatis. Scribebam Wittebergae, Domin. *Iubilate*, inter laeta peracti tandem feliciter laboris iubila, Anno CIↃIↃCCLXXIV.

CLINO-

Q. D. B. V.

CLINOTECHNIAE MEDICAE ANTIQVARIAE

SECTIO PRIOR GENERALIS DE *DIVERSIS VETERVM LECTIS.*

§. I.

Tanta ſane Lectorum nunc eſt neceſſitas atque utilitas, ut vario eorum uſu carere ferme nequeat ipſa humanae Vitae Conditio et dudum quoque recepta Conſuetudo. In Lectis enim homines plerumque generant, et generantur, naſcuntur, adoleſcunt, dormiunt, reficiuntur, otiantur, meridiantur, meditantur, aegrotant, revaleſcunt. Curas abigunt, et adigunt, aurum et gemmas ſomniando, adquirunt, evigilando, autem

tenuem auram et inanes gemitus inveniunt; coniuges quoque ſaepe ibi litigant, et lites rurſus mitigant, ut lites iterum incipiant [a]), et denuo finiant, concordia veluti diſcordi perpetua, et tandem moriuntur, ac per Lectum tendunt ad Lethum, et per libidinem ac luxum, ad Libitinam atque luctum: ita ibi oriuntur et moriuntur: tumque omnibus fere mortalibus illa ultima acclamatur naenia [b])

Tandemque Beatulus alto
Compoſitus Lecto, craſſisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

§. II.

Illis igitur Lectis ob varios iſtos uſus ac fines, varia quoque nomina imponebantur. Inde nempe noti ſunt ex antiquitate, Lecti geniales, ſeu nuptiales et gamici, item parabyſti, tricliniares, ſeu convivales, cubiculares, ſeu dormitorii, lucubratorii, didactici, obſtetricii, ſeu lochaei, vel maeevtici, Chirurgici, vel Hippocratici, feri, ferrei, (quaſi *ferrei Eumenidum thalami*, apud VIRGIL.) poenales, cruciabiles, tyrannici, igniti, Procruſtei [c]), aut Agathoclei [d]), denique etiam ferales, funebres et emortuales.

§. III.

[a]) Conf. de his nocturnis coniugum proeliis lectualibus, vt ſic dicam, PLAVT. in *Caſina*, OVID. Lib. II. de *Arte Amand.* 153 ſqq. IVVENAL. *Satyr.* VI. 268. ſqq. vbi vid. GRANGAEI *Not.* dixit quoque acute HIERONYMVS Lib. I. in IOVINIAN. *Qui non litigat, coelebs eſt;* quod verum lepidumque dictum ERASMVS merito retulit inter prouerbia, Chil. IV. Cent. II. *Adag.* 35. pag. 933. vbi et plura paria fere loca ex graecis praeſertim poetis, opportune adfert. Sed haec obiter.

[b]) PERS. *Satyr.* III. 103. ſeqq. ubi vid. CASAVB. in *Comment.* p. 133. ſq. item CVIAC. *Obſervat. Iur.* Lib. III. Cap. 23. pag. 128. et fuſius KIRCHMANN. de *Fun. Rom.* Lib. I. c. 12. pag. 65. ſeqq. et Lib. II. Cap. 7. pag. 102. ſeqq. item DOVGTAEI *Analect. ſacr.* Part. I. *Excurſ.* CXV. pag. 196. ſeqq. ubi plura. [c]) DIOD. SICVL. Lib. IV. p. 303. T. I. PLVTARCH. in *Theſ.* p. 5. Tom. I. [d]) DIODOR. SIC. Lib. XX. p. 458. Tom. II.

§. III.

Erant porro fixi, immobiles, mobiles, penſiles, exemtiles, portatiles, plicatiles, *Galilaei* vulgo dicti, (ſed male, de quo pauca infra, in Not. [e]) lati, anguſti, alti, ſcanſiles, pedibus, aut fulcris inſtructi, humiles, plani, depreſſi, averſi, adverſi, duri, molles, faſciis, loris, funibus ac vinculis, catenis, argenteis etiam, adornati, aperti, operti, leves ac graves.

§. IV.

Forma vero ipſorum ac ſtructura ab initio quidem ſimplex erat, rudis, impolita, ex quovis ligno vili obvio, imo, vimine, alga, ſarmento, aut arundinibus, more *Aſhiaco* [f]) aut *Soterico* [g]) utcunque parata, atque deinde foliis tantum, gramine, foeno, palea, ſtipula, ſtramine, ceſpite, aut denique pellibus ferinis, aut hoedinis ac caprinis, ad quieſcendum, inſtrata et intecta. Quo et inprimis pertinent Lecti illi viles, parvi et humiles, *Punici*, *Punicani*, aut *Carthaginenſes*

A 2 *thaginenſes*

[e]) Non enim *Galilaei* dicti ſunt iſti Lecti, quod in ſola *Galilaea* fabricarentur, ut nonnulli doctorum haud docte ſatis, putarunt: Sed Lectus ejusmodi Galilaeus vocabatur potius מטה גללניתא, *Mitah-Gelalenitha*, hoc eſt lectus complicatilis, portatilis, et ad convolvendum et complicandum, aptus et accommodatus, nempe a notiſſimo verbo גלל, *Galal*, convolvit, involvit, complicavit. Poterant enim eiusmodi Lecti per partes, commode complicari, et inde ab uno quidem loco, in alterum facile transferri: ut probe obſervarunt BVXTORF. *Lex. Chald.* et *Thalmud.* pag, 437. PAGNIN. *Theſaur. Lingu. ſanct.* p. 395. OTHO *Lex. Rabbin. philol.* pag. 322. SCHINDLERVS et alii plures. De ipſo autem verbo גלל, et inde derivatis vocibus variis, quorſum et ipſa pertinet *Galilaea*, ceu notum, vid. R *Maimonides, More Nevochim* Part. III c. 4. pag. 339. Sed de his nunc ſatis.

[f]) HORAT. *Epiſt.* V. Lib. I. ubi vid. BENTLEII *Obſ.* p. 559.

[g]) GELLII *Noct. Att.* Lib. XII. Cap. II. ubi vid. *Not. Var.* pag. 104 et TVRNEB. *Adverſ.* I, 18. p. 20. item PETR. NANNII *Miſcell.* L. V, c. 18. p. 1285. apud GRVTER. *Lampad. Crit.* T. I.

thaginenſes dicti, de quibus vid. PLIN. Lib. XXXIV. cap. XI. SENECA, Ep. XCVI. ISIDOR. Lib. XX. et inprimis VALER. MAX. Lib. VII. cap. 5. 1. ibique *Varior. Not.* in Edit. ABRAHAM. TORRENII, pag. 667. item maxime CICERON. *Orat.* pro MVRENA, cap. 75. pag. 2056. Tom. IV. p. II. Verburg. Inde notum illud poetae:

Nec pudor, in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Nec foenum capiti ſuppoſuiſſe, fuit.

Et ſcitum illud IVVENALIS [h]) de ſaeculo aureo, effatum:

Silveſtrem montana Torum cum ſterneret uxor
Frondibus, et culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus.

Quorſum et reſpexit SENECA [i]): *Nihilo miſerior ero, ſi laſſa Cervix mea in manipulo foeni adquieſcet, ſi ſuper circenſe tomentum, per ſartu-ras veteris lintei effluens, incubabo.* Qualia fere de ipſo etiam Catone grauiſſimae auctoritatis et dignitatis Viro, cum laude, enarrat VALERIVS MAXIMVS [k]).

§. V.

[h]) *Satyra* VI. init. ubi vid. *Varior. Not.* apud HENNINIVM. Conf. huc et ETYMOLOG. MAGN. diverſis vocibus, varii generis Lectos ſignificantibus pag. 80. 205. 272. 274. 303. et pag. 385. add. HESYCH. SVID. et PHAVORIN. praeſertim BARTH. ad STATII *Silv.* 2. Lib. I. p. 57 ſqq. et Lib. XI. *Adverſar.* cap. 18. pag. 764. ubi plura de paupertate et ſimplicitate Lectorum, apud Veteres: item LVDOVIC. CARIONIS *Emend.* Lib. II, cap. 13. pag. 165. apud GRVTER. *Theſaur. Crit.* Part. II. Tom. III. et DOVGTAEI *Analect. ſacr.* Tom. II. *Excurſ.* XVIII. pag. 27. ſqq. ac MATTH. MARTINII *Not.* ad LVD. VIVIS *Dialog.* XIV. pag. 196. ſqq. Add. ATHENAEI Lib VII. cap. I. pag. 276. ubi de ridiculo illo et perquam madido *Lagenophoriorum* feſto.

[i]) Lib. *de Vita Beata,* c. XXV.

[k]) Lib. IV, c. III, Sect. XI. ubi legitur: *Tam illuſtris Vir pellibus hoedinis, pro ſtragulis, utebatur.* ubi vid. reliqua.

§. V.

Sed non omnibus profecto tam aequa modeſtae frugalitatis et continentiae fuit ſententia: quin potius iam ipſius CATONIS et CAESARIS, praeſertim vero SENECAE, ſiue NERONIS, aevo, prodigus nimis, imo prodigioſus luxus in conſtruendis, inſternendis et exornandis Lectis, vehementer invaluerat, praeſertim autem apud Perſas, Medos, Babylonios, ſeu Chaldaeos, et Aegyptios, ut multis allatis Veterum Auctorum locis, praeclare docet BRISSONIVS [l]), a quibus iſta lectualis veluti lues, ſeu luxuries, ut ſic dicam, poſtea tranſiit quoque, imo transvolavit ad molles et delicatos Graecos, et ab his, denique ad ſedulos nimium in Virtutibus ac Vitiis eorum imitatores, ipſos inquam, Romanos. Inde igitur noti etiamnum ſunt ex priſca antiquitate, pretioſiſſimi illi et ornatiſſimi Lecti Pompeiani, Antoniani, Neroniani, Heliogabali, Ael. Verin. et alii, item Mileſii, Siculi et Sybaritici, ut et Polycratis, apud AELIANVM et ATHENAEVM, et ipſius ſapientiſſimi Neſtoris, apud HOMERVM et eundem ATHENAEVM, aliique plures, quos iam lubens praetereo, quo et inprimis pertinet ſumtuoſiſſimus ille profuſiſſimae in omnem luxum Cleopatrae lectus, graphice deſcriptus a LVCANO [m]), PLVTARCHO et aliis: Conf. etiam hic CATVLLVS. [n])

§. VI.

Nimirum ſummo veluti ſtudio, ipſis quoque vilibus alias Lectis *ſumma quaerebantur pretia,* ut PLINIVS [o]) loquitur, dum non

 ſolum

[l]) Lib. II. *de Regno Perſarum,* p. 281. ſeqq. ubi plura de iſto luxu.

[m]) Lib. X. *Pharſal.* Conf. et ATHEN. Lib. XII. cap. 9. pag. 539. de centum illis Lectis pretioſiſſimis, in unico Alexandri M. Tabernaculo ſumma cum admiratione viſentium, ſplendidiſſime diſpoſitis.

[n]) *Epithalam. Thet.* et *Pelei*, et ibi praeter reliquos Interpretes, inprimis IS. VOSSII *Obſ.* p. 195. ſeq.

[o]) Lib. XVI. Cap. 43. Conf. Lib. XXXIII. cap. XI.

ſolum ex pretioſis, peregrinis et odoris Lignis, ut et palmis, cum ipſius Vitae periculo, per mare, petitis, parabantur; ſed et ipſo adeo auro, argento, ebore, gemmis, unionibus, et Teſtudinum Indicarum laminis, ſcienter et ſubtiliter ſectis incruſtabantur et ſplendide undique exornabantur; qui deinde affatim inſternebantur Culcitis, pulvinis, toralibus, tomentis, cervicalibus, byſſinis, ſericis, reticularibus, purpureis, conchyliatis, pluma Cygnorum, anſerum, anatum, perdicum aliarumque molliorum alitum delicata ac molliſſima, aut Mileſiis lanis, pilisve animalium, ut lepuſculorum, cuniculorum, aut murium parthicorum tactu mollium, ut ait SENECA, blandiſſimis, largiter fartis, et veluti *ventoſe tumentibus,* ut ſcite loquitur APVLEIVS [p]). Quibus porro adiiciebantur variae veſtes ſtragulae, ſeu tapetes, ſtromata, periſtromata, ſeu operimenta varii pretii, coloris, veluti purpurei, aurei, argentei, floridi, variegati, variaeque denique materiae, ut lini, byſſi, ſerici, pellium peregrinarum pretioſarum, et ſimilium. Quibus denique cunctis, ad maiorem ſcilicet ipſi Lecto ſplendorem ac dignitatem conciliandam, ut et matutinos nimium ſolis radios, ſordidos pulveres, et ſonoros culices arcendos, circumiiciebantur plerumque ſplendida ac magnifica Aulaea ac Conopea, etiam ſaepius a remotis Indis, Aethiopibus, et Aegyptiis damnoſe petita, pulcherrime acu picta, aureis argenteisque filis ſcite intertexta, gemmis quoque atque margaritis ſuperbe diſtincta et interiecta. Tandem vero, ne quid inſano luxui laſciviae et libidini deeſſet, Roſis quoque, interdum et feris, et e longinquo, cum periculo et diſpendio, petitis, aliisque pulcris floribus plantisque ſuaveolentibus, item et pretioſis odoramentis, unguentis, balſamis ac Liquoribus, ipſi Lecti conſpergebantur et irrigabantur, ut non ſolum ex HOMERO, ATHENAEO, THEOPHRA-

STO,

p) Lib. X. *Metamorph.* pag. 225. ubi plura in *Not.* PRICAEI pag. 623. it. ad Lib. II. pag. 105. conf. HVET. *Demonſtr. Evangel.* prop. IV. pag. 303. ſeqq. et IAC. GEVS, *Exercit. philol.* Sect. I. pag. 95. ſeqq. copioſe.

STO, PLINIO, CLEMENTE ALEX. [q]) et aliis notum eſt; ſed et ex ipſis *Proverbiis Salomoneis* [r]), ſatis conſtat.

§. VII.

Haec igitur omnia ſummo brevitatis ſtudio, a nobis hucusque tractata, atque extremis tantum digitorum apicibus, veluti contrectata, nunc facillimo quidem negotio, fuſius et luculentius demonſtrari et uberius confirmari poſſent, cum ex ipſa Scriptura Sacra, (e. c. AMOS, VI, 4. ubi vid. GROT. et alios Interpret. item CVPER. *de Elephant.* Exercit. I. Cap. XI. p. 95. ſeqq. apud SALLENGRE, T. III. *Theſ. Ant. Rom.*) ut et PHILONE IVDAEO [s]) et ipſis patribus ſic dictis Graecis, IO. CHRYSOSTOMO [t]) BASILIO MAGNO, GREGORIO utroque NAZIAN. et NYSSENO, aliisque, ut et Latinis, AVGVSTINO, ARNOBIO et al.; tum et Auctoribus potiſſimum profanis, uti HOMERO [u]), HERODOTO [x]) XENOPHONTE [y]), DIODORO SICVLO [z]), item PLINIO [a]), SVETONIO [b]) APVLEIO [c]) IAVOLENO,

[q]) Lib. II. *Paedagog.* Cap. 3. p. 161. et c. 9. p. 184. et c. 8. p. 177. Conf. *Opuſcul. noſt. Med. philol.* T. I. pag. 279.

[r]) Cap. VII, 16. 17. ubi vid. GEIER. LORIN. LEIGH. SCHVLT. et al. item STVCK *Antiq. Conviv.* L. II. c. 34. p. 269. ZORN. *Bibl. Ant. Exeg.* T. I. pag. 556. DIETERICI *Ant. Bibl.* V. T. p. 624. ſeqq. ZACH. BOGANI *Homer. Hebr.* pag. 59. PASCHAL. Lib. III. *de Coron.* cap 6. p. 152. et alios plures.

[s]) Lib. *de Special. Legg.* p. 596. et Lib. *de Vita Contemplativa*, p. 693.

[t]) Tom. VI. in *Vet. Teſt.* pag. 542. et pag. 655. et alibi ſaepiſſime, add. et inprimis ſupra laudat. GREGOR. NAZIANZENI *Orat.* XVI. p. 249. Tom. I.

[u]) *Odyſſ.* III. VII. it. XI. XIX. etc. et *Il.* XXIV. 645. ſeq. ubi vid. EVSTATH.

[x]) Lib. IX. et alibi. [y]) Lib. VIII. *Cyropaed.* et paſſim.

[z]) Lib. XVII. et alibi. [a]) Lib. XXXIII, cap. XI. et Lib. XXXVII. c. 5.

[b]) In IVL. CAES. c. 49. et CALIGVL. c. 32.

[c]) Lib. II. *Metamorph.* et Lib. X. p. 225.

LENO, PAVLO et VLPIANO, in ipſis *Pandectis* [d]), atque aliunde: niſi hic, ceu Medici, aliud plane ageremus; praetereaque nobis dudum ferias quaſi feciſſent IOANNES ALSTORPHIVS [e]), FEITHIVS [f]), PFEIFFERVS [g]), PRICAEVS [h]), BARTHIVS [i]) BRISSONIVS [k]), LIPSIVS [l]), magis vero MEVRSIVS [m]), et KOBIERZYKIVS [n]), RADERVS [o]), KIPPINGIVS [p]), HERALDVS [q]), TVRNEBVS [r]), CHIMENTELLIVS, ex parte [s]), ZORNIVS [t]) PITISCVS [u]) atque nonnulli alii; quorſum et praecipue pertinet ipſe magnus CASAV-

[d]) Vid. L. 100. ff. *de Legat. et Fideic.* §. 4. et L. 3. ff. *de Supell. leg.* princ. et §. 3. denique L. 19. ff. *de aur. arg. etc. legat.* §. 8. et ibi *Commentar.* conf. BARTH. Lib. XLVII. *Adverſar.* cap. 7. pag. 2198. ſeqq. et HIERON. MAGII *Miſcellan.* Lib. II. c. 7. p. 1377. *Theſaur. crit.* GRVTERI, Tom. II.

[e]) Tract. *de Lectis et Lecticis Veterum.* [f]) *Antiquit. Homeric.* Lib. II, c. 8. p. 246. ſq.

[g]) *Antiquitat. Graec.* L. IV, c. 31. p. 681. ſeqq.

[h]) *Comment.* ad APVLEI. *Met.* pag. 30. item pag. 105. et pag. 623.

[i]) *Comment.* in PAPIN. STAT. I. *Silv.* pag. 57. et ad II. *Theb.* p. 313.

[k]) Lib. II. *de Regn. Perſ.* pag. 281 ſeqq. [l]) Lib. III. *Antiq. Lect.* c. I. pag. 144. ſeqq.

[m]) Lib. *de Luxu Romanor.* cap. X. p. 41. ſeqq. [n]) Lib. *de eodem Luxu Rom.* L. II. c. 10.

[o]) *Comment.* ad MARTIAL. L. II. p. 44. [p]) *Antiq. Rom.* L. IV. c. 3. p. 461. ſeqq.

[q]) *Comment.* ad MARTIAL. II, 82. pag. 79.

[r]) *Adverſar.* Lib. XXIV. c. 4. et L. XIII, c. 14. add. PETR. NANNII *Miſcell. Crit.* Lib. II, cap. 6. p. 1247. ſq. apud GRVTER. *Lampad. Crit.* Tom. I. et exinde IO. WEITZII *Not.* ad TERENTII *Heautontim.* pag. 404. et ad *Adelph.* pag. 535. item DOVGTAEI *Analect. ſacr.* Part. I. *Excurſ.* CIV. pag. 179. ſqq.

[s]) de *Honore Biſellii,* Cap. XXIV. pag. 125 ſeqq. et alibi paſſim.

[t]) *Bibl. antiq. exeget.* Tom. I. p. VI. part. 556. ſeqq. [u]) *Lexic. Antiq. Rom.* Tom. II. p. 28. ſqq.

CASAVBONVS, cuius dudum promiſſus [x]) abſolutiſſimus haud dubie Tractatus *de Lectis Veterum*, nunc incredibile prorſus nobis iniicit deſiderium, quum omnis nempe ſpes tanti Theſauri unquam impetrandi poſt tam ſpatioſum temporis elapſi intervallum, heu! penitus evanuerit.

§. VIII.

Quorſum et inprimis pertinent, et diligenter ſunt conferendi, qui data quidem opera, de Veterum Tricliniis, et Lectis tricliniaribus perquam ſedulo olim ſunt commentati, quales potiſſimum commendari hunc quidem in finem, utique merentur PETRVS CIACCONIVS, ipſiusque Commentator et Continuator, FVLV. VRSINVS [y]), BVLENGERVS [z]), ANDREAS BACCIVS [a]), CASALIVS [b]), STVCKIVS [c]), NICOLAI [d]), LAVRENTIVS [e]), atque alii, laudati iam a laudato ſupra ALSTORPHIO [f]) aliisque Antiquitatum Scriptoribus: quibus, ſi quidem veluti purpureo paludamento, ceu tenuem

[x]) Nempe in Comment. ad SVETONII *Aug.* Cap. 73. pag. 235. et pag. 393. T. I. *Edit. Burmann.* ubi plura: conf. CASAVB ibid. ad c. 78. p. 244. et HOFMAN. ad GALEN. de *uſu part.* III, 2. p. 38.

[y]) *de Triclin. Vett.* [z]) *de Conviviis*, Lib I. Cap. XXX. ſqq. [a]) *de Conviv.* Lib. I, Cap. 8. ſeqq. [b]) *de Conviv.* Cap. I.

[c]) *Antiquit. Convival.* L. II. cap. 31. p. 270. ſeq. [d]) *De Subſtrat. Veſtium*, cap. IX. p. 124. ſeq.

[e]) de *Conviviis*, cap. 1. ſeqq.

[f]) Cap. XV. p. 135. ſeqq. *de Lect. Veterum*, add. HENR. VALES. ad AMMIAN. MARCELL. Lib. XVI. p. 112. et TAVBMANN. ad PLAVTI *Stich.* pag. 1120. item FERRARII Lib. I. *Elector.* cap. 23. p. 85. ſeqq. ut et IOS. SCALIGERI *Caſtigat. ad* FESTVM, pag. 143. et *Not.* ad CATVLLVM pag. 94. item IAC. GVTHER. *de offic. dom. Auguſt.* Lib. III. cap. 29. p. 596. apud SALLENGRE, Tom. III. *Theſ. Nov. Antiq. Romanarum*, confer. *Analecta Convival.* ibidem, pag. 728. et pag. 733. ſeqq. ut et DOVGTAEI *Analect. ſacr.* Part. I. *Excurſ.* LXXXV. pag. 147. ſeqq.

tenuem et protritam laciniam, addat demum, cui volupe, noſtras *Obſervat. Crit.* Lib. III, cap. XVI. pag. 222. ſeqq. et quos ibi laudavimus Auctores complures.

§. IX.

Tantam nimirum Curam, ſtudium ac diligentiam impenderunt iſti Auctores omnes, modo a nobis producti, in deſcribendis, explicandis et illuſtrandis iſtis quidem Lectis tricliniaribus, et apparatiſſimis ſimul epulis, quibus nempe corpus nimium onuſtum, ad varios Morbos ſuſcipiendos, ſenſim diſponitur, et ante diem, nimis mature, ad Mortem, veluti Victima haud diu victura, ſaginatur, *σιτία καὶ ποτὰ καθάπερ θρέμμασιν ἐπὶ σφαγὴν, αὐτῷ δίδοται*, ut eleganter ait PHILO IVDAEVS [g]), *Multos enim Morbos multa fercula fecerunt*, ſapienter inquit SENECA [h]): *Vide, quantum rerum per unam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria, terrarum marisque vaſtatrix! neceſſe eſt itaque, tam diverſa inter ſe diſſideant, et hauſta male digerantur, aliis alio nitentibus, has ergo voluptatum uſuras pendemus, ultra modum fasque concupitarum, innumerabiles eſſe Morbos ergo non miraberis: Coquos numera*, imo numera Triclinia. Hinc maxima utique eſt differentia Medicum inter, atque Coquum: Ille enim ipſius diaetae ſimplicitate et bonitate, Morbos arcet a corpore: Hic contra, diaetae varietate et pravitate, Morbos arceſſit ad Corpus, et per diverſorum ciborum ſibi ſaepe contrariorum et repugnantium, ac condimentorum varii ſaporis, invitamenta, multa Morborum et Malorum irritamenta Corporibus male firmis infert, id quod praeter HIPPOCRATEM ipſum et CLEMENTEM ALEX. [i]) egregie plane obſervavit laudatus PHILO IVDAEVS [k]).

§. X.

[g]) In FLACC. p. 766. [h]) *Epiſt.* XCV. [i]) Lib. II. *paedagog.* cap. I. p. 140.

[k]) Lib. *de Ioſepho*, pag. 418. add. IO. CHRYSOST. *Hom.* XII. p. 655. ſeqq. Tom. VI. opp. *de diverſ. V. et N. T. locis*, et paſſim alibi, ut oſtendimus multis, Tom. IV. *Poemat.* pag. 441. ſeqq. in *Not.* conf. et

§. X.

De *Lectis* e contrario *Aegrotorum*, in quibus illi decumbunt ibique dolores ſaepius leniunt et mitigant, et denique reſaneſcunt, nemo, quod equidem ſciam, ex inſtituto, hucusque accurate tractavit, quum tamen res maximi utique ſit momenti, et ipſa diverſa Lectorum conditio ac praeparatio multum omnino conferat, ad ipſam tutam, citam ac iucundam ipſorum Morborum Curationem, vt alibi iam a nobis monitum, atque tum ſimul promiſſum, nos de hoc ipſo arduo, utili et amoeno argumento, aliquando data quidem opera, plenius planiusque acturos [l]).

§. XI.

Etſi enim haud prorſus defuerunt ex Medicis ſolertioribus, qui ad hanc ipſam quoque eximiam ac neceſſariam Medicinae Clinicae partem, curioſam ſcilicet et ſolicitam Lectorum pro aegrotis, ordinandorum Curam interdum paulo attentius reſpicerent, uti nempe HIPPOL. GVARINONIVS [m]), NICOLAVS PISO [n]), LEON-

 HARD

et GREGORII NAZIANZENI *Orat.* XVI. ſupra laudat. pag. 249. Tom. I. et PLVTARCH. *Sympoſ.* Lib. VIII. *Quaeſt.* 9. pag. 578. Edit. Graec. *Xylandrinae*, et paſſim alibi, praecipue in *praeceptis ſanitatis*, per totum. Sic voce, ſono, et ipſa quoque re, frequentiſſime, inter ſe coniunguntur *Epulatio et Eiulatio*, *Dapes* ac *Tabes*, *Fercula* et *Febricula*, *Tubercula* ac *Pericula*, *Epidorpides* ac *Torpores*, et *Turpitudines*, *Macellum* ac *Macies*, *Crapula* et *Capulus*, *Dolia*, *Dolores* ac *Dolones*, *Pocula* et *Loculi*, *Paterae* ac *Pathemata*, *Culina* et *Ruina*, *Carnes*, *Carus* ac *Caries*, *Cupediae* atque *Epicedia*, *Vinum Vitis* ac *Finis Vitae*, et plura id genus alia, quae ſtudio iam omitto, praeſertim autem multa graeca, acutiſſime dicta, ne nimis forſan hic argutari aut paronomaſiis ſupra modum ludere ac laſcivire nonnullis contractioris frontis Catonibus, aut Timonibus, fortaſſis videamur.

[l]) *Append.* ad Lib. *de pleuritide*, pag. 167. ſeqq. et pag. 178.

[m]) de *Cauſſis ſanitatem deſtruentibus*.

[n]) Tract. *de cognoſcend. et curand. Morbis*, Lib. I. et III. paſſim. per totum illud opus.

HARD. FVCHSIVS [o]), LAZ. RIVERIVS [p]), SCHOLZIVS a ROSENAV [r]), BONETVS [q]), IO. MATTH. de GRADI [s]), ROD. a CASTRO [t]), BALLONIVS [u]), MANARDVS [x]), SOLENANDER [y]), ANDR. ARGOLVS [z]), HERMES TRISMEGISTVS dictus, per BODERIVM primum editus [a]), HENR. PETRAEVS, PERDVLCIS, ANTON. VALETIVS, et qui hos ipſos laudat, laudatiſſimus noſter SCHNEIDERVS [b]), DVRETVS [c]), VALLESIVS [d]), SYDENHAM [e]) BOERHAAVIVS

o) Lib *de curandi Ratione.*
p) *prax. Med.* Lib. XVII. et ſeqq.
q) *Conſil. Med.* paſſim.
r) *Mercur. compitalit.* Lib. XIX. et alibi in ſq.
s) Tract. *de febribus.*
t) Lib. II *de Morb. Mulier.* et L. VI.
u) *Conſil. Med.* Tom. III. opp. et *Definit. Medic.* pag. 53 ſeqq. Tom. I.
x) *Epiſt. Med.* IV. Lib. X. pag. 223. et paſſim in ſeqq.
y) *Conſil. Med.* ſect. II.
z) *de dieb. crit. et Aegror. Decubitu,* Lib. II.
a) *de decubitu Infirmorum,* conf. MERCKLIN. *Lindan. Renov.* p. 101.
b) Lib. *de Apoplexia,* cap. XXII. pag. 804. quem ipſum inprimis diligenter conf. L. V. *de Catarrhoſorum Diaeta,* cap. 6. Sect. I. p. 235. ſq. 245. ſeqq. et 254. ſqq. uſque ad finem, ubi de diverſo aegrotorum ſitu commodo, aut incommodo, item et de diverſis eorum Lectis, ſtragulis et operimentis, pro diverſa nempe ipſorum Morborum ratione, ſolide, docte et copioſe, pro more ſolito, in utramque partem, diſputat, et tandem iſtam controverſiam acrius olim agitatam graviter ac ſapienter dirimit ac placide componit. Conf. et PASCHETTI Tract. *de Deſtillatione,* ſeu *Catarrho,* paſſim.
c) *Comment.* in *Coac.* HIPP.
d) *Comment.* in HIPP. *Epid.* VI. ſect. 8. pag. 756. et alibi, ubi et conferendus inprimis ipſe GALENVS, in *Comment.* in iſtum HIPPOCRATIS Lib. VI. *Epid.* pag. 499. Tom. IX. *Opp.*
e) vid. ille, *de Variolis, Febre contin. pleuritide, Angina, Rheumatiſ. Ictero,* et paſſim alibi.

VIVS [f]), SWIETENIVS [g]), RVDOLPH. IAC. CAMERARIVS [h]), FRID. HOFFMANNVS [i]), AVG. QVIR. RIVINVS [k]), IO. BOHNIVS [l]), WEDELIVS [m]), DOLAEVS [n]), et deniqve, qui ex his omnibus plurimum profecit, IO. MICH. ADOLPHI [o]). Hi tamen praeſtan-

tiſſimi

f) *prax. Med.* Tom. IV. pag. 29. Tom. V. pag. 81. et p. 375. et al.

g) *Comment.* in BOERHAAV. Tom. II. pag. 155. et pag. 370, Tom. III. pag. 235. et p. 326. et Tom. V. pag. 619. ſeqq.

h) Binis Diſſertat, *de aegror. Decubitu,* Tubing. 1700. et 1701. editis, ſed mihi nondum viſis.

i) Diſſert. *de ſitu erecto, ſaepe valde noxio,* Tom. VI. opp. p. 169. ſeq. et *in Med. Rat. ſyſtemat.* paſſim.

k) diſſert. *de ſitu Aegrorum commodo,* pag. 931. ſeqq. *Syllog. Diſſert. Rivinianarum.*

l) *de offic. Med.* part. I. cap. 4. pag. 78. et inprimis cap. 20. p. 374. ſeq.

m) *Amoenitat. Mat. Med.* Lib. II. ſect. II. cap. 6. p. 353. ſeqq. et paſſim.

n) *Encyclopaed. Med.* part. I. L. I. c. 10. p. 169. et L. III. c. 15. p. 756. et aliis ibidem locis.

o) Diſſertat. ampliſſ *de Aegrotantium Conclavi,* quae eſt XIV. in iſta *diſſertat. Adolphin. ſylloge,* pag. 630. ſeqq. ubi vid. praeſertim §. §. § XXII. XXIII. XXIV. ſeqq. pag. 689. ſeqq. uſque ad pag. 704. quae maximam quidem partem, ex PISONE et aliis tranſumta. Ceterum hic maxime mirum, quod Celebr. ille IVLIVS CAESAR CLAVDINVS, in duobus iſtis Libris, *de Ingreſſu ad Infirmos*, ſat diligenter alias et egregie conſcriptis, nullam plane mentionem fecerit *de ordinandis et inſtruendis Aegrotorum Lectis.* De quo tamen argumento, ipſi in iſto quidem opere, potiſſimum agendum erat, ut quivis opinor, protinus fatebitur, qui Librum ipſum diligentius inſpexerit, et iſtam *de Lectis*, Tractationem, pro ſpe ſua, iam praecepta, certiſſime ibi quidem inveniendam, fruſtra tamen, non ſine indignatione, quaeſiverit. Interea tamen quaedam, etſi pauca, protulit idem CLAVDINVS in alio Tractatu, *de Catarrho*, pag. 668. ſeqq. ubi de diverſo Catarrhoſorum decubitu, admodum parce tractavit, de cuius ſententia ibi propoſita, ampliſſimam, pro ſolito more, diſceptationem inſtituit Celeb. noſter

tiſſimi Medici, fere omnes, quantum mihi quidem conſtat, plerumque in tranſitu ſolum, et aliud veluti agendo, in uno tantum alterove morbo, ad curam illam lectualem, ſeu clinicam, paulliſper deſcendere, aut properanter tantum divertere dignati ſunt ne ipſo quidem PISONE penitus excepto, licet alias prae reliquis, locos de *Aegrotorum Lectis*, agentes diligentius adnotaverit, Auctoribus quanquam ipſis non indicatis, quod tamen vix approbandum, ut infra paſſim obſervabimus. Nemo vero illorum, quantum nempe hucuſque reſcire licuit, hoc ipſum nobile et ſcitu perquam neceſſarium argumentum ex profeſſo, diligentius ſtudioſiusque tractavit, multo minus autem ex ipſis antiquis Medicis Graecis, Latinis et Arabicis luculentius ac diſertius probavit, aut undique validius et operoſius confirmavit, et ad ipſum uſum practicum ac clinicum utiliter traduxit: quem defectum rei, tanti tamen momenti ac ponderis, ſane non exiguum nos tandem hic, pro ingenii modulo, ſupplere, modeſte auſi ſumus.

noſter SCHNEIDERVS, Lib. V. de *Diaeta Catarrhoſorum*, cap. 6. p. 245. Sect. I. Sed et in altero maiore opere *de Empirica rationali*, idem CLAVDINVS diverſorum aegrotantium Lectorum aliquoties fecit mentionem, ut exempli cauſſa, Lib. III, cap. 17. et alibi paſſim. Haec obiter.

CLINO-

CLINOTECHNIAE MEDICAE ANTIQVARIAE

SECTIO ALTERA SPECIALIS DE

DIVERSIS AEGROTORVM LECTIS.

§. I.

Veteres itaque Medici, tam Graeci, quam Latini, paene omnes, quos reverenter nos venerari omnino decet, diligenter vero imitari, utique oportet, in Curandis ſuis Aegrotis variis, non ſolum ad Culinas, ſeu diaetas, aut etiam ad officinas medicamentarias ordinandas, curam intendebant ſuam; ſed et ſimul ad ipſorum Κλίνας, ſive Lectos, eorumque *ſtratilectilia*, ut ſic cum PARISIO loquar, ſive ſtragula, hypoſtromata, aut operimenta, Lectualia ac Lectaſtrata, imo et ipſa cubicula ac conclavia, eligenda, praeparanda et diverſis modis inſtruenda, ſummam adhibebant diligentiam. Quo in laudabili ſtudio illos deinde ſequuti ſunt Arabum quoque Medici, uti AVICENNA ac RHAZES, aliique, et inter iſtos potiſſimum IANVS DAMASCENVS, ut ex infra dicendis clarius patebit.

§. II.

Medici ergo iſtas aegrotorum κλίνας, ſive lectos, pro diverſorum Morborum ratione et indole, diverſe quoque inſtruentes et inſternentes, iisque deinde diligenter aſſidentes, et cuncta probe obſervantes, prudenterque moderantes ac temperantes, inde vocabantur

bantur Κλινικοὶ, *Clinici* [p]), ſeu *Lectuales* et *Lectuarii*, ut ſic dicam [q]), ipſaque illa duplex Ars, ſeu Medicina practica, dicebatur κλινικὴ ſcil. τέχνη, vel ἰατρεία, ſeu *Clinice*, quam ipſum noſtrum HIPPOCRATEM *primum inſtituiſſe*, commemorat PLINIVS [r]), fruſtra quamvis ibi dubitante et veteris quoque Inſcriptionis perquam candidam ſolidamque fidem more ſolito, (paene durius cum molliore licet litera, dixiſſem aliter,) impugnante, doctiſſimo cetera HARDVINO.

§. III.

Clariſſime enim ex ipſis HIPPOCRATIS ſcriptis undique patet, primum eum, poſt Aeſculapium, quem ipſum *Clinicum* quoque ſcite vocat PRVDENTIVS [s]) et HYGINVS [t]), fuiſſe inventorem et auctorem, qui ipſos aegrotorum lectos ad morborum diverſitatem diverſis quoque modis, caute accommodaret et convenienter adornaret, nihilque, quod circa illos, et aegrotorum decubitus varios, diligentiſſime obſervandum et adnotandum eſſet, intentatum, aut inobſervatum relinqueret, quod et probe perſpexit et ſolide inculcavit iſte ipſius HIPPOCRATIS verus veluti et ingenuus Genius, BALLONIVS inquam, in *Definit. Med.* pag. 54. ſqq. et alibi paſſim et ſaepius, in Opp. omni elogio ſuperioribus et omni

p) vid. MERCVRIAL. *Var. Lect.* L. III. c. 22. p. 74. ſeqq. LIPSII *Epiſt. Quaeſt.* 5. Lib. I. p. 216. *Io.* LANGII *Epiſt. Med.* 51. Lib. I. p. 233. *Dan.* CLERICI *Hiſt. Med.* p. 111. L. I. c. 2. p. 26. SAL. CELLARII *Antiquit. Med.* p. 25. BARCHVSEN *Hiſt. Med.* dial. I. p. 5. et 7. VINCK *Amoenit. philol. Med.* p. 99. ſeqq. LAVRENBERG *Antiquar.* pag. 88. DILHERRI *Diſſ. philol.* 12. Tom. I. p. 396.

q) Vid. CANGII *Gloſſ. Lat.* T. II. p. 695. et Tom. IV. pag. 102. ubi plura.

r) Lib. XXIX. cap. 1. s) *Apotheoſ.* v. 205.

t) *Fabul.* cap. CCLXXIV. pag. 328. ubi vid. THOM. MVNCKER. et SCHVLZ. *Hiſt. Med.* pag. 86.

omni auro praeſtantioribus. Sic namque graviſſime praecipit Medicis [u]): Ἐγκέφθαι δὲ χρὴ καὶ τὰ περὶ ἀνακλίσεων, *Maxime vero conſiderare oportet ea, quae circa varios decubitus obſervanda potiſſimum occurrunt,* ubi vid. reliqua, in ſequentibus, quae huc maxime ſpectant. Alibi [x]) quoque reſpiciendum eſſe inprimis monet ad κλίνας, ἢ κοίτας, *lectos* et *ſpondas.* Luculentius autem ac diſertius de his diverſis Lectis tractat Libb. *de Diaeta* [y]) item Lib. *de diaeta ſalubri* [z]), Lib. *prognoſt.* [a]) nec non Lib. *de Intern. Affect.* [b]) potiſſimum vero Lib. *de Victu Acutor.* [c]) ut et Lib. *de Superfoet.* [d]) Lib. *de Foetus Exſect.* [e]) et tandem, ut aliquando finiam, licet plura adhuc ſuperſint, Lib. *de Articulis* [f]), Lubens vero ſciensque, tanquam incertum, licet veriſimile, illud iam praetereo, quod HIPPOCRATES noſter mox in limine *Aphoriſmorum*, et *Epid.* VI. Sect. II. inter τὰ ἔξωθεν, a Medico diligenter obſervanda, tacite quaſi, etiam commendaverit, et potiſſimum intellexerit ipſos aegrotorum Lectos ac decubitus, prout poſt GALENUM, cenſent HEURNIUS, BALLONIUS, DURETUS, et alii Commentatores, et ipſe denique DIETERICUS [g]). Hoc autem

[u]) Lib. *de decent. Ornat.* pag. 58. Tom. I. Opp. Conf. FOESII *Oecon.* binis Locis.

[x]) Lib. VI. *Epidem.* pag. 809. et pag. 820. ubi Conf. VALLES. *in Comment.* pag. 756. et paſſim in ſeqq.

[y]) vid. Lib. III. pag. 243. et pag. 263. etc. T. I.

[z]) Tom. I. pag. 628. [a]) Tom. I. pag. 450.

[b]) Tom. II. pag. 206. et ſeqq. item pag. 266. et Lib. II. *de Morb.* p. 53. Tom. II. eodem.

[c]) pag. 286. et inprimis pag. 305. et paſſim. T. II. [d]) Tom. II. pag. 648.

[e]) Tom. II. pag. 663. et pag. 481. ubi vid. MAUR. CORDAEI *Comment.* apud SPACH. *Gynaec.* pag. 679. ſeqq. et WELSCH. *Cur. Med.* 3. Dec. VIII. pag. 474.

[f]) Tom. II. p. 845. ubi vid. GALEN. et *Chirurg. Vett.*

[g]) *Iatr. Hippocrat.* p. 442.

tem paullo certius videtur, ad illam περὶ τὸν νοσέοντα οἰκονομίην, ſeu ſedulam et accuratam circa ipſum aegrotum, adminiſtrationem ac gubernationem, cuius alibi meminit HIPPOCRATES [h]) et ſaepius GALENVS, ac SYNESIVS [i]) potiſſimum quoque pertinere officioſam et accuratam diverſorum Lectorum et operimentorum Curam et Ordinationem.

§. IV.

Sed non Medici ſolum *Clinici* vocabantur, verum et ipſi aegroti eodem, quamvis moeſto et moleſto, honore afficiebantur, ut nempe *Clinici* [k]) ſeu *Lectuales, Lectuarii* et *Grabatarii* [l]), dicerentur, cum ii, quibus nondum omnis convaleſcendi ſpes evanuerat; tum illi etiam, qui ſenſu eccleſiaſtico, pro depoſitis iamiam et conclamatis, atque ideo baptizandis, aut rectius loquendo, tantum ſuperfundendis, habebantur, de quibus autem hic nullus dicendi locus [m]).

Non

h) Lib. VI. *Epidem.* ſect. II. pag. 802. conf. FOESII *Oecon.* et ipſum GALENVM in *Comment.*

i) Lib. *de Febribus*, p. 82. p. 88. ſeqq. et pag. 192.

k) Vid. inprimis ANDR. BOSII Diſſ. *de Clinicis Vet. Eccleſ.* cap. I. per totum; SALMAS. ad *Hiſtoriam Aug.* Tom. I. pag. 201. SCALIG. *Lect. Auſon.* II, 4. pag. 137. DILHERR. *Diſſ. phil.* T. I. p. 39[illegible] CELLAR. *Ant. Med.* p. 25. CANGII *Gloſſ. Lat.* Tom. II. p. 695. et plures ſupra citat. quibus praeſertim add. S. CYPRIANI *Epiſt.* LXXVI. pag. 256 ſeqq.

l) vid. laudati CANGII *Gloſſar. Lat. Med. et Inf. Latinit.* Tom. II. p. 695. ſeqq. et Tom. IV, pag 102. ut ſupra.

m) vid. interim CANG. loc. cit. pag. 696. et quos ibi laudat Auctores plures. Confer. T. VI. p. 870. item HENR. VALES. ad EVSEB. *Hiſt. Eccleſ.* Lib. VI. c. 43. p. 134. ubi plura: praecipue autem CYPRIANI citat. *Epiſt.* LXXVI. pag. 255. ſeqq. quae tota huc ſpectat. Ipſe vero memorabilis ille EVSEBII locus hic eſt, de NOVATO ſcil. p. 244. Νόσῳ περιπεσὼν χαλεπῇ, καὶ ἀποθανεῖσθαι ὅσον οὐδὲ πω νομιζόμενος, ἐν αὐτῇ τῇ κλίνῃ, ᾗ ἔκειτο, περιχυθεὶς ἔλαβεν· εἴγε χρὴ λέγειν, τὸν

Non vero κλινικοὶ ſolum appellabantur, fruſtra licet dubitante MERCVRIALI; ſed et κλινοπετεῖς, item κατακλινεῖς, et κλινήρεις [n]) ut et interdum αἰνόλεκτροι [o]), αἰνολεχεῖς, πικρόλεκτροι, καὶ κακόλεκτροι et δυσλεχεῖς, ut alia plura iam taceam. Nimirum ipſe Lectus perquam ambigua, anceps et dubia utique manſio, ac commoda iuxta et incommoda ſedes, et moroſa commoratio eſt aegrotis, dum nempe intra lectos eſſe non volunt, et tamen extra eos eſſe, non valent:

Tantaque ſunt miſeris inviſi taedia Lecti,

ut OVIDIVS ait [p]). Inde recte vereque apud EVRIPIDEM [q]) iudicavit Electra:

 Ἰδὲ

τὸν τοιοῦτον εἰληφέναι: *in morbum graviſſimum delapſus, dum iamiam moriturus creditur, in ipſo, in quo iacebat, Lecto, perfuſus, baptiſmum ſuſcepit; ſi tamen huiusmodi baptiſmum ſuſcepiſſe, dicendus ſit.* Sed ſatis.

n) vid. SALMAS. l. c. p. 201. copioſe, MERCVRIAL. Var. Lect. L. III. c. 22. p. 75. DILHEKR. l. c. BOSIVS, et alii ſupra laudati: inprimis FOESII *Oeconom.* pag. 207. voce κλινοπετής.

o) Quae vox elegantior. apud AESCHYL. *Agamem.* reddenda videtur IVSTINO MART. *Orat. ad Graec.* p. 135. Edit. Oxon. HVTCHIN. 1703. cum *Not. Var.* ubi Paridis Helenae raptoris, epitheton vulgo legitur λεπροῦ ποιμένος, *paſtoris leproſi*, quod foedum utique eſt et vere leproſum. Inde diverſas hic emendationes certatim protulerunt STEPHANVS, CASAVBON. SYLBVRG. POTTERVS et alii, quae ibi legi et expendi poſſunt. Sed meo quidem qualicunque iudicio, praeſtat forte, legere, ut dixi, αἰνολέκτρου, auctoritate praeſertim ipſius AESCHYLI, et LYCOPHRON. vel etiam, δυσλέκτρου, quod nempe idem ſignificat, ceu notum. Sed haec obiter. p) L. VII. *Metamorph.* 572.

q) In *Oreſte* Tragoed. v. 239. ubi conf. *ſcholiaſt.* pag. 56. Edit. BARNESII: et DIETERICI *Iat. Hipp.* p. 442. quo et pertinet paullo poſt ibidem ſequens verſus 258. Μέν' ὦ ταλαίπωρ' ἀτρέμα σοῖς ἐν δεμνίοις; *Mane, o Miſer, quietus in Lecto tuo:* quem ipſum verſum opportune citat GALENVS, Lib. I. *de Methodo Medendi*, cap. 2. p. 5. Tom. X. opp. non nominato tamen ipſo EVRIPIDE. Sed haec obiter, data nempe hic ſubito, occaſione.

> Ἰδὲ, φίλον τοι τῷ νοσῦντι δέμνιον,
> Ἀνιαρὸν ὄν τὸ κτῆμ', ἀναγκαῖον δ' ὁμῶς.
> *Ecce! Lectulus eſt charus aegrotanti;*
> *Moleſta quidem poſſeſſio; ſed tamen neceſſaria.*

Nempe tum miſeris aegris Cubile ἀνιαρὸν utique eſt κτῆμα, vel triſte moeſtumque receptaculum, ſeu peculium, vel aſylum, et Lectus ipſe larga luctus eſt materia et occaſio, atque moliſſimum ac plusquam Mileſium Tomentum plumoſum, ipſis ſaepe praebet moleſtiſſimum et veluti plumboſum Tormentum

> *Non ſtratum, non ulla pati velamina poſſunt.*

Tum enim affliςtiſſimo illo rerum ſtatu [r])

> *Nec calidae citius decedunt corpore febres,*
> *Textilibus ſi in picturis, oſtroque rubenti.*
> *Iactaris, quam ſi plebeia in veſte cubandum eſt.*

Hinc, ſapienter iudicante EPICTETO, in *Sentent. Moral.* XXIV. p. 102. ἐπὶ σμικρῦ σκίμποδος θλιβόμενον, ὑγιαίνειν ἄμεινον, ἢ ἐπὶ πλατείας κλίνης καλινδέμενον νοσεῖν: *In parvo Grabato anguſte cubantem, ſanum eſſe, ſatius eſt, quam in amplo Lecto ſe volutantem aegrotare.* Sed talis aerumnoſus potius [s]):

> — — Κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος
> Στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι, κακὸν δ' ἐπὶ κῶμα καλύπτει.

Quod ita imitatus videtur MAXIMVS ille philoſophus et poeta, apud FABRICIVM *Bibl. Graec.* Vol. VIII. Lib. V, c. 25. pag. 424.

Ἢν δέ τις ἄλλη

> Νῦσος κλινοπετῆ τεύχοι βροτὸν, ἐς χρόνον ἄξει
> Ἦσιν, δηρὸν δ' ἂν ἐνὶ λεχέεσσι κλιθείη
> Τηκόμενος δυσρῆσι πανημαδὸν ἐλπωρῆσιν.

§. V.

r) LVCRET. Lib. II. 34. ſqq. et inde HORAT. Lib. I. *Epiſt.* 2. 47. ſqq. add. SENEC. de *provident.* cap. III. *in pluma vigilabit;* conf. QVERCETAN. *Diaetet. Polyhiſt.* ſect. II. c. 9. p. 125.

s) HESIOD. *Theog.* 796. ſeq.

§ V.

Hinc et apud S. IOANNEM [t]), κλίνη et θλῖψις μεγάλη inſigni cum pondere, pro Synonymis ſumuntur, quo ipſo vel ad hos ipſos aegrotorum Lectos moerore et dolore plenos, forſan alluditur, quae et ipſius GROTII eſt ſententia, ita ſcribentis in *Comment.* pag. 155. *Non in Lectum amoris; ſed in Lectum, in quo cubant aegroti,* de quo vid. II. *Sam,* XIII, 56. I. *Maccab.* VI. 8. etc. ſic ergo Lecto luxus et Veneris, in antecedentibus, iuſte nunc in ſequentibus, opponitur Lectus luctus et funeris: vel Graece, τῇ κλίνῃ θρύψεως καὶ τέρψεως ἀντιτάττεται ἡ κλίνη τῆς θλίψεως, Conf. et ZACH. BOGANI *Homer. Hebraiz.* p. 339. et inprimis VITRINGA in hunc locum, pag. 107. Vel ad κλίνας ſimul βασανιστηρίους ἢ κολαστηρίους, quales olim fuere Procruſtis [u]), Agathoclis [x]), et aliorum ſaevorum Tyrannorum, comparatio oblique dirigitur; vel ad igneos denique lectos, ſeu cataſtas, quibus S. Martyres olim per ignem cruciabantur, quae et SCHOETTGENII noſtri erat ſententia [y]), (de quo plura in Martyrologiis, et apud GALLONIVM, BOLLANDVM, RABANVM MAVRVM, et alios,) reſpici, ni fallor, videtur. Sed haec alterius quidem, haud plane diffiteor, loci ſunt; nec tamen, ut ingenue fatear, hoc ipſum noſtrum, quod hic tractamus, argumentum plane dedecebunt.

§. VI.

Quum igitur miſerandis illis aegrotis, praecipue morbo lento ac diuturno affectis, ſaepe, iuſto diutius, in Lectis, ceu carcere in-

 viſo

t) *Apocalypſ.* C. II, 22. ubi vid. WOLF. in *Cur. Phil.* p. 467. et fuſius ZORN. *Bibl. Ant.* T. I. p. 553. ſeqq.

u) DIOD. SIC. Lib. IV. p. 303. Tom. I. et PLVTARCH. in *Theſeo,* T. I. pag. 5.

x) DIODOR. SIC. Lib. XX. pag. 458. Tom. II.

y) In *Horis Hebr.* et *Talmud.* pag. 1099. Tom. I. Conf. DESID. HERALD. ad ARNOB. L. I. p. 26.

viſo et horrido, contra votum ac voluntatem, ſit commorandum: diligenter proinde inprimis providendum erit, ut ceteris quidem paribus; Lectus praeſertim, ipſi Morbo praeſenti ſit commodus, congruus et appoſitus, quo ipſius impetus inde minuatur potius, quam augeatur, et leniatur magis, quem exaſperetur. Neque enim omnia omnibus conveniunt; ſed diverſa potius diverſis; pro cuiuscunque ſcilicet ſingulari natura ac conſtitutione, et ſingulari quoque ipſius Morbi cauſſa et origine. Inde igitur liquidiſſime, opinor, patet, ſecundum ipſam variam naturarum indolem, variamque morborum originem ac ſcaturiginem, variandam quoque ſemper eſſe ipſam medendi rationem, et ipſos quoque Lectos inde mutandos ac variandos. Diverſiſſimae enim iſtae Morborum cauſſae, nimirum frigidae, calidae, humidae, ſiccae, rigidae, laxae, craſſae, tenues, celeres, lentae, acres, inertes, bilioſae, pituitoſae, putridae, alcalinae, acidae, aliaeque plures, ſaepius mixtae, et vix ſatis cognitae, non poſſunt omnino, nec debent una eademque Methodo tractari, aut ſub una eademque culcita tuto recondi ac conſopiri, ut ita loquar, multo minus una quaſi fidelia tot diverſi parietes apte ac concinne dealbari.

§. VII.

Quamobrem prudens, ſolers, peritus atque humanus Medicus ita ſemper ipſos aegrorum Lectos apte et opportune inſtrui et inſterni curabit, ne oneri, horrori ac detrimento ſint ipſis, atque ſic duplici, quaſi flagello ſaeve caedantur, ipſo nempe Morbo, atque deinde ſuperiniectis nimiis ſtragulis, pulvinis ac Culcitis pluma inprimis large congeſta et conſtipata turgidis gravidisque, unde internum incendium non diſſlatur, ſed potius inflatur et inflammatur: ſicque miſerrimi iſti ſaepe dirum illud durumque Imp. TIBERII fatum proprio quidem ſenſu, experiuntur, qui TACITO ac SVETONIO referentibus, *iniectu multae Veſtis* ſaeve *opprimebatur.* Inde ergo minime imitetur crudelem illum et temerarium Medicum PETRONEM,

TRONEM, qui, obſervante CELSO [a]), *Febricitantem hominem multis veſtimentis operiebat, ut ſimul calorem ingentem, ſitimque excitaret: deinde aquam frigidam potui dabat, denique protinus ſuillam aſſatam et vinum.* Qua ſingulari ſua medendi methodo paene ſuilla, ſit venia ioco, hic ferox atroxque Medicus parum profecto gratiae praemiique relaturus fuiſſet a recutitis, praeſertim iudaeis, carnis potiſſimum ſuillae infenſiſſimis oſoribus. Longe ergo ſalubrius, commodius et prceſtantius illud eſt eiusdem CELSI [b]) monitum ac praeceptum: *Etiam amplo conclavi tenendus eſt Febricitans, quo multum et parum aerem trahere poſſit, neque multis ſtrangulandus veſtimentis, ſed admodum levibus tantum velandus.*

§. VIII.

Interim PETRON iſte non ſolus certe ſuo ſaeculo priſco, fuit Medicus, qui miſeros aegros ita ingeſtis undique veſtimentis et ſuperimpoſitis craſſis operimentis, paene ſtrangularet; ſed et noſtris temporibus, et ſuperiore praeſertim ſaeculo, non defuerunt plures eiusmodi novi quaſi Petrones, qui in pernicem generis humani perniciem, eandem medendi, aut rectius, torquendi ac necandi, rationem, omni fere ratione carentem, inconſiderate ſequerentur, et nullo prorſus, inter ipſos Morbos diverſos, facto diſcrimine, tam neceſſario tamen, et nunquam temere omittendo, etiam in ipſis febribus ardentibus, acutis, exanthematicis et ſimilibus, calidis nimium

[a]) Lib. III. cap. 9. pag. 137. ubi maxime conf. MERCVRIAL. Lib. IV. *de Arte Gymnaſt.* cap. 7. pag. 255. item HARDVIN. ad PLIN. L. XXVI. cap. 3. pag. 392. Tom. II. *Opp.* ubi et vid. PLINIVM ipſum, item etiam ALEXANDRVM TRALLIANVM, Lib. XII, cap. 4. pag. 723. et paſſim alibi.

[b]) Lib. III. cap. 7. pag. 134. Conf. HOFFMANNS *Med. Rat. Syſt.* T. IV. p. 114. Tom. II. Opp. ubi egregium hunc CELSI locum ex ipſa praxi, praeclare illuſtrat. Add. inprimis VOGLERI *Diaetet. Comment.* Cap. XXV. p. 179. ſqq. imo per totum.

mium medicamentis internis, et ſuperadditis calidis quoque fomentis, ſtragulis et operimentis plumeis, aut pelliceis externis, ſudorem evocarent, imo adhibitis quaſi ſaevis fidiculis, ſic extorquerent, falſa ſcilicet iſta opinione inducti et funeſto quaſi ſidere afflati, quod iſtud latens in illis quidem febribus, virus malignum unice educendum, abſtergendum et temperandum eſſet per Remedia iſta calidiſſima, intus et extra, diligentiſſime adhibita: Qua vero recepta tunc Methodo ſudorifera, imo rectius peſtifera, id demum effectum eſt, ut deplorandi iſti aegroti paene omnes, ſic probe, aut improbi percocti, imo peraſſati, ut ſic dicam, ac peruſti, ceu votivae Victimae gelidae Morti ſubito traderentur, et ad Orcum nil miſerantem crudeliter mitterentur. Haec igitur *cura illa erat nimis anxia et rudis, ut obruendi aegros veſte, ſudoresque omnimodo ciendi. nunc corpora ad ignes torrendi, ſolesve aſſiduo quaerendi: quam* hinc merito perſtringit PLINIVS, loco modo citato elegantiſſimo.

§. IX.

Sic enim heu! pudet pigetque commemorare, mille et plusquam mille olim mortui, imo occiſi ſunt pleuritici, peripnevmonici, phrenitici, Cardiaci, praeſertim autem varioloſis, morbilloſis, petechizantibus, Catarrhalibus, epidemicis malignis et miliaribus febribus decumbentes, item et maxime ſudore ſic dicto Anglico, ſeu Britannico, novo iſto tetro ac peſtifero morbo, trans mare, olim 1526. in noſtras quoque oras advecto, foede diffluentes, qui nihilominus tum, ex praepoſtero potius, quam proſpero quorundam conſilio, vel inviti, repugnantes et obſecrantes, Lectis tamen denſiſſimis ac calidiſſimis crudeliter includebantur, et inſuper etiam, quaſi illud adhuc parum eſſet, culcitris, pulvinis ac toralibus, craſſis, gravibus, et plumarum undique congeſtarum et conſtipatarum ſarcina arctiſſime ſuffarcinatis, penitus obruebantur, pellibusque ferarum villoſis, et rebus aliis gravibus ac pondus habentibus opprimebantur; impoſiti etiam, nonnunquam transverſo ſitu, ſimul

ipſis

ipſis hominibus ſanis atque validis, craſſis praeſertim ac toroſis, ne aegri ſcilicet ex impatientia, deſperatione ac taedio Vitae, morte ipſa peſſima, ſic longe peioris, artus forte moverent, ipſamque ſtratorum ac ſuperſtratorum molem fortiter amolirentur: clauſis ſimul omnibus rimis ac feneſtris, ne ullus frigidioris ac purioris aurae externae acceſſus anhelis anxiisque pulmonibus indulgeretur; omnique praeterea potu ſitienti et exuſtae gulae ſaeve denegato, et ipſo denique foco lignis flammantibus large inſtructo: obſervante quoque et indignante FORESTO, loco mox infra citando.

§. X.

Sic vero incluſi, onerati, et oppreſſi, non per unam alteramve horam, ſed per integras potius, (nunc probe attendant quaeſo, et exhorreant Lectores!) per integras inquam XXIV. horas, ſub ſtragulis et plumis, plumbo ipſo gravioribus, arctiſſime detinebantur, ut ſcilicet ſic ſtrenue ſudarent, per hoc breve nimirum tot horarum ſpatium, quum tamen quinque, aut ſex, plus minus, forſan ſuffeciſſent. Sed ita profecto miſerrimi iſti ſudabant, et deſudabant, ut nondum decurſo illa XXIV. horarum ſpatio, plerique ipſorum, imo fere omnes, una cum ſudore, ipſam quoque animam ſiccam et exſuccam, ſimul exſudarent, *atque catervatim morbo mortique darentur*, ut LVCRETIVS ait, et ex hoc ignito veluti Perilli tauro, aut candentibus Martyrum Lectis ferreis, in aeternam refrigerationem transmigrarent, ubi, lectis ſuis torrentibus, lictoribusque torquentibus, (ſit venia dicto) in terra relictis, demum cum Vate iſte regio, laeti gaudentesque, proprie exclamare poterant: *Tranſivimus per Ignem, et eduxiſti nos in Refrigerium* [c]).

§. XI.

Ita, commemorante chronographo SCHMIDIO, mox infra laudando, *Zwickaviae*, tum fuit Typographus quidam, nomine Gabriel

c) Pſalm. LXVI. 12.

Gabriel Franzius, qui ipſe ſic, per integras XXIV. horas, probe, aut improbe, deſudaverat, atque interea, Libellum ediderat, in quo hanc ipſam madidam Medendi Methodum ſummopere dilaudaverat. Sed eximio iſto ſcilicet ſcripto vix publicato, primus ipſe fuit, qui aridam marcidamque animam efflaret, atque ſplendidam eximiae iſtius Methodi fidem ſua ipſius morte, firmaret ſcilicet, aut potius frangeret ac labefactaret: *Sic infelix imbuit Auctor opus,* ut ita cum OVIDIO, ſat opportune, ni fallor, loquamur.

§. XII.

Sed et ibidem, eodem quidem tempore, erat pharmacopola quidam, dictus Io. Franckius, qui pariter omnibus civibus impenſe ſuaſerat, ut per continuas XXIV. horas, ſudoribus largiſſimis diffluerent. Et ipſe quidem ſuo ipſius exemplo, illuſtri ſcilicet, illis ſtrenue praeibat, dum eodem fatali morbo ſubito correptus, ſudores iſtos fere intolerabiles, fortiter tamen, per longas illas horas, tolerabat. Verum miſer ille paria etiam cum infelici iſto Typographo, expertus fuit fata, et quidem ſtatim, triduo poſt, atque omnes illos ſimul in exitium ineluctabile ſecum rapuit, quibus humidam illam fumidamque medendi, aut necandi potius, rationem, ſine ratione, heu! fruſtra commendaverat; ceu idem SCHMIDIVS ibidem, memoriae prodidit.

§. XIII.

Quae omnia hactenus longe lateque commemorata fabulae forte Mileſiae, portentoſae ac incredibiles iure videri poſſent: et utinam tantum ſic viderentur, et non potius facta eſſent, quam ficta. Sed contra, haec cuncta ſic re vera accidiſſe, internerata prorſus vetuſtiſſimorum Chronicorum et graviſſimorum Hiſtoricorum fide ac veritate uberrime conſtat [d]). Nec ipſi denique Medici, tam Angli,

[d]) Vid. TOB. SCHMIDII *Annal. Cygn.* pag. 305. ſqq. SPANGENBERG. *Chron.*

Angli, ceu teſtes domeſtici, oculati et fallere hinc neſcii [e]), quam noſtrates [f]) etiam, id penitus negant, aut in dubium vocant; licet ceterum in ipſa illa aſpera nimis Medendi Methodo, nonnihil hinc inde varient, et mitiorem atque humaniorem plerumque proponant, cum circa ipſum Sudationis tempus arctius definitum, tum et potiſſimum, circa reliquum regimen, in temperando aere et Calore, et potu etiam per intervalla, ex neceſſitate, tepide propinando.

§. XIV.

Sic fuit tum temporis, *Zwickaviae*, Medicus quidam, qui ſolus fere coelo os attollere auſus, prae reliquis omnibus ſapuit, ita ut ſuo ipſius exemplo, abunde denuo confirmarit acutam iſtam

D 2 PHAEDRI

Chron. Mansfeld. fol. 431. MART. ZEILLERI *Chron. Sueu.* p. 93. ſq. MICH. SACHS. *Chron. Imperator.* Part. IV. p. 313. ſqq. VERVLAMII *Hiſt. Rer. Henr.* VII. p. 18. POLYDOR. VIRGILII *Hiſt. Angl.* PASCHIVS *de Invent. Nov.* Cap. VI. pag. 385. ſqq. inprimis, et alii plures.

[e]) Vid. IO. CAIVS *de Febre Ephemera Britannica*, p. 23. ſqq. WILLIS *de Medicament. operat.* ſect. V, cap. 3. pag. 142. ſeqq. FREIND *Hiſt. Med.* pag. 567. opp. et plures alios, ex Medicis Anglis.

[f]) Quo pertinent inprimis, qui circa hunc ipſum Annum 1529. et 30. Germaniae noſtrae adeo fatalem et funeſtum, de hac nova peſte ſcripſere, nempe RIQVINVS, LAVRENT. FRISIVS, NIDEPONTANVS IO. CASTRIVS, HERMANN. a NEVENARE, TERT. DAMIANVS, IO. TYENGIVS, et IO. BENEDICTVS, item GVIL. GRATAROLVS in *Sylloge varior. opuſcul. med. de ſudore Britann.* apud MERCKLIN. *Lind. Renov.* p. 377. quibus add. IO. LANGII *Epiſt. Med.* 19. Lib. I. pag. 83. ſeqq. SENNERT. noſtr. Lib. IV. *de Febr.* cap. 16. WEDEL. *Amoen. Mat. Med.* L. II. ſect. II. c. 6. p. 352. ſeqq. *van* SWIETEN. *Comment.* in BOERHAAV. Tom. II. pag. 367. praecipue vero PETRI FORESTI *Obſ. Med.* 7. Lib. VI. *ſchol.* pag. 33. ſqq. et praeſertim *Obſ.* ſeq. 8. pag. 35. ſeqq. et ibi in *ſchol.* pag. 38. ſeqq. omnium exactiſſime, ut SYLVIVM, IONSTONVM, ETTMÜLLERIVM et alios plures iam taceamus.

PHAEDRI ſententiam *plus eſſe in uno ſaepe, quam in Turba, boni;* dum quotidie totam urbem ſtrenue perambularet, omnesque aedes, quibus aegri, iſta quidem peſte ſudatoria correpti, detinebantur, intrepide intraret, atque, ubi illos ſic nimiis ac diuturnis ſudoribus excruciari deprehenderet, omnem illam grauem moleſtamque culcitarum et operimentorum ſarcinam protinus amoveri ſerio praeciperet, atque contra, levioribus paucioribusque ſtragulis prius impoſitis, ſudorem per quinque tantum aut ſex horas breviores, curandum ac tolerandum, illis placide indiceret: conceſſo etiam ſimul modico tepidoque potu, et regimine moderato, temperatoque, etiam extra lectum, per aliquod tempus, diligenter commendato et obſervato, idque cum inſigni ipſorum aegrotorum levamine, ſolatio ac refectione. Vnde ſic multi per ipſius ſolertiam ac prudentiam, ex rapidis rabidisque imminentis orci faucibus quaſi erepti et in Vitam paene deperditam denuo revocati fuerunt.

Ita, quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis repperit ſolertia.

Quare hic praeſtantiſſimus Medicus dignus omnino fuiſſet, ut ob tot *ſervatos Cives*, *Civica* quidem *corona* ſplendidiſſima donaretur. Sed tantum abeſt, ut hoc ipſum in promeritam ſcil. iſtius beneficii remunerationem, factum fuerit, ſicuti omnino decebat; ut ne nomen quidem ipſius hodie cognitum ſit, magno ſane Chronicorum et Hiſtoricorum opprobrio, ipſo quoque SCHMIDIO atque SPANGENBERGIO ingenue confitentibus. Quum enim, peritura iſta alioqui Typographi ac Pharmacopoei nomina ad ipſam poſteritatem transmiſſa ſint; uti ſupra modo obſervatum, qui tamen praepoſteris ſuis et temerariis conſiliis nocerent magis, quam proficerent, uti paullo ſuperius liquido demonſtratum: tanto ſane indignius et inexcuſabilius plane facinus fuit, quod Medici illius ſervatoris et Numinis veluti tutelaris, Nomen, in omne quidem aevum audiri ac celebrari perquam dignum, aeternae veluti oblivioni indigniſſime traderetur. Ita multi famam habent, et non merentur;

et contra multi merentur; at non habent, fatorum aut iniquitate, aut fatuorum ſocordia ac negligentia: aut denique invidorum tetro livore et malignitate, ſed haec hactenus.

§. XV.

Pauciſſimis igitur aegrotantium, praeſertim autem Morbo acuto, putrido, inflammatorio ac maligno correptis, apta conveniunt ſubſtrata illa ac ſuperſtrata tomenta, pulvinaria et operimenta, quantumvis molliſſimis etiam et blandiſſimis plumis, aut pilis tumide infarcta; quoniam nempe innata ſua qualitate, aeſtum vehementius excitando, ipſum internum Morbi incendium ſufflammant magis, quam ſufflaminant, oleum et picem veluti Camino addunt, periculum inde augent, et Morbum denique ipſum ſic pertinaciorem reddunt et intractabiliorem.

§. XVI.

Sed et ipſis interdum ſanis tumidum nimis altumque plumarum conſtipatarum ſuggeſtum mole ſua ac pondere plurimum nocuiſſe, valida proinde et virilia Corpora ſenſim molliter effoeminaſſe, et variis denique Morbis, ſordidis etiam et obſcoenis, foedam ac pudendam originem dediſſe, ſatis profecto notum eſſe arbitror ex induſtriis medicarum obſervationum Collectoribus, BONETO [g]) nempe, BALLONIO, SCHENCKIO, FORESTO, LOSSIO, atque aliis, imo iam dudum ex ipſo ALEXANDRO TRALLIANO, Lib. IX. cap. 4. pag. 537. ubi ſcilicet aegris nephriticis, calculoſis et aliis ſevere interdicit τὸ ἐπὶ ϛρωμνῆς καθεύδειν, ἐχούσης πτερὰ τῶν χηνῶν. πάνυ γὰρ ἐκθερμαίνει ταῦτα τοὺς νεφρούς: *ne iſti culcitis indormiant ex anſerum plumis confectis: quoniam iſtae nempe renes valde calefaciunt.:* qui inſignis certe locus eximie et appoſite huc facit, ut nemo non protinus videbit. De quo infra ſuo loco, plura dicemus, ubi de *Calculoſorum Lecto* et *decubitu*, tractabitur: *Sect.* nempe III. §. CVIII.

 §. XVII.

g) *Mercur. Compital.* Lib. XIX. et *Med. ſeptentr.* paſſim.

§. XVII.

Quare recte ac ſapienter Medicus ille, Politicus ac Polyhiſtor maior omnino animo, virtute, ac doctrina, quam corpore et ſtatura, HERMANNVS inquam, CONRINGIVS [h]): *Quid de Lectis noſtris dicamus molliſſima pluma ſuffarctis? quorum vicem humus quondam fuit, aut tenuis herba, aut vero ſtraminis aliquid, vel foeni. Profecto et Lecti ſiccant multum Corpora et calefaciunt: et quidem eo plus, quo ſunt molliores; maxime, ſi Lodice utaris plumea, qui mos Germaniae itidem hodie tantum non eſt communis. Non ego cum* RODERICO FONSECA [i]) *in univerſum, damnaverim eorum uſum; tamen calidioribus nonnihil et aridis corporibus minime convenire, non eſt dubitandum. Et vero vel hinc variorum Morborum proventus haud eſt exiguus. Vtque nulli inde ſint Morbi; ſucci tamen multum ſubduci in corporibus, neceſſe eſt.* Hactenus Vir iſte parvus, haud parva tamen Germanorum, immo omnium

[h]) Lib. *de Habitus corporum Germanicorum antiqui ac novi Cauſſis*, pag. 244. Tom. V. *Opp. Conringianor.* a Cl. GOEBELIO editorum.

[i]) Lib. *de Tuenda Valetud.* Cap. XVIII. pag. 100. Conf. BEHRENS, Lib. *de recta et convenienti ad ſanitat. Rat. ſeu Select. diaetet.* ſect. VII. c. II. §. 5. et VOGLERI *Comment. diaetet.* Cap. XXVI. pag. 181. ſqq. et pag. 294. in *Addend.* conf. huc inprimis SCHNEIDERI noſtri Celeberr. Lib. V. *de Catarrhoſorum Diaeta*, cap. 6. pag. 253. et p. 354. Sect. I. Taceo iam brevem Commentat. *de Noxis plumearum culcitarum*, nuper lingua vernacula editam, obiter poſt haec iam ſcripta, a nobis viſam, ſed mox propter foedos foetidosque cimices, et quidem triplicis generis, ex innato iſtarum beſtiolarum tetrarum odio, (conf. PLIN. L. 29. cap. 4.) ſepoſitam. Neque mihi novus ille *porphyropola* ſatis placet, ut et hoc hic obiter adiiciam, qui pro ardua illa animarum cura, ipſi pro officio ſuo ſacro, ſerio demandata, obſcoenos potius cimices curat, atque novam purpuram, haud dubie ſordidam, illis exprimere, ſedulo allaborat, cuius egregium ſcilicet, praeclari ſui inventi ſpecimen nuper publicare non erubuit: pro quo ipſum publice quoque ac privatim, merito laudabunt omnes purpurati cimices, ſonantes culices et ſaltantes denique pulices. Sed ſit venia ioco!

omnium cultiorum Gentium Gloria et adorea, *ſtatura enim fuit humili et corpore exiguo, ut ignoti eius faciem contemnerent, qui autem virtutem ac doctrinam noverant, non poterant ſatis admirari*, ut de Ageſilao, CORNELIVS ille NEPOS ſcite obſervavit; ſed hoc obiter de hoc noſtro parvo Ageſilao literario, ſi ita loqui liceat, ut ſperamus.

§. XVIII.

Verum hoc ipſum iam dudum ſapienter monuit et poſteris enixe commendavit venerandus ille CLEMENS ALEXANDRINVS[k]) longe eruditiſſimus, et rerum copia, et ſententiarum varietate abundantiſſimus, ut TIMAEVM olim laudabat TVLLIVS, his quidem verbis notatu certe digniſſimis, *πρὸς γὰρ τῷ ἐπιψόγῳ τῆς ἡδυπαθείας, ἐπιβλαβὴς ἡ ἐν ταῖς χνοώδεσι τῶν πτίλων ἐγκοίμησις, καθάπερ εἰς ἀχανὲς καταπιπτόντων τῶν σωμάτων, διὰ τὴν μαλακίαν τῶν ϛρωμάτων. οὐδὲ γὰρ συνέχει ἐπιϛρεφομένους τοὺς εὐναζομένους ἐν αὐτοῖς, διὰ τὴν παρ᾽ ἑκάτερα τοῦ σώματος ὀχθώδη τῆς εὐνῆς ἐπανάϛασιν. οὐδὲ ἐπιτρέπει πέπτεσθαι σιτία, εἰ μὴ καὶ συγκαίειν μᾶλλον. Ὃ δὴ διαφθείρει τὴν τροφήν: Nam praeterquam, quod vituperanda eſt haec ipſa mollis et ſenſum titillans voluptas; in lanuginoſis plumis dormire eſt noxium, tanquam in vaſtum quendam hiatum incidentibus corporibus, propter ipſam ſtratorum mollitiem. Neque enim eos, qui in illis verſantur ac dormiunt, continent, propterea, quod ex utraque parte corporis, ipſum cubile alti cuiusdam aggeris ad inſtar, aſſurgat: neque, ut Cibi probe concoquantur, permittunt, ſed eos potius incendunt, quod ipſum quidem nutrimentum plane corrumpit.* Haec illa venerabilis Eccleſiae Doctor, qui et in ſubſequentibus et antecedentibus, vel maxime legi ac conferri meretur; quoniam iſta, licet huc maxime ſpectantia,

[k]) Lib. II. *Paedagog.* cap. 9. pag. 184. conf. huc maxime CAEL. AVRELIANI Lib. II. *Acut. Morb.* cap. 37. p. 161. ubi ſimilis fere mollis nimis et delicati Lectuli deſcriptio habetur, quam vid. inf. §. XXVII. Quo et illud pertinet in ETYMOLOGICO MAGNO, pag. 205. voce *εὐνή: οἱονεὶ τὰ καλῶς νενησμένα καὶ σεσωρευμένα ϛρώματα, παρὰ τὸ εὖ σεσωρεῦσθαι ταῦτα ἐν τῇ κοίτῃ.*

ſpectantia, ob ſpatii tamen temporisque anguſtiam, exſcribere iam non vacat.

§. XIX.

Sed et eiusdem ſententiae fuit facundiſſimus iſte ore, et foecundiſſimus pio opere, et ſcriptorum copia, IOANNES CHRYSOSTOMVS [l]), cuius ipſa verba, quoniam eleganti breuitate ſeſe potiſſimum commendant, hic mox ſubnectere haud cunctabor; en autem iſta: ȣ̓δὲ κλίνην εἶχεν, τὴν τῶν ἡδονῶν ὑπηρέτιν, ȣ̓ τὰ μαλακὰ χηνοπλȣ́ματα, ἐκλύοντα καὶ χαυνῶντα τῶν ἀνδρογύνων τὰ σώματα: *Is autem* S. IOANNES, *non Lectum habebat, voluptatum Miniſtram, non ſuffultas molli anſerum pluma Culcitas, quae nempe effoeminatorum hominum corpora frangunt, reſolvunt et enervant:* in quibus omnino notetur vox iſta ſingularis emphatica, ſcite compoſita, et alias vix obvia, nempe χηνοπλȣ́ματον, unde χηνοπλȣ́ματα. Ceterum egregius quoque hanc ipſam in ſententiam, Locus pariter occurrit apud THEODORETVM, [m]) ubi elegans, acuta et accurata comparatio inſtituta legitur inter pretioſum molliſſimisque plumis ornatum et oneratum divitum lectum, et inter pauperem, humilem plumisque carentem egeni hominis torum, aut ſtoream; ſed quoniam iſte iuſto copioſior ac verboſior eſt; quam ut huc commode transferri poſſit; ideo eum, etſi invitus et dolens, hic nunc omitto, tanto inſtantius autem Lectoribus, ob ſingularem praeſtantiam, evolvendum commendo. Non poſſum tamen tacite hic praeterire inſignem illum PLINII

[l]) *Homil.* XXVI. in *Herodiadis Saltat.* pag. 317. Tom. VI. *Opp.* in *Nov. Teſt.* ubi eiusd. genus plura paſſim in ſeqq. interim vid. et hic CANGIVM, *Gloſſar. Med. et Infim. Graecitat.* Tom. I. pag. 1183. Conf. et eiusdem *Gloſſar. Lat. Tom.* V. p. 582. ſeqq. et Tom. IV. pag. 1396. ubi pari fere compoſitione extat *Orthoplumum,* et *Orthoplumatum,* add. SCHNEIDER. de *Catarrhis,* loc. cit. p. 234.

[m]) *Orat.* VI. *de Provident.* pag. 202. ſqq. Conf. et *Orat.* ſeqq. VII. ex parte: item PETRI CHRYSOLOGI *Sermon. Sacr.* CXXIV. pag. 437.

PLINII [n]) locum contra eam ipſam mollitiem ac luxuriam acute et facete directum: *Eoque deliciae proceſſere,* ita enim inquit, *ut ſine hoc inſtrumento,* (ſcil. mollium plumarum anſerinarum, ſeu *Ganzarum* noſtrarum, ut ipſe ait) *durare iam ne Virorum quidem cervices poſſint.* Vbi potiſſimum reſpicit ad ipſa cervicalia, molliſſimis quidem anſerum plumis, luxuriae cauſſa, farta ac tumefacta.

§. XX.

Inde igitur nunc facile, opinor, patebit ratio, cur gentes ferventiore ſub Caelo natae atque educatae, ſicque ſicciore et adſtrictiore corporis habitu praeditae, Hiſpani nimirum, Luſitani, Galli et Itali, et remotiores etiam populi ardentiſſimae Coeli-plagae ſubiecti calida eiusmodi *Chenoplumata*, ſeu Lectos anſerinis inprimis plumis affatim inſtratos et inſtructos, borealibus praeſertim atque arctois gentibus alias familiares, ceu ſibi admodum moleſtos et aeſtum augentes, plerumque anxie refugiant ac reformident; e contrario autem enixe expetant et exoptent Hypoſtromata et Epiſtromata, ſeu ſubſtragula et Inſtragula lenia, levia, tenera, pondere fere carentia, ex lino, lana, goſſypio, aut corio parata, quae ſcilicet leviter ſuperiniecta, aeſtum magis temperant, ſudores arcent, atque blandos demum et melle ipſo ſuaviores ſomnos, ut cum HOMERO loquar, invitant.

§. XXI.

Forſan ergo lectu hic haud plane iniucunda erit lepida iſta et iocoſa Hiſtoria, quam ita olim retulit aeternum nobis venerandus BOHNIVS, Vir alias Catoniana fere ſeveritate gravis atque hinc ridere, aut iocari ferme indocilis: Sic autem ille [o]): *In Germaniae plerisque provinciis ex uſu ſunt culcitrae et ſtragula plumea, in Gallia, Belgio,*

[n]) Lib. X. *Hiſt. Nat.* cap. 22. conf. SCHNEIDERI noſtri Lib. V. *de Catarrhoſorum Diaeta* cap. 6. pag. 254. iam ſupra citat.

[o]) Lib. *de Officio Med.* part. I. cap. XX. pag. 374. ſeqq.

Belgio, etc. lanea, quorum illa, prae his, noſtrates, in regionibus dictis, ex- teri, deſiderant; reformidant tanquam ſibi moleſta, Galli et Belgae, penes nos ſi commorantur, textilibus ac villoſis ſuis adſueti inſtratis. Et narra- tum mihi fuit olim in Gallia degenti, Gallum quendam, in Germaniam iter facientem, cum in diverſorio, Lectum operimento plumeo inſtructum cerne- ret, ab Hoſpite anxie ſimulque ridicule, rogitaſſe, ne hominem molis ac ponderis maioris, ſibi imponi, aut incubare permitteret: Perſuaſum ſiqui- dem ipſi erat, integumento plumeo alium neceſſario incubiturum, ſibi ſine du- bio, oneroſum ac moleſtum. Sic igitur bonus iſte Gallus Lectum il- lum mollem, tanquam Lethum dirum ac durum, ſine cauſſa, ex horreſcebat, ipſasque plumas Anſerum candidas, ceu prunas can- dentes, et de fornace raptas, inani metu, immerito abominabatur. Etenim, ut videtur, ridicule verebatur, ne ſic ſtratum ſuper ſtra- tum efformaretur, ut Chemici quidem loquuntur, atque ſic ho- mini ſubtus iam iacenti alius adhuc ſuperimponeretur homo, in- teriecta ſemper culcitra, plumis affatim farta; ſicque tandem ex tot hominibus ſibi invicem, quaſi ſecundum ſeriem, impoſitis, quae- dam veluti Turris, aut Pyramis faſtigiata, in altum ſenſim aſſur- geret, unde ipſe demum tot ſtragulis et hominibus ſuperiniectis onuſtus, miſerrime ſuffocaretur. Sed haec honeſti ioci gratia, pace Lectorum haud moroſorum, hic adiecta ſunto.

§. XXII.

Sed cunctis his interea ocyus miſſis, nunc ſane demum tem- pus eſt, ut ad ipſos diverſos diverſorum aegrotorum Lectos pro- pius accedamus, atque, quomodo iſti omnes ſecundum varias ipſorum hominum naturas ac conſtitutiones, variasque inprimis ipſorum Morborum cauſſas et origines, opportune, commode et ſalubriter inſtruendi et inſternendi, item ordinandi et adornandi ſint, ex priſcorum Medicorum optimorum Graecorum et Latino- rum, item et Arabicorum monumentis, nobis adhuc ſecunda for- tuna favente, relictis, diligentius et curatius, quantum per chartam

et

et tempus, adhuc licebit, oſtendamus, et allatis teſtimoniis graviſſimis, luculentius confirmemus.

§. XXIII.

Phreniticis, igitur, ex prudentiſſimo COELII AVRELIANI [p]) conſilio, *ſit Lectus omni ex parte, firme locatus, ut, cum fuerint impatienter iactati, vel neceſſitate cogente devincti, immobilis perſeveret. Stramenta quoque omnibus mollia atque operimenta, conveniunt; ſed tenuia, ſolutione laborantibus; corpulenta vero atque calida, ſtrictura affectis.* Quae ipſa ita in ſuos uſus, ut ſolet, convertit GARIOPONTVS [q]). *Lectus phreniticorum non cancellet ex aliqua parte, quoniam a Lecto non ſurgere, bonum eſt: Surgere inſaniae habitudo: ſed ſint plures, qui eos cuſtodiant. Quod ſi non fuerint plures, in Lecto ligentur, et membra eis fortius conſtringantur, quoniam fortes ſunt. Stragulis quidem promiſcuorum colorum, non cooperiantur.* Quae cuncta graece, ſic elegantius expreſſit ARETAEVS [r]): Κλίνης μῆκος καὶ πλάτος σύμμετρον, καὶ μήτε βληστρίζεσθαι ἐν τῇ πλατείῃ, μήτε ἀπὸ τῆς στενῆς ἐκπίπτειν κοίτης· ἐν ψιλοῖσι τοῖσι στρώμασι, ὡς μὴ κροκυδίζειν ὑπόμνησις ἔοι· ἀτὰρ ἠδὲ ἐν μαλθακοῖσι· ἀστεργὴς γὰρ τοῖσι νεύροισι ἡ σκληρὴ κοίτη. *Lecti longitudo et latitudo aequalis et moderata ſit, quo neque in ampliori, volutari, neque ex nimis anguſto, delabi poſſit. Iaceat in nudis glabrisque ſtragulis, ne floccos forte colligere, in mentem veniat: Sed et in molli Lecto decumbat. Durum enim Cubile Nervis perquam ingratum et inimicum eſt.* Conf. huc PISONIS Lib. I. cap. 10. pag. 118. ſeqq. Tom. I. ubi haec omnia tranſcripſit, haud nominatis tamen, ut ſolet, Auctoribus, nec laudato ipſo CELSO, cuius tamen totum paene caput illud de *phreniticis*, ad verbum, inde deſumtum et in alienum opus traductum fuit. item AETIVS,

p) Lib. I. *de Morb. Acut.* Cap. 9. pag. 24. ubi conf. NICOL. PISONIS Lib. I, cap. 10. pag. 118. qui multa inde tranſumſit, nec Auctorem nominavit, ut modo diximus, de quo mox plura.

q) Lib. I. de *Morb. et Remed.* cap. 8. pag. 7. ſeqq.

r) Lib. I. *de Morb. acut. Curat.* Cap. I. pag. 72. ſeqq.

TIVS [r]), ANTYLLVS [s]), THEODORVS PRISCIANVS [t]) atque IANVS DAMASCENVS [u]), qui fere omnes idem probe obſervarunt circa Lectos phreniticorum rectius et curatius conſtituendos et adornandos. Imo ipſe CELSVS [x]) ab his non prorſus alienus eſt; licet paullo poſt [y]) e contrario, ſuaſerit *Lecti ſuſpenſi motum;* una cum ipſo ARETAEO [z]), AETIO [a]), ALEX. TRALLIANO [b]), AEGINETA [c]), atque THEODORO PRISCIANO: ex quo autem perſpicue inprimis patet, nullam plane hic eſſe contradictionem, ſed Lectum illum fixum, ſtabilem et immobilem adhibendum potiſſimum eſſe vigente adhuc ac furente morbo; ſed poſt largam Venae ſectionem, Clyſmata, atque alia Remedia commoda, praeſertim refrigerantia, ibi commemorata, eodem iam fracto ac mitigato, tum demum commodiſſime et proſperrime Lectum illum penſilem atque mobilem eſſe in uſum advocandum. Ita enim egregie ipſe THEODORVS [d]): *Lectus*

r) Lib. VI, cap. 2. pag. 100.

s) Apud ORIBAS. Lib. IX. *Collect.* Cap. XIII. et XIV. pag. 396. ſeqq. ubi plura extant de diverſis aegrotorum domibus, ſeu cubiculis, ut et de diverſis Lectis, ſive ſtratis et operimentis, quae omnia ad hoc noſtrum argumentum prorſus eximie ſpectant.

t) Lib. II. ſeu *Logic.* cap. 2. pag. 67.

u) Lib. III. *Method. therapevt.* cap. 20. pag. 125. Conf. et CONSTANTIN. AFRICAN. Lib. I. de *Morb. Cognit.* et *Curat.* cap. 18. pag. 17. et ex his PISON. loc. cit. p. 118. ſeqq.

x) Lib. III. *de Med.* cap. 18. pag. 149. y) Ibidem, pag. 153.

z) Lib. I. *de Morb. acut.* cap. 1. pag. 75. ubi Conf. PETIT. in *Comment.* pag. 229.

a) Lib. III. cap. 6. pag. 48.

b) Lib. I. cap. 13. pag. 50. quo loco perquam accurate agit de ipſo temperato aegroti conclavi, reliquoque ipſius moderato ac convenienti regimine, praecipue circa aerem, et nimiam hominum ingredientium frequentiam, et quae ſunt reliqua, ibi cum cura legenda: ubi Conf: maxime FORESTI *obſ.* 4. Lib. X. pag. 51. ſeqq. in *ſchol.*

c) Lib. III. cap. 6. pag. 28. d) *Loco ſupra citat.* pag. 69.

Lectus phreniticorum ſuſpendendus eſt, et ad vicem geſtationis agitandus. Frequenter enim ex illa Lecti motione, velut intentis oculis et mentibus occupatis, ſomnos hic dulciſſimosque procuravimus; Eadem fere habet, ut ſolet, GARIOPONTVS [e]). Conf. de his maxime HIERONYMVS MERCVRIALIS [f]).

§. XXIV.

Tanto magis vero eiusmodi Lectus penſilis, mobilis et agitabilis convenit *Lethargicis*, ſeu profundiſſimo ſomno immerſis. *Sicut enim Phreniticis quies et patientia indicenda eſt; ita Lethargicis e contrario, vigiliae procurandae ſunt,* ut probe hic monet THEODORVS PRISCIANVS [g]) et ex eo tranſcripſit, ut ſolet, GARIOPONTVS [h]): Idque potiſſimum cum ſucceſſu, efficitur, per κοίτην ἐναφῆ, ſeu per *Lectum penſilem et agitabilem,* ut ſcite loquitur ARETAEVS [i]). Sicut enim phreniticis, ſomno carentibus, per blandum et placidum talis Lectuli motum, ſomnus tandem ſenſim arceſſitur; ita contra, per vehementiorem et celeriorem eiusdem commotionem, et agitationem, ab ipſis Lethargicis, ſomno nimis abundantibus et altiſſimo ſopore obrutis, illa inexpugnabilis fere dormiendi neceſſitas tandem arcetur atque abigitur. Conf. interim huc etiam AETIVS [k]), AEGINETA [l]), CAEL. AVRELIANVS [m]) et denique praeter alios,

 IANVS

e) Lib. VII. Cap. 14. pag. 158. b.

f) Lib. VI. *de Arte Gymnaſt.* Cap. XI. pag. 378. ſeqq. Conf. huc inprimis ipſum CELSVM, Lib. II, cap. 15. pag. 91. item Lib. III, cap. 18. pag. 153. et denique Lib. V. cap. 27. pag. 179. item ALSTORPH. Lib. *de Lectis Veterum,* Cap. XVII. pag. 139. ſeqq.

g) Lib. II. cap. 3. pag. 70. h) Lib. I. cap. 14. pag. 12.

i) Lib. I. *de Morb. acut. Curat.* cap. 2. pag. 77. ſeqq. ibique PETIT. in *Comment.* pag. 231. et NIC. PISO, loc. cit. p. 135. ubi eadem ex ARETAEO repetit, cum reliquis, nominato quoque Auctore ipſo, quod alias raro in more poſitum habet, ut infra ſaepius obſervabimus.

k) Lib. III. cap. 6. pag. 48. et Lib. VI. cap. 3. pag. 100. b.

l) Lib. III. cap. 9. pag. 28. b. m) Lib. II. *de Morb. acut.* c. 6. p. 82. ſq.

IANVS DAMASCENVS [n]), et ex his omnibus NICOL. PISO, Lib. I, cap. XI. pag. 136. ſeq. Tom. I. et *antecedent.* p. 135.

§. XXV.

Qui omnes propter arctiſſimam nempe ipſius paſſionis affinitatem, eadem quoque praeſidia et adiutoria ſerio ſuadent *Comatoſis* atque *Caroticis*, ſive κεκαρωμένοις. Quae ipſa vox, ut hic hoc opportune adiicere liceat, reddenda utique videtur LVCIANO, ſive illius maligni dialogi, *Philopatris*, inſcripti, Auctori, Tom. III. opp. recentiſſimae Edit. cum *Not. Var.* pag. 614. ubi ſic male vulgo legitur: τί δὲ πρὸς ταῦτα ἔφησαν οἱ κεκαρμένοι τὴν γνώμην καὶ τὴν διάνοιαν, et peius poſtea ita vertitur. *Quid vero ad iſta, detonſis mentibus animisque homines?* Quam ineptam plane et intonſam, ut ſic loquar, lectionem male vulgatam, erudita quidem et operoſa, ſed tamen ab ipſo vero huius loci ſenſu prorſus aliena, explicatione defendere fruſtra ibi tentat B. GESNERVS, amicus quondam noſter candidiſſimus, nunc deſideratiſſimus. Namque οἱ κεκαρμένοι τὴν γνώμην, hic contrario prorſus ſenſu, ſunt *mente animoque ornati, curati ac politi:* ſic enim manifeſte HESYCHIVS: κεκαρμένον, περικεκομμένον, ἢ κεκοσμημένον, et ſic etiam SVIDAS, EVSTATH. *Etymol. M.* et alii: res enim ſatis ubique nota. Nec quidquam hic vidit, aut monuit HEVMANNVS, *poecil.* Tom. I. Lib. II. Sect. 9. p. 247. ſeqq. etſi ibi, pro ſolito ſcilicet more, alias plures minutias perſequitur, in iſto quidem dialogo emendando et illuſtrando, verum haud ſatis feliciter, ut plurimum. Sed mirum profecto eſt, Virum iſtum Graece tam doctum, ex unius ſolum literulae, et quidem omnium literarum poſtremae, nempe τοῦ ω defectu, adeo uſque turbatum et diſtractum fuiſſe, ut non protinus perſpiceret, legendum ibi eſſe unice κεκαρωμένοι, h. e. *mentem animumque ſtupidi et attoniti.* Qua ſcilicet phraſi metaphorica elegantiſſima, ſic quam ſaepiſſime utuntur Auctores Graeci

n) Lib. III. cap. 17. pag. 117.

Graeci praeſtantiſſimi. Ita enim luculenter ſane et perſpicue in hanc ipſam rem, DIONYSIVS HALICARNASS. *de* THVCYDID. *Idiomat.* pag. 153. Tom. II. opp. ἔτοι δὲ κεκαρωμένοι τὴν διάνοιαν, et L. III. *Antiq, Rom.* p. 155. Tom. I. ſenſu proprio: τραύματι κεκαρωμένοι, quomodo et PLVTARCHVS, in *Artaxerx.* p. 1016. Tom. I. ἐκ τραύματος καρωθεὶς, et ſic alibi ſaepius; conf. huc inprimis SVIDAS, in καρωθεὶς, Tom. II. p. 246. ſeqq. ubi et κεκαρωμένοι, ταῖς τιμαῖς, ἢ λύπαις. Quo et inprimis pertinet illud DIONIS CHRYSOST. Orat. XXX. p. 308. οἱ ὑπὸ τῆς ἡδονῆς καρωθέντες: et ſic alibi ſaepe: item BASILIVS MAGN. *Conc.* VIII. *de poenitent.* pag. 506. Tom. III. Opp. acute dixit κεκαρωμένον τῷ πάθει; qui et paſſim alibi ſic loquitur, item IO. CHRYSOST. GREG. NAZ. CLEM. ALEX. et alii inprimis PHIL. IVD. conf. et ABRAHAM BERKEL. ad ANTONINVM LIBERAL. p. 244. Quo et illud denique ſpectare videtur, ni fallor, quod ex PAPIA, ita produxit diligentiſſimus CANGIVS T. I. *Gloſſar. Med. et Infim. Latinitat.* pag. 720. AROTHEVS, *interpretatur ſcotomatus,* PAPIAS MS. *Vtrumque mihi perinde incognitum, niſi forte ſcotomatus idem ſit ac tenebroſus, Graece σκότος, tenebrae: Sed hoc divinare eſt.* Haec quidem ille, admodum dubitanter et obſcure. Quis autem, aut quid illud incognitum et monſtroſum AROTHEVS? putem ergo, ſub hac peregrina et inuſitata prorſus voce, pariter latere verbum illud καρωθεὶς, quod Latine forſan ſcriptum fuerit, *Carotheis,* aut *Carothis,* unde demum ab ignaro et ignavo ſcriba productum fuerit portentum iſtud AROTHEVS: Certe illud adiectum ſcholion *ſcotomatus,* aut rectius *ſcotomaticus,* nos manu quaſi ducere videtur ad iſtam ſat probabilem, niſi fallor, coniecturam. Illud enim *ſcotomaticus* idem fere eſſe, ac καρωθεὶς, ſive κεκαρωμένος, infra ſuo loco, paucis monebitur, Sect. III. §. XXVIII. conf. interim hic ipſe CANGIVS, infra, Tom. VI. *Gloſſar.* pag. 254. et pag. 255. ut et ARCHIGENES, item POSIDONIVS, apud AETIVM, Lib. VI. c. 7. pag. 101. b. Sed ne hac longiore noſtra digreſſione, Lectoribus forte paullo moroſioribus, minus κεκαρμένοι, et magis contra, κεκαρωμένοι

καρωμένοι videamur, finiamus nunc confeſtim, et ſermonem noſtrum prolixiorem ſtrictim quaſi attondeamus.

§. XXVI.

Inde et eiusdem Lectuli penſilis ac mobilis opportunum uſum apprime conducere *Apoplecticis* et *Paralyticis*, quos ipſa ſimilis fere affectus miſeria coniungit, probe obſervarunt laudati iam ſaepius Medici Veteres, ARETAEVS [p]), AEGINETA [q]), AETIVS [o]), CORNEL. CELSVS [r]), CAELIVS AVRELIANVS [s]), THEODORVS PRISCIANVS [t]), GARIOPONTVS [u]) et PLINIVS denique VALERIANVS [x]), quos multi deinde praeſtantiſſimorum Medicorum recentiorum praeclare ſequuti ſunt, merito proinde laudati ab ipſo noſtro SCHNEIDERO [y]), ſplendidiſſima adhuc huius Academiae et noſtrae praeſertim Facultatis, gloria; qui nempe ipſe eiusmodi ſucculſiones et agitationes per Lectos penſiles, aut alia commoda inſtrumenta, frequentius adhibitas, plurimum ſane conferre arbitratur ad pigrum ſanguinis lenti ac ſpiſſi motum acrius citandum, ipſis nervis torpidis trepidisque novum vigorem inferendum, ac rigidis denique frigidisque membris recentem veluti calorem Vitalem inducendum. Quo et conferendus inprimis laudatus NICOLAVS PISO, Lib. I. cap. 16. pag. 177. ſeqq. Tom. I. operis eximii de *cognoſcendis*

[o]) *de Curat. acut. Morb.* L. I. cap. 4. pag. 82.
[p]) Lib. III, cap. 18. pag. 31. [q]) Lib. III, cap. 6. p. 48.
[r]) Lib. III. cap. 27. pag. 179.
[s]) Lib. III, *de Morb. acut.* cap. 5. pag. 202. et Lib. II. *de Morb. chron.* c. 1. pag. 349. et 352.
[t]) Lib. II. cap. 19. pag. 89. ſeqq.
[u]) Lib. V. cap. 21. pag. 104.
[x]) Lib. III. *de Re Med.* cap. 13. p. 66. b. ubi notanda inprimis verba: *Lino non utatur paralyticus, nec in Lecto.*
[y]) Lib. *de Apoplexia*, cap. 22. pag. 804. ſeqq. item pag. 816. et inprimis Lib. *de Paralyſi*, cap. IX. p. 1196 ſqq.

cognoſcendis et *curandis humani corporis Morbis:* quem et vid. ſequenti Cap. 17. pag. 195. ſeqq. de *paralyſi.*

§. XXVII.

In eiusmodi ergo Lecto penſili atque portatili conſueto, miſere quoque ille decumbebat Paralyticus in *Novo Teſtamento* [z]), *Clinicus* hinc a CYPRIANO recte vocatus, *Epiſt.* LXXVI. pag. 256. (ſic enim *Etymolog. Magn.* p. 272. κλινήρης, παραλελυμένος.) qui ſine ulla rediturae ſalutis ſpe, a Medicis relictus, a quatuor Viris piis et officioſis portabatur, et quum ianua, a populo quippe obſeſſa et obthurata, haud pateret, per planum illud ex conſuetudine orientis gentium, tectum ſuperius, manibus potenti fide veluti animatis et armatis, detectum, admotis funibus, aut vinculis ac loris, ſenſim demittebatur, atque ſic ipſi conſpectui ſedentis ibi in ſuperiore coenaculo docentis, miſerantis et tandem quoque ex voto, ſanantis ac iuvantis, SERVATORIS, pia firmaque fiducia, exponebatur. Lectum enim illum, quem κλίνην vocat LVCAS, ipſe Medicus, et κράββατον, MARCVS, AEGINETA eleganter dixit κλίνην κρεμαστὴν, et elegantius adhuc AETIVS αἰώραν τῶν παρετῶν, h. e. τῶν παραλυτικῶν ἢ παραλελυμένων, ut notum ex HIPPOCRATE ipſo, GALENO, ARETAEO, ALEX. TRALLIANO, SVIDA, PALLADIO, et aliis, quod et praeterea, multis, ut ſolet, docte probat iam ſupra laudatus noſter SCHNEIDERVS [a]). Denique etiam mobilis talis paralyticorum Lectus vocabatur γύργαθος, ut praeter AEGINETAM [b]) et alios, ex

[z]) MARC. II, 3. ſqq. LVC. V, 18. ſeqq. ubi vid. WETSTEN. pag. 687. LIGHTFOOT. *Hor. Heb.* p. 601. DAN. HEINS. *Exerc. Sac.* p. 152. ſeqq. DOVGT. *Anal. ſacr.* p. 11. *Excurſ.* 18. p. 27. WOLF. in *Cur. philol.* p. 435. ſeqq. et *Continuat.* KOECHERI pag. 545. ut et inprimis, THOM. SHAW *Itin. Orient.* p. 186. et alios.

[a]) Lib. *de Paralyſi,* cap. I. pag. 884. ſeqq. conf. REINESII *Var. Lect.* Lib. II, cap. 18. pag. 296.

[b]) Lib. III. cap. 14. pag. 30. b.

ex illo inprimis SVIDAE loco, clare, opinor, patet: γύργαθος, κλίνη, ἐν ᾗ τοὺς παρέτους καὶ δαιμονιώδεις στροβοῦσι, *Gyrgathus, Lectus eſt, in quo membris reſolutos, ſeu paralyticos, et daemoniacos verſant et agitant:* ubi omnino videndi KÜSTERVS [c]), MENAGIVS [d]) item HENR. STEPHANVS [e]), MERCERVS [f]) et alii plures, qui tamen non ex omni parte, inter ſeſe conſentiunt: de quo vero alibi: quoniam his iam hic immorari haud licet.

§. XXVIII.

Sic ergo in huiusmodi mobilibus Gyrgathis, ſive et *Gargathis* et *Girgathis*, ut Latine etiam ſcribi interdum ſolet, [g]) ſive et *Lectis fertoriis*, ut eos CAELIVS AVRELIANVS paſſim vocat, non paralytici ſolum, ſed et alii aegroti et in balnea aliaque loca neceſſaria portabantur, ut ex AETIO [h]) CAEL. AVREL. [i]) et aliis conſtat, et ad ipſos etiam Medicos, auxilii impetrandi gratia, deferebantur, uti obſervavit BARTHIVS [k]) et poſt eum, curatius, SAM. PITISCVS [l]) et ſic quoque, ἐν κλινιδίῳ, ſeu γυργάθῳ εὐκινήτῳ καὶ κρεμαστῷ miſerrimus

c) ad SVID. Tom. I. p. 504.

d) Ad DIOG. LAERT. pag. 273. e) Ad ERASMI *Adag.* pag. 931.

f) Ad ARISTAENET. *Epiſt.* 20. Lib. II. p. 291.

g) vid. CANG. *Gloſſ. Med. et Inf. Lat.* Tom. III. pag. 1018.

h) Lib V. cap. 93. pag. 91. ſcil. ex ipſo GALENO, Lib. X. *de Methodo Medendi,* cap. 10. pag. 243. item cap. ſeqq. 11. p. 245. Tom. X. conf. et ibidem, Lib. VII. cap. 6. pag. 160.

i) Lib. II. *de Morb. acut.* cap. 37. p. 161. conf. huc laudati PISONIS Lib. I, cap. 17. pag. 195. ſeqq. Tom. I. Op.

k) Lib. XLI *Adverſar.* cap. 25. pag. 1860.

l) *Lexic. Antiquit. Roman.* Tom. II. pag. 28. ubi plura, Conf. ZORNII *Bibl. Antiq. et Exeget.* Tom. I. part. VI. pag. 556. item WEITZII *Not.* ad TERENTII *Heavtontimor.* pag. 404. ubi eiusmodi Lectorum portatilium et exemtilium uſum ex ipſius HOMERI *Odyſſea* L. XXIII, 177 ſqq. clare oſtendit, ſcil. poſt. PETR. NANNIVM, *Miſcell. Crit.* Lib. II. cap. 6. pag. 1247. ſeqq. apud GRVTER. *Lampad. Crit.* T. I. ubi

ſerrimus ille et penitus exſpes paralyticus deportabatur ad Medicum illum unicum, verum et ſupremum, animarum iuxta ac corporum, πάντων ἀντάξιον ἄλλων: et ab ipſo, veluti momento, perfecte ſanabatur, qui iamiam in aeternum deſperaverat de ſanitate unquam recuperanda. De quo hic, hac occaſione, tam opportune nobis oblata, haec qualiacunque paucis, commentari placuit, quoniam nempe nonnihil forſan ad maiorem ipſius *Novi Teſtamenti* illuſtrationem, conferre viderentur. Si quis vero plura de his ſcire et cognoſcere aveat; is quaeſo, evolvat hic inprimis facundiſſimum IOANNEM CHRYSOSTOMVM [m]) GVIL. ADERVM, [n]) THOM. BARTHOLINVM [o]) ac noſtratem denique VICTOREM SCHNEIDERVM [p]) et quos ibi laudat Auctores plures.

§ XXIX.

Verum, ut nunc pergamus, miſeris *pleuriticis*, Lectus potius immobilis, cum mollibus integumentis et operimentis, parandus eſt, ex ſapienti nempe Conſilio CAELII AVRELIANI, [q]) ita praecipientis: *iacere pleuriticos convenit mollibus ſtramentis, loco lucido, atque calido, et mediocriter amplo, ſchemate, quo ſe melius ac facilius haberi perviderint, adhibita requie:* a quo haud longius abeunt THEODORVS

 PRI-

ubi tamen per errorem memoriae levem, pro loco iſto *Odyſſeae*, perperam citatur *Iliadis* locus, quod miror non animadvertiſſe diligentiſſimum alias et accuratiſſimum in his WEITZIVM. Sed interdum et bonus dormitat HOMERVS. Verum haec obiter, data occaſione.

m) Homil. LXV. *in paralyticum per Tectum demiſſum*, Tom. V. opp. *de diverſ. N. T. locis*, pag. 824. ſeqq.

n) Tract. *de aegrotis et Morbis in Evangel.* part. I. p. 14. ſeqq.

o) Comment. *de paralyticis Nov. Teſt.* Hiſtor. *paralyt.* III. pag. 43. ſeqq. et *Annotat.* ibidem pag. 101. ſeqq. conf. ARATORIS Lib. I. *de Act. Apoſt.* pag. 141. ibique *Not.* Cl. ARNTZENII.

p) Lib. de *paralyſi*, cap. 1. pag. 880. ſeqq.

q) Lib. II. *de Morb. acut.* cap. 18. pag. 118.

PRISCIANVS, [r]) et eius fidus quaſi Achates, GARIOPONTVS [s]): Quoniam autem hunc ipſum Coelianum *de Lectis pleuriticorum*, locum alibi [t]) iamdudum ſatis diſerte, ni fallor, explicuimus; ideo nunc ad finem properantes, ibi iam dictis nihil amplius hic addere conſtituimus.

§. XXX.

Par vero eſt ratio in inſtruendis et inſternendis *peripnevmonicorum* Lectis, ut ex hoc eiusdem COELII AVRELIANI praecepto [u]) elucet: *Convenit peripnevmonicos iacere in Loco medie lucido atque calido, et ita haberi, vel componi, ut reclinato leviter Thorace, collocentur.* Quae ipſa eodem fere modo, etſi in Compendium miſſa, exhibent THEODORVS PRISCIANVS [x]) atque GARIOPONTVS, [y]) quare iſta, ſpatio inprimis deficiente, iam huc tranſcribere non lubet. Nec tamen tacite hic praeteriri debet elegans ille CORNELII CELSI, de peripnevmonicorum cura, locus, Lib. IV. Cap. 7. pag. 213. *Neque alienum eſt, dum premit morbus, clauſis feneſtris, aegrum continere: ubi paulum levatus eſt, ter aut quater, die, feneſtris aliquantum apertis, purum aerem recipere.* Vbi *parvum aerem* ex quibusdam Codd. MSt. legere malebat IO. RHODIVS, in *Lex. Scrib.* p. 381. ſed neſcio equidem, quam bene, aut apte, *feneſtris* enim *aliquantum tantum apertis*, aer non niſi parvus, immitti poteſt, ideo, me quidem iudice, praeſtat, *aerem purum*, legere, qui et magis omnino convenit peripnevmonicis, pulmonicis, et phthiſicis ipſis, ceu ſatis notum. Ita ipſe CELSVS, ſupra, Lib. III. c. 7. pag. 134. dixerat *purum aerem trahere,*

r) Lib. II. cap. 4. pag. 72.

s) Lib. II. cap. 66. pag. 47. Conf. huc et PISONIS Lib. II. cap. 7. pag. 625. ſqq. Tom. I.

t) in *Append.* ad Lib. *de pleuritide*, pag. 167. ſeqq. et pag. 178.

u) Lib. II. *de Morb. acut.* cap. 29. pag. 140. conf. eiusdem PISONIS Lib. II. cap. 8. pag. 642. ſeqq. Tom. I.

x) Lib. II, cap. 5. pag. 74.

y) Lib. II. cap. XI. pag. 28. b.

here, quomodo et ſaepe alibi. Sic et PHYLLIDIVS, Vetus Comicus, apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM, Lib. V. *Stromat.* pag. 569. vere et eleganter dixit:

ὅπερ μέγιςόν ἐςιν ὑγιείας μέρος,
Τὸ τὸν ἀέρ' ἕλκειν καθαρὸν, ὀ τεθολωμένον.
Nam ſanitatis pars haec eſt potiſſima,
Haurire purum ſpiritum, non turbidum.

Ita ſcite interpretante ſummo HVGONE GROTIO, in *Excerpt. Vett. Tragoed. et Comoed.* pag. 898.

§. XXXI.

Sed maiorem omnino circa Lectos, ſtragula et operimenta, curam exigit peracutus et ſaepe funeſtus *Cardiacorum,* ſeu *diaphoreticorum*, Morbus, quo ſtomacho inprimis penitus languente, Corpus ipſum *immodico ſudore digeritur*, ut CELSVS eleganter, pro more ſc. loquitur, [z]) qui mox haec ipſa ſapienter ſubiicit: *Quominus corpus inſudet, levi veſte debet eſſe contectus aeger, poſitusque loco non calido; feneſtris patentibus, ſic, ut perflatus quoque aliquis accedat.* Sed ſapientius, accuratius et copioſius, ut ſolet, cuncta haec momenta circa Lectos inſtruendos, ſedulo obſervanda, ita propoſuit CAELIVS AVRELIANVS [a]) *Generaliter ipſa Lecti concubatio neque dura, ſi quidem vigilias faciat, neque plus ſatis mollis, ut eſt floccorum, vel levium plumarum, erit procuranda. Etenim receſſu facili, corpori cedens, utrinque orarum, circumlevat tegmina, quae amplexu quodam corpus cingendo, vaporatione ſui reſolvant. Denique etiam quum fuerit mollior, erit coarctanda ſtraminum velamento, ne facili receſſu concava faciat ſtramina.*

 Cooperi-

[z]) Lib. III, cap. 19. pag. 157. Conf. huc quoque AEGINET. Lib. II. cap. 46. pag. 22. b. ubi eadem fere facienda praecipiuntur.

[a]) Lib. II. *de Morb. acut.* cap. 37. pag. 161. ubi conf. maxime REINESII *Var. Lect.* Lib. III. cap. 17. pag. 649. ſeqq. cui loco Coeliano ſimillimus ille CLEMENTIS ALEX. Lib. II. *paedagog.* c. 9. pag. 184. ſupra §. XVIII. productus, ubi conferatur:

Cooperimenta praeterea atque ſtramina tenera atque tritiora probamus. Lecti etiam latitudo atque ſpatium tantum probatur, quantum ſufficiat aegro, alterna converſatione, alterius loci frigus accipere, ac deſertum vapore carere etc. et quae ibi ſequuntur plura, notatu certe digniſſima praeſertim vero de variis foliis floribusque fragrantibus, et refrigerantibus, una cum gelida aqua, per cubiculum opportune ſpargendis: de quo vid. et GALEN. ARET. AET. PLIN. GARIOPONT. THEODOR. PRISCIAN. MARCELL. EMPIR. et SYNES. *de Febr.* cap. V. p. 180. et cap. I. pag. 36. ALEX. TRALLIAN. Lib. XII. pag. 705. et pag. 723. aliosque: Conf. PISONIS Lib. *de Febribus cognoſcendis.* Cap. VI. pag. 733. Tom. II. Opp. *de cognoſcend. et curandis Morbis,* Ex quo inprimis COELII loco, quem copioſum licet ac verboſum, huc tamen transferre haud cunctati ſumus, luculentiſſime, opinor, patebit, quantam curam ac diligentiam Veteres praeſertim Medici methodici adhibuerint olim in diverſis diverſorum aegrotorum Lectis ordinandis, ornandis ac mutandis. Caeterum CAELIVM noſtrum hic accurate ſequuti ſunt THEODORVS PRISCIANVS [b]) et eius nimis fidelis imitator, GARIOPONTVS [c]) neque alia hic propoſuit ipſe magnus ARETAEVS, [d]) cuius elegantiſſimum locum lubentiſſime huc tranſcriberemus; niſi vetaret iam Spatium, contra Votum, dudum occupatum. Quibus demum omnibus add. inprimis AETIVS [e]) qui eadem fere cuncta ſimul habet, quae modo ſupra ex COELIO AVRELIANO relata fuerunt.

§. XXXII.

[b]) Lib. II. cap. 12. pag. 86.

[c]) Lib. VI. cap. 23. p. 137. b. et Cap. 24. p. 138. b. et Lib. VII. Cap. 9. p. 155. b.

[d]) Lib. II. *de Curat. Acutor. Morb.* cap. 3. pag. 102. ubi conf. PETR. PETIT. pag. 258.

[e]) *Tetrabib.* III. *Serm.* I. cap. 1. pag. 437. *Syllog. Vett. Med. princip.* per HENR. STEPHAN. Tom. II. conf. PETRI PETITI *Comment.* ad ARETAEVM, pag. 247. ut et ſaepius iam laudati NICOL. PISONIS Lib. III. cap. 1. pag. 8. ſeqq. Tom. II. ubi haec ex iisdem Auctoribus repetit

§. XXXII.

Plura enim adhuc dicenda ac monenda reſtant de variis Lectis *Synanchicorum, Hydrophoborum, Epilepticorum, Phthiſicorum, Aſthmaticorum, Stomachicorum, Cachecticorum, Ictericorum, Scotomaticorum, Hydropicorum, Coeliacorum, Iſchiadicorum, Arthriticorum, Colicorum, Varioloſorum, Melancholicorum, Nephriticorum, Calculoſorum, Onirocticorum, Rhachiticorum, Tetanicorum, Anorecticorum, Polyſarcorum, Ephialticorum, Iliacorum,* et aliorum multorum, qui omnes non unius eiusdemque generis, ſed diverſi plerumque modi Lectos ac Cubilia deſiderant. Vt cum ex ratione et natura ipſa; tum ex hactenus laudatis Auctoribus praeſtantiſſimis, plenius accuratiusque docebitur. Tanta enim de hoc nobili utilique Argumento, adhuc dicendorum, reſtat et abundat copia, ut iuſtum integrumque Volumen facillima quidem opera, inde confici et componi poſſet, ſcilicet *adhuc ſuperſunt multa, quae poſſim loqui; Et copioſa abundat rerum varietas,* ut ſic cum PHAEDRO loquamur. Sed diligentiſſime legendi hic inprimis erant Veteres Medici, Graeci, Latini et Arabici, ut ſupra iam plus ſemel, monitum; qui vero ſaeculi torpentis et ignavis veluti Lectis affixi ſocordia ac ſuperbo faſtidio, nimium hodie neglecti et obliti iacent; quum contra, nugae, plerumque inanes ac tinnulae, auribus ſolum deceptis ſubdole blandientes, plusque dicentes, quam docentes, lucroſe vendantur, avide emantur, diligenter legantur, et in magno pretio, quo tamen prorſus indignae, habeantur. Sed taedet pigetque iam veteres renovare querelas, aut ſurdis, inani plane opera, lepidas narrare fabellas.

Iſta repetit quidem, eos tamen haud nominat, uti ferme ubique ſolet, more neſcio, an laudabili et imitabili, an vero culpabili potius, aut evitabili? exinde enim ingrata et inconcinna ſtili plane diverſi inaequalitas omnino enaſcitur: praeterea vero, nemo, niſi in Veterum Medicorum Lectione exercitatiſſimus et beata memoria inſtructiſſimus Lector, facile cognoſcere poteſt, ex quonam potiſſimum Auctore iſtae quidem Gemmae et praeclare dicta deſumta ſint. Sed de his plura in *prolegomenis*.

Iſta vero cuncta, quae adhuc dicenda ſuperſunt, proxime, ſi Deus porro Vires, ſanitatem, et otium honeſtum, et actuoſum potius, quam deſidioſum, clementiſſime indulſerit, diligenter perſequi haud detrectabimus, atque datam ſemel fidem religioſe ſervabimus.

§. XXXIII.

Iam igitur Cubiculum noſtrum claudamus, reliquosque Lectos, numero quidem haud paucos, interea, intectos intactosque ſinamus, donec illud recludendi, hos vero retegendi et perluſtrandi, denuo facta nobis fuerit copia, quam quidem fatis benigne faventibus, proxime adfore, non ſine omni fiducia, interim ſperamus, quin et ſat probabili coniectura, nobis pollicemur. Namque, ut haud vane forſan auguramur, et iamiam laeti proſpicimus, ex inſperato,

Aliquae venient Feriae,
Quae me, ſoluto pectore, ad ſtudium vocent.

CLINOTECHNIAE MEDICAE ANTIQVARIAE

SECTIO TERTIA, SPECIALISSIMA ET LOCVPLETISSIMA; DE

DIVERSIS AEGROTORVM LECTIS.

§. I.

Illis vero *Cardiacis*, ſeu diaphoreticis (quibus ſuperiorem *Lectionem ſecundam* finiebamus,) ipſos *Cholericos* proxime adiungendos cenſent COELIVS AVRELIANVS [a]) THEODORVS PRISCIANVS [b]) ALEXANDER TRALLIANVS [c]) aliique: Neque id ſine ratione. Namque utraque paſſio tam cardiaca, quam cholerica, ſeu cholera dicta, acutiſſima et celerrimae veluti expeditionis eſt: aut enim *cito finit*, aut *cito finitur*, ut acute ait CORNELIVS CELSVS [d]) ἢ ἀναιρεῖ, ἢ ἀναιρεῖται, ut pariter ſcite loquitur SEXTVS EMPIRICVS [e]). Habet quoque praeterea, utraque eandem fere originem, ſedem atque

a) Lib. III. *Acut. Morb.* cap. 21. pag. 257.
b) Lib. II. ſeu *Logic.* cap. 13. pag. 88.
c) Lib. VII. cap. 16. pag. 378. conf. et antecedentia, ibidem.
d) Lib. III. cap. I. pag. 111.
e) Lib. *contra Ethicos,* Cap. V. pag. 718. ubi vid. FABRIC. et plura apud GRATAKER. ad MARC. ANTONIN. Lib. VII. ſect. 33. pag. 219. conf. *poem. noſtr.* Tom. VI. pag. 428. in *Notis.*

atque cauſſam, nempe in male affectis Inteſtinis, Ventriculo, hepate, felle, atque Meſenterio. Vnde in Cardiaca immodicis ſudoribus olidis atque immundis diffluunt corpora, et viribus ſubito exhauriuntur: In cholera vero, acerrima bilis citato cum impetu, ſurſum deorſumque ſimul effunditur, unde et perniciſſima pernicies corporibus ſic unico veluti ictu, feſtinantiſſime fractis ac proſtratis, fatali neceſſitate, impendet.

§. II.

Hinc igitur utraque haec paſſio propter arctiſſimam ſcilicet ſimilitudinem et cognationem, ſimillimam quoque medendi rationem omnino exigit, atque inter cetera, ab Auctoribus commendata, remedia et adiumenta, ſimillimos quoque *Lectos* requirit, nempe neque duros nimis, neque plus ſatis molles, aut floccorum leviumve plumarum mole nimium turgidos; ſed modicos potius, mediocres et tolerabiliores, ita ut aeſtum magis arceant, quam arceſſant atque augeant. Inde igitur COELIVS AVRELIANVS, loco ſupra laudato, ſapienter praecipit: *Cholericos oportet primo ſimiliter, ut Cardiacos, locari, atque ut indigeſtos, vel, qui cibos excludunt:* ubi illud *locari,* ad ipſorum Lectorum delectum, ordinationem et diſpoſitionem peculiarem, manifeſtiſſime reſpicere, nullum profecto eſt dubium. Quibus haec opportune addit NICOL. PISO, Lib. III. *de cognoſcend. et curand. Morb.* cap. 13. pag. 128. Tom. II. ex priſcis Medicis pro more ipſi ſolito, tranſumta: *Aeger moretur in aere mediocri ac temperato, parumque luminoſo, quia calor et lumen humores exagitant, et ſpiritus reſolvunt: Tenebrae contra ſedant, ac quietos reddunt.*

§. III.

Sed paullo poſt, apud eundem COELIVM AVRELIANVM f) ſequentia leguntur, quae huc adiicere liceat: HIPPOCRATES *fel quoddam appellans,* choleurecam, *nominavit, atque iliacae paſſionis eſſe*

f) Cap. 21. Lib. III. *de Morb. Acut.* pag. 259.

eſſe particulam, ſive concurſum conſtituit. Sed quale quaeſo, quantumque illud eſt vocis horridae plane et inuſitatae monſtrum, ſcilicet *choleurecam?* et quis obſecro, vel fando tantum, iſtud unquam audiverit? Nempe, ut verbo dicam, corruptiſſime ſcriptum eſt, pro *Choleram ſiccam*, ſcilicet χολέραν ξηρὴν, ut eam ipſe HIPPOCRATES[g]) vocat: ad quem ipſum ſummi noſtri dictatoris locum unice ac praecipue, hic reſpexiſſe COELIVM AVREL. nullum plane relinquitur dubium, ſi quis modo ipſum ibi HIPPOCRATEM evolvendi ceperit conſilium, et ad eum, in *Comment.* VALLESIVM[h]) et PECHLINVM[i]). Sed talia innumera paene portenta, monſtra et Vitia ſcribarum turpiſſima et graviſſima ubique fere occurrunt in iſto bonae alias frugis Auctore, ut mille exemplis facillime a nobis oſtendi ac probari poſſet. Quae tamen omnia ſumma veluti fide et religione nimia, exactiſſime ſervata ſunt pro more nempe ſolito, in nova huius Auctoris Editione, priſcis adhuc vitiis inquinata, quae nuperrime ſic prodiit, ut melius latuiſſet, quoniam ſine cura ulla curata fuit. Sed haec, hac data occaſione, obiter; non foedo carpendi ſtudio; ſed candido potius nudae veritatis amore. Quare ipſos aequos Lectores huic quidem ſubitae noſtrae digreſſioni veniam et indulgentiam daturos eſſe, utique ſperamus, imo confidimus.

§. IV.

Sed pergit noſter COELIVS AVRELIANVS, atque miſerandis et in ſummo Vitae periturae periculo conſtitutis, *Synanchicis*, ſequentia circa cubiculum, Lectum atque ipſius corporis ſitum, monita ſaluberrima ac convenientiſſima caute et perite proponit[k]):

 oportet

g) Lib. *de Victu Acut.* pag. 317, Tom. II. ubi vid. in *Comment.* GALEN. pag. 172. Tom. XI. opp. et inprimis VALLES. in *comment.* pag. 221 ſq.
h) pag. nempe 221. ſqq. i) *Obſ. Med.* 56. Lib. I. pag. 129. ſeqq
k) Lib. III. *de Morb. Acut.* cap. 3. pag. 183. conf. NICOLAI PISONIS Lib. II, cap. 3, pag. 548. ubi haec *Coeliana* in arctius compendium contraxit.

oportet in paſſione conſtitutos, iacere Loco lucido, atque moderatae amplitudinis, nullo etiam odore, corrupto, calido. Eſt huiusmodi laxativus aer, et qui primus tumentibus partibus miſceatur. Iacendi ſchema eſſe ſupinum convenit; paulo levatius capite collocato: firma atque immobili poſitione, vel, qua ſe magis relevari aegrotantes dixerint. Omnis enim motus dolidus eſt Tumore oppreſſis. Fuſius quidem, at ſimul tamen doctius et ſignificantius haec ipſa noſter COELIVS: Brevius vero et contractius THEODORVS PRISCIANVS [l]): *Synanchicis cubiculum maius, calidum; procurandum eſt,* ſervatis nempe ſic generalioribus tantum ac ſecundariis; omiſſis vero ſpecialioribus, utilioribus ac principalioribus.

§. V.

Iungendi vero his anginoſis, aut *Synanchicis,* propter ſingularem convenientiam et ſimilem propemodum citae ſuffocationis metum *Aſthmatici,* vel *ſuſpirioſi,* et praecipue *Orthopnoeici.* De quibus brevius, pro more, CORNELIVS CELSVS [m]). *Caput etiam in Lecto, ſublime habendum eſt.* At fuſius ac luculentius ita COELIVS AVRELIANVS [n]): *Convenit Aegrotantes iacere altioribus ſtramentis, Thorace atque Capite ſublevato, Loco lucido, atque calido mediocriter, adhibita requie, et abſtinentia Cibi, uſque ad tertium diem.* Quibus ſcite apteque reſpondent iſta THEODORI PRISCIANI [o]): *Cubiculum Aſthmaticis calidum in ſuperioribus, procurandum eſt. Relaxandis enim corporibus, et liberandis a concluſionibus, ſemper ſunt inferiora contraria. Lectus Orthocathemenus accurandus eſt.* Quae cuncta pro ſolito more, tranſcripſit ad Verbum, GARIOPONTVS, [p]) additis tantum his, maioris ſcilicet explica-

[l]) Lib. II, cap. 6. pag. 75. [m]) Lib. IV, cap. 4. pag. 198.

[n]) Lib. III. *de Morb. chron.* cap. 1. pag. 431. conf. PISO. Lib. II. c. 5. pag. 578. Tom. I. ex CELSO ac COELIO AVRELIANO, et aliis priſcis Medicis non indicatis, ut ſcilicet ſolet.

[o]) Lib. II, cap. 25. pag. 102.

[p]) Lib. II, cap. 12. pag. 29, add. cap. 13. pag. 31.

cationis gratia: *Lectus orthocathemenus procurandus eſt, ut videantur potius ſedere, quam iacere:* Quo ipſo ſcilicet reſpicit ad ipſam vocis iſtius graecae compoſitionem notiſſimam, nempe ὀρθὸν, *rectum,* atque κάθημαι, *ſedeo,* aut *ſedere facio,* adeo ut κλίνη ὀρθοκαθημένη, ſive λέκτρον ὀρθοκαθήμενον, idem ſit, ac *Lectus altus, ſublimis,* et *cathedrae* fere in modum conſtructus, in quo aſthmatici et anheloſi, erecto potius corpore, acclives ſedent, quam reſupinato, iacent, quod quippe propter imminentem ſuffocationis metum, plerumque aegerrime ſuſtinere poſſunt.

§. VI.

Quomodo hunc ſuum miſerrimum ſtatum aſthmaticum et perniciſſima ſuffocatione minacem, facundiſſime et vividiſſime deſcripſit, imo verius depinxit, Oratorum potentiſſimus AELIVS ARISTIDES [q]): κἀν ταῖς νυξὶν ἀμηχανία κατακλίσεως, ἀλλ' ἔδει μετεωρίσαντα αὐτὸν καρτερεῖν προκεκυφότα, τὴν κεφαλὴν ἔχοντα πρὸς τοῖς γόνασι: *per Noctes vero decumbere non poteram; verum erectus cogebar procumbere, Capite ipſo ad genua reflexo.* His nunc denique addere liceat Locum quendam in ſemibarbaris illis MATTHAEI SILVATICI *pandectis* [r]) in hunc quidem ſenſum, obvium, ſed inquinatiſſimum ſimul et corruptiſſimum: *Ortocanomenus, id eſt, Lectus aſmaticis aptus, in quo potius ſedere, quam iacere videantur.* MVSSIO *cap. de praeſocatione Matricis: Orthocathemena, inquit, ſedat, et eſt dictum, recte ſedens, ab orthon, quod eſt rectum, et cathe, quod eſt ſedere.* Quae dictionum corruptarum monſtra ac portenta ita perdomanda et permutanda videntur: *Orthocathemenus, Lectus aſthmaticis aptus.* —— MOSCHIO, ſeu MOSCHION, cap. de *praeſoc. Matric. Orthocathemena ſedeat, et eſt dictum, recte ſedens, ab orthon,* (ὀρθὸν) *quod eſt rectum, et Catheſthae* (καθῆσθαι) *quod eſt ſedere.* Quo ipſo nunc omnia clariſſima et manifeſtiſſima

 ſunt,

q) *Sermon. Sacr.* II. pag. 301. Tom. I. Opp. Oxon. per SAMVEL IEBB, editorum.

r) Fol. 138. b.

ſunt, atque hanc noſtram de *Lectis* illis *orthocathemenis*, exercitationem, pulcherrime, opinor, illuſtrabunt. Denique hic adhuc audiamus ſi placet, illum mentitum quaſi AESCVLAPIVM, Cap. XX. pag. 27. *In cubiculo iaceant ſuſpirioſi bene lucido, et Lucernae eorum ſint ad Carbones: a pulvere ſemoti debent eſſe:* quae omnia haud inconvenienter ſic propoſita eſſe videntur. Sed de his nunc hactenus! Tranſeamus iam hem! tempus eſt, ad alia.

§. VII.

Contra varios *ſpaſmos*, atque utrumque *Tetanum, emproſthotonicum* nempe, atque *opiſthothonicum*, mitigandum ac compeſcendum, opportunum ſequentis Lecti uſum, vel maxime commendat ſummus poſt HIPPOCRATEM, ARETAEVS [s]): Νῦν μάλα χρὴ κοίτην μαλακὴν, εὐαφέα, λείην, προσηνέα, θερμὴν ἔμμεναι· ἀπηνέα γὰρ καὶ σκληρὰ, καὶ τιταινόμενα τὰ νεῦρα ὑπὸ τῆς νόσου γίνεται. *In praeſentia Lectum mollem, tractabilem, laevem, calidumque, eſſe, neceſſe eſt: Nervos enim inflexiles, duros, vigentesque morbus efficit.* Quocum amice conſpirat COELIVS AVRELIANVS [t]): *Aegrotantes, raptu, aut ſpaſmo correptos, iacere oportet Loco ſufficientis magnitudinis, lucido mediocriter, atque calido, nullo etiam odore infecto; mollibus atque calidis ſtramentis prima enim celeritatis Morborum mitigatio eſt ſtraminum mollities.* Brevius vero haec ſic THEODORVS PRISCIANVS [u]): *Nam et carbonibus proxime calentibus, Lectos et ſtramina calidiora procura.* Quae ita ſcite confirmat ipſe CORNELIVS CELSVS [x]): *In eo conclavi, quo curatur*

[s]) Lib. I. *de Morbor. Acut. Curat.* cap. 6. pag. 84.

[t]) Lib. III. *de Morbis Acutis,* cap 8. pag. 209. ibidem, Cap. VI. antecedent. pag. 206. de iisdem tetanicis legitur: *Difficilis Cervicis motus, iugis oſcitatio, et magis, locis volentibus:* ſed quid quaeſo hic ſibi velint, aut nolint *loci* iſti *volentes?* nempe legendum potius, *loqui volentibus:* conf. GARIOPONT. L. V. cap. 2. pag. 88. ſed haec obiter.

[u]) Lib. IV, cap. 3. pag 195.

[x]) Lib. II. cap. 10. pag. 82. conf. huc PISO, Lib. I. cap. 20. pag. 255.

curatus aeger, Ignis continuus eſſe debet, maximeque tempore antelucano, quo praecipue frigus intenditur. Ex quibus demum petita et in arctius compendium miſſa iſta GARIOPONTI [y]): *Cubiculo calido, lucido procurato,* ut alia iam taceam.

§. VIII.

Sequens autem eiusdem COELII AVRELIANI [z]) locus, nec ſilentio praeteriri hic poteſt; nec ſine iuſta cenſura dimitti molliter debet: HIPPOCRATES *opiſthotonicos iacere iubet in lineis ſtramentis, utens ad ventrem movendum, collyriis, quae appellavit Balanos*, etc. ubi vid. reliqua, ſat longa et copioſa, ex ipſo HIPPOCRATE [a]) nec bene ſatis deſcripta, nec fideliter ſatis et accurate converſa, potioribus ſimul momentis et praeceptis vafre et ſubdole omiſſis, et tamen more ſolito, ab ipſo reprehenſa et oppugnata; nempe mus hic contra Leonem, ſcarabaeus adverſus aquilam, et pumilio contra Gigantem. Vt enim iam reliqua taceam, ibi per otium, diligentius inter ſeſe comparanda, quoniam hic nec ſpatium ſuppetit, nec ſcopus noſter nobis praefixus, iam permittit, ut latius liberiusque evagemur, verba iſta HIPPOCRATIS, quae huc inprimis pertinent, περιτείνων σινδόνιον, ἐπανάκλινε ἀυτὸν ſcil. τετανικὸν, ita perquam obſcure et ambigue latine convertebat COELIVS noſter: *iacere iubet in lineis ſtramentis;* quum tamen potius et rectius reddendum eſſet: *circumtento linteo ipſum aegrum reclinato*, nempe poſt balneum calidum, et fomenta per utriculos aqua fervida repletos, frequentius adhibita, ut tigidi ſcilicet artus ſenſim emolliantur et flexiliores reddantur. Quae proinde ſic ſcite et perite explicat VALLESIVS [b]) utriculis

Tom. I. ubi cum CELSO loquitur, ipſum tamen haud nominat, ut nempe ſolet.

y) Lib. V, cap. 1. pag. 88. z) Cap. citat. 8. Lib. III. pag. 212.

a) Lib. *de Victu Acutor.* pag. 313. Tom. II. opp. per LINDEN.

b) *Comment.* in iſtum HIPP. *Librum,* p. 203. longe melius ſane ac ipſe GALENVS, in *Comment.* pag. 164. Tom. XI. opp.

utriculis calidam aquam infundere, et Linteolum circumtendere, et in Lecto hominem continere convenit, ut per quietem, et contectum corpus melius medicaminibus fruatur. Hinc iuſtiſſime et ſapientiſſime de hoc temerario COELII AVREL. auſu, ita iudicavit HIERON. MERCVRIALIS[c]): *Totam hanc Tetani curationem perſtrinxit* COELIVS AVREL. Lib. III. *acut.* c. 8. *Sed etſi praeſentis Auctoris conſilia forte non careant aliqua reprehenſione;* COELII *tamen argumenta adverſus ipſa, non ita firma ſunt, quin a quovis frigido ingenio dilui queant.* Sed de his nunc hactenus: plura alias, aptiore loco.

§. IX.

Sed rurſus idem COELIVS AVRELIANVS[d]) de miſerrimis illis Tantalis, ut ita dicam, ſive *Hydrophobis*, qui a cane rabido admorſi, Aquas avent, et ſimul pavent, in hunc modum ſapientius ſcripſit: *Curandos Hydrophobos convenit iacere loco mediocriter calido, atque lucido; adhibita Articulorum defricatione; ſervatos etiam inſomnes, uſque ad laxamentum temporale.* Nonnullis vero ibidem interiectis, ſtatim addit ſequentia: *Quum autem ſtatum ſumſerit paſſio; tunc et Geſtatio adhibenda, in Lectulo ſuſpenſo, ſive portatoria ſella;* de quo iam ſuperius actum[e]). Ita igitur tractandos, aut curandos Auctor noſter cenſet calamitoſiſſimos iſtos *Hydrophobos*, ſive *Aquipavos*, aut *Phevgydros*, ſive *Aquifugas*, ut felici audacia, lepide voces iſtas graecas Latine reddidit idem[f]), An vero haec ipſa et reliqua omnia adiutoria et remedia, ibidem longe lateque propoſita, ſecura ſatis validaque ſint ad iſtam nempe rabiem caninam, paene indomabilem, perfecte

c) *Adnotat.* ad iſtum HIPP. Lib. *de Victu Acutor.* pag. 244. *Opp.* HIPPOCRATIS, per MERCVRIAL.

d) Lib. III. *de Morb. Acut.* cap. 16. pag. 230.

e) Sect. II. §. §. XXIII. XXIV. et XXVI. et inprimis, hic infra, §. CV. ibique citati Auctores complures videndi ac conferendi, ſi opus quidem fuerit.

f) Ibidem, Cap. 15. pag. 127.

perfecte perdomandam, et inexpugnabilem illum aquae ſemper ſititae, ſemperque faſtiditae, metum pleniſſime expugnandum; de eo quidem, experti eheu! ſcribimus, dubitandum magis ac diffidendum videtur, quam affirmandum et confidendum. Tum enim ſiti plus quam Tantalea excruciatis, in anguſto potius ſpem eſſe, quam auguſto, ſapienter iudicavit CORNELIVS CELSVS g), cum reliquis Medicis fere omnibus, tam Veteribus, quam etiam recentioribus: qui proinde, ſi opus, videantur. Neque enim iſta iam tractamus. Hoc unicum tamen, idque largiſſimum SCRIBONII LARGI h) Teſtimonium adſcribere hic ſub finem liceat; praeſertim, quum ſenſus ipſe ita nonnihil implicitus et impeditus legentibus appareat, ut inde aliqua illuſtratione et emendatione merito indigere videatur. En autem ipſa verba: *Nemo adhuc correptus hoc malo Hydrophobiae quantum ego ſcio, expeditus eſt. Quanquam pervenit ad me opinio, eſſe in inſula Creta Barbarum quendam, naufragio appulſum, maiorem natu, publice mercedem accipientem.* Hic doctiſſ. RHODIVS expedire ſeſe non poteſt, et aliena potius comminiſcitur: neque id mirum, quum nulla iuſta inter haec ipſa ſit connexio. Quare legendum mihi videtur: *ſaniorem*, vel *meliorem Natatu*. Nempe, dum naufragus ille Barbarus, iam Hydrophobus, fluctibus diu volutatur, aſſiduo iſto *Natatu*, feliciter curatus et ſic ſervatus eſſe videtur; ſenſu nunc facili et perſpicuo. *Meliorem* vero *Natatu*, lego, quoniam *Maior* et *Melior*, in Vett. Codd. frequentiſſime confunduntur, ut oſtendunt DRAKENBORCH ad SIL. ITAL. Lib. IV, 824. BVRMANN. et NIC. HEINS. ad OVID. *Met.* XIII. 102. et iterum BVRMANN. ad LVCAN. I, 399 et ARNTZEN. ad Lib. II. ARATOR. *de Act. Apoſt.* pag. 264.

§. X.

Sed idem fere circa cubiculum ac cubile, Regimen, ſupra Hydrophobis enixe commendatum, paullo poſt, ſuadet, quoque noſter

COELIVS

g) Lib. V, cap. 27. pag. 308. h) *Compoſ.* CLXXI. pag. 94.

COELIVS AVRELIANVS [i]) merdivomis illis, pudet dicere, imo, mortivomis, ſit venia dicto, ſive foedo illo ſordidoque *morbo iliaco* correptis et miſerrime oppreſſis, de quibus nuper, data quidem opera, abunde a nobis dictum eſt alibi [k]). Sic vero ille: *Habendi ſunt aegrotantes Loco mediocriter calido, atque lucido: adhibita requie, cum ſilentio, et abſtinentia Cibi, uſque ad primam diatriton: prohibito quoque ſomno, donec acceſſio declinet.* Haec quidem ille ſatis caute atque ſcite. Somnum contra hic ſuadet PISO, cum aliis Lib. III. cap. 21. pag. 244. Tom. II. modo dormire poſſint miſerandi illi ſaeviſſimis nempe alvi tormentis inquietati. Vtinam vero et iſta, cum reliquis in acuto illo inteſtinorum cruciatu domando, certum ſemper, ſecurum et praeſentaneum praeſidium praeſtarent. Sed velocioris magis hoc eſt voti, quam fati felicioris.

§. XI.

Verum eandem fere regulam normamque, circa decubitum ac Lectum praeſcribit porro noſter COELIVS [l]) aegrotis *rhevmaticis* ſive *Catarrhoſis,* his quidem verbis, paene ſimillimis: *Convenit aegrotos iacere loco lucido mediocriter, atque calido, adhibita abſtinentia, uſque ad tertium diem, cum requie Corporis, atque animi, appoſitis Lanis limpidis ac mollibus, oleo dulci atque calido praetinctis, Colla circumdantes, et Thoracem,* quo et ille eximius THEODORI PRISCIANI [m]) locus apposite ſpectat: *omne catarrhoſorum corpus calidis et ſiccantibus unctionibus perungimus, cubiculo munito et calefacto, operimentis etiam ſuper Lanarum mollium infuſarum.* Quae ſane medendi ratio per calida, ex ipſis

[i]) Lib. III. *de Morb. acut,* cap. 17. pag. 237.

[k]) Tom. III. *Opuſculor. Med. philolog.* pag 129. ſeqq.

[l]) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 7. pag. 381. conf. huc et PISO, Lib. I. cap. 25. pag. 320. ſqq. Tom. I. ubi et nonnulla alia *de ſitu praeſertim in latus, vel in ventrem utili,* ex priſcis Medicis obſervata exhibentur.

[m]) Lib. II. cap. 20. pag. 92. Conf. GALEN. Lib. V. *de Methodo Medendi,* cap. 13. pag. 125. Tom. X. opp.

ipſis artis rationalis praeceptis, utique apprime et opportune convenire videtur Morbis a cauſſa frigida atque pituitoſa obortis, quales, omnium fere confeſſione, potiſſimum ſunt ipſi Catarrhi atque Rhevmatiſmi, plura vero et accuratiora de *decubitu* et *Lectis* inprimis *Catarrhoſorum*, non plumeis ſemper, ſed laneis interdum, potius, cum voluptate, legenda ſunt apud praeſtantiſſimum SCHNEIDERVM noſtrum. [n]) Sed nunc de his ſatis.

§. XII.

Iam vero, impetrata prius, ut ſpes quidem eſt, a Lectoribus caſtis ſobriisque, venia, honeſto cum pudore, et averſo veluti vultu, accedamus ad ſalaces illos *Entaticos*, ſeu *Satyricos*, hoc eſt foeda rigidaque *Satyriaſi*, vel *Priapiſmo*, in vetitam Venerem nimium quantum propenſos et acerrimis ſtimulis exagitatos [o]). Licet enim COELIVS noſter [p]) cum aliis nonnullis Medicis priſcis, praecipue PAVLLO AEGINETA [q]), differentiam quandam ſtatuat inter vtramque illam obſcoenam paſſionem: ratione ſcil. celeritatis temporis et libidinis in *Satyriaſi*, et diuturnitatis et faſtidii veneris, in *Priapiſmo*: quod tamen nonnihil confudiſſe videtur maximus cetera CASAVBONVS, loco infra cit. pag. 90. attamen, quum utraque unam fere eandemque habeat originem, et unum idemque membrum propagandae nempe ſoboli deſtinatum, potiſſimum occupet, adeo, ut propterea etiam una fere eademque medendi Methodus locum inveniat commodum; Inde recte et appoſite GA-

 RIOPON-

n) Lib. V. *de Catarrhoſorum diaeta*, Sect. I. cap. 6. pag. 253. 254. et pag. 206. ſq. imo et pag. 235. ſq. per totum.

o) Conf. huc ISAAC. CASAVBONI doctiſſ. Comment. *de Satyrica Graecor. poeſi*, Lib. I, cap. 2. pag. 89. ſeqq ubi tamen levis occurrit error. ut ſupra dictum

p) Lib. III. *Acut. Morb.* cap. 18. pag. 250. et Lib. V. *Morb. Chron.* c. 9 pag. 581.

q) Lib. III. cap. 56. et 57. pag. 51.

RIOPONTUM iudicaſſe [r]) autumamus: *Satyriaſis et priapiſmus ſimiles ſunt paſſiones, niſi quod priapiſmus, ut et Gonorrhoea, in chronicam deducitur: Satyriaſis vero licet plerumque ſine febribus ſit, inter acutas aegritudines dinumeratur.* In quo recto quidem iudicio, preſſe, pro more, ſequutus eſt ipſum praeeuntem ſuum THEODORUM PRISCIANUM [s]). Sed de ipſa *Gonorrhoea* mox in ſequentibus ſeorſim, plura.

§. XIII.

Haec igitur prudenter ordinat hic COELIUS noſter [t]), toties iam laudatus: *Curantes igitur, iacere facimus aegrotantes ſatyriaſi affectos, loco calido, atque vigilanter ſilere iubemus, Lanis limpidis eorum clunes, atque pubetenus, cum inguinibus et ipſo veretro, contegentes, prohibentes etiam hominum ingreſſum et magis iuvenum foeminarum, atque puerorum. Pulchritudo enim ingredientium admonitione quadam, provocat aegrotantes.* Quod et ſcite ex hoc ipſo forſan COELII loco, obſervavit THEODORUS PRISCIANUS, in plurimis nempe ipſi plane conſonus [u]), ut et laudatus modo GARIOPONTUS [x]), atque hos omnes fideliter et prudenter ſequutus FORESTUS, modo citatus, ut et NICOLAUS PISO, lib. III. cap. 46. pag. 503. ſeqq. Tom. II. Opp. *de cognoſcendis et curandis Morbis.* Eadem vero ſalutaria praecepta hic fere propoſuerunt bini illi praeſtantiſſimi Medici, ARETAEUS, nempe [y]) atque ALEXANDER TRALLIANUS [z]) item et laudatus

r) Lib. III. cap. 71. pag. 87. et cap. inprimis 69. pag. 86. b.

s) Lib. II. cap. 9. pag. 83. ſeq. conf. et GALEN. Lib. *de Tumor. praeter Nat.* cap. XIV. pag. 320. Tom. VII. Opp. ut et Lib. XIV. *de Method. Med.* cap. 7. pag. 326. Tom. X. et FOREST. *Obſ. Med.* 9. Lib. XXVI. pag. 69. ſeqq. et *Obſ.* 10. pag. 69. ſeqq. quae inprimis videantur.

t) Lib. III. *Acut. Morb.* cap. 18. pag. 250.

u) Lib. II. cap. XI. pag. 84. x) Lib. III. cap. 68. pag. 77. b.

y) Lib. II. *de Morb. Acut. Curat.* cap. XI. pag. 113.

z) Lib. IX. cap. 10. pag. 557.

laudatus modo ſupra PAVLLVS AEGINETA [a]) qui prudenter ſimul monet, quod iſti magni Medici hic omiſerunt: *ὕπτιον ἀναπαύεσθαι, βλαβερὸν*, *perquam noxium nempe eſſe, ſi tenta ſatyriaſi affectus ſupino corpore recumbat;* propter maiorem nempe particulae illius ſalacis tumorem et erectionem ac faciliorem ipſius ſeminis effuſionem, iſto reſupino corporis ſitu, tanto ceterius ſuſcitatam, uti mox fuſius, a nobis docebitur, de ipſa *Gonorrhoea,* hic infra acturis. Interea vero hic audiamus CONSTANTINVM AFRICANVM [b]), eximie ſic de aegro ſatyriaſi inquietato ſcribentem: *Aſſuefaciat ſedere ſemper, et dormire ſuper frigidam culcitram.* GALENVS *dixit, quia mulieres Athenienſes in feſtivitatibus ſuis ponunt, ubi dormiunt, et ſedent, Agnum herbam, propter caſtitatem; quia nomen illius herbae denominatum eſt a caſtitate. Iaceat ſemper in latere, et non ſupinus. Dorſum enim quum caleſit, arteriae et nervi, neceſſe eſt, caleſcant, et calor ad virgam veniat, et ex deſiderio coitus, eam moveat.* Brevius autem AETIVS [c]) ex ipſo GALENO: *porro in Latus decumbere ſatyriaſi et priapiſmo affectos, ex ipſa re eſt, et ſubſternere ea, quae ad ſeminis profluvium mox dicentur.* Quae ſane cuncta ſuperius monita egregie illuſtrant.

§. XIV.

Contra *Gonorrhoeam* igitur, ſeu involuntarium ſeminis lapſum vel effluxum, eiusque diverſas fere ſpecies, *onirogonum,* et *onirogmum,* (quas tamen ipſe COELIVS AVRELIANVS [d]), MILESIVM

 ſecure

a) Lib. III. cap. 56. pag. 51. nempe ex ipſo GALENO, qui Lib. VI *de Loc. Affect.* cap. 6. pag. 526. Tom. VII. obſervavit, *τοῖς ὑπτίως κοιμωμένοις*, *ſupine dormientibus* frequentius priapiſmum moleſte excitari, et mox pag. 527. *ὅταν ὕπτιοι κατακείμενοι θερμανθῶσι τὴν ὀσφύν*, *quando ſupini recubantes circa vero lumbum incaleſcunt.*

b) Lib. VI. *de Morborum Cognit. et Curat.* cap. 2. pag. 124.

c) *Tetrabib.* III Serm. III, cap. 32. pag 574. *Collect. Steph.*

d) Lib. V. *Morb. Chron.* cap. 7. pag. 578. Conf. LINDENII *Select. Med.* Sect. XV. pag. 664. ſeqq.

ſecure nimis ſequutus, atque inde notatus a REINESIO [e]) ſemper fere pro ſynonymis habet,) circa *Lectos* ac *ſtragula*, ſequentia praeſcripſit monita, uſu certe ſaluberrima, laudatus modo PAVLLVS AEGINETA [f]); ubi Gonorrhoeam et Onirogmum apte coniunxit, quod et reliqui Veteres Medici paene omnes, pariter fecerunt, uti mox clarius patebit. Sic autem ille: προςωφέλοίη δ' ἂν αὐτοῖς καὶ ςρωμνὴ ψυχροτέρα, καὶ κατάκλισις σώματος ἐπὶ δεξιᾶ, ἢ ἐπ' ἀριςερᾶ, καὶ ὅσα φάρμακα ψυχρὰ, ὑποχριόμενα τῇ ὀσφύϊ. *Verum ad ſeminis in ſomno, effuſiones, profuerit ipſis male affectis Lectus frigidior, et decubitus in dextrum, aut ſiniſtrum latus, et quaecunque medicamenta frigida lumbis ſublinuntur:* quae ibi ſtatim recenſentur; et paullo poſt a nobis explicabuntur. Quorſum et illud maxime ſpectat PHILAGRII apud AETIVM [g]): *Ipſum ſtratum pelliceum ſit et non valde molle: decubitus porro ut plurimum in latus fiat, vitata forma decubitus ſupina; ne Lumborum arteriae inde ſuper calefiant.* Item iſtud SORANI apud eundem [h]): *Stratum non ſit delicatum; ſed potius aſperum etc.* ubi reliqua videantur.

§. XV.

Eadem quoque enixe commendat COELIVS AVRELIANVS [i]). *Tum ſtramenta duriora atque frigerantia procuranda. Iubendi etiam aegrotantes ſupra latus iacere, quum ſe ſomno dederint, et ante ſe: vel ſupponenda tenuis ac producta lamina plumbea clunibus, vel ſpongiae circumdandae puſcae frigidae infuſae, vel iniicienda loca rebus frigidae virtutis;* quae

e) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 17. pag. 652.

f) Lib. III. cap. 55. pag. 51. Lib. I, cap. 38. pag. 5. b.

g) *Tetrabib.* III. Serm. III. cap. 34. pag. 576. Tom. II. *Collect. Steph.*

h) *Tetrabib.* IV. ſerm. IV, cap. 72. pag. 816. add. GALEN. ſupra citatum: quae ſic ex illis tranſcripſit NIC. PISO, Lib. III. cap. 45. p. 496. Tom. II. praeterito tamen ipſorum nomine, ut ſemper fere ſolet.

i) Lib. V. *de Morb. Chron.* cap. 7. pag. 579.

quae ibi mox enarrantur. Conſentit et GARIOPONTVS [k]): *Aegrotantes Lecto duriſſimi ſtratus utantur, et lana lota circa renes, et in lumbis, apponatur, ut ex frigore lumbi refrigeſcant, et, ut glutinetur digeſtio ſeminis, et duriter ſe exerceant.* Neque ſane aliud dudum ſuaſit ORIBASIVS [l]) *plumbi lamina impoſita a venereis inſomniis liberat: idem faciunt herbae refrigerantes, cum ruta et viticis cymis teneris ſubſtratae; quin et ipſius Viticis rutaeque ſemina commanſa et devorata idem praeſtant.* Nec ipſe IANVS DAMASCENVS [m])ab iſtis ſanis aliorum conſiliis diſcedit: *Iuvatur utique Infirmus per ſtratum frigidum, et ut iaceat ſuper latus ſuum dextrum, et ex medicinis refrigerantibus, quae ponantur ſuper dorſum et regionem renum inferius, etc. Laminae plumbi quando ligantur ſuper regionem renum, et ponuntur ſuper ilia, iuvant etiam, cum hoc, qui habent pollutionem in Nocte.* Denique etiam breviſſime, ſic CONSTANTINVS AFRICANVS [n]): *Culcitra ſemper ſit frigida; herbae frigidae in domo ponendae:* in quo conſilio utique prudenter ſequutus eſt ipſum inprimis ALEXANDRVM TRALLIANVM [o]) alioſque Medicos Veteres praeſtantiſſimos, ſupra iam aliquoties merita cum laude, citatos.

§. XVI.

Hi vero propemodum omnes eiusmodi aegrotis foedo geniturae profluvio, ſine voluntate ac voluptate, plerumque obnoxiis, unanimi veluti ſuffragio et communi conſilio, commendant unice corporis ipſius in unum alterumve latus, ſitum atque decubitum, reſupinata contra, in dorſum repoſitione prorſus ſevere interdicta, ex cauſſis nempe graviſſimis, iam ſuperius a CONSTANTINO inprimis AFRICANO, PHILAGRIO, AETIO, AEGINETA, aliisque per-

k) Lib. III. cap. 67. pag. 77. conf. huc et AESCVLAP. cap. XLII. p. 71. ubi eadem leguntur, de *Lecto duriſſime ſtrato, lana lota*, et reliquis.
l) Lib. I. *Evporiſt.* cap. 13. pag. 25.
m) Lib. VII, cap. 13. pag. 427.
n) Lib. VI. *de Morb. cognoſc. et curand.* cap. 3. pag. 125.
o) Lib. IX. cap. 9. pag. 555.

perquam ſolide, vere ac praeclare, ad cavendum, allatis. Hinc et ipſe CORNELIVS CELSVS [p]) eiusmodi miſero Oniroctico et infelici, ut ita dicam, agricolae, ſine agro, incaſſum ſeminanti, paucis quidem, ſed graviſſimis tamen verbis, ſerio praecipit: *Ne ſupinus inprimis dormiat.* Quoniam nempe ex ipſius ARISTOTELIS [q]) acuta uſuque diuturna confirmata obſervatione, ἐξονειρώττει οὐδὲν, μὴ ὕπτιον, *Nemo per ſomnum, ſemen temere profundit, niſi ſupinus decubuerit.* In quo ipſo tantum ſuum Magiſtrum preſſe ſequitur, ipſo fere maior et praeclarior diſcipulus, THEOPHRASTVS ſcilicet ERESIVS [r]): τὸ σχῆμα ὕπτιον μάλιστα πρὸς τὸν ἐξονειρωγμὸν συνεργεῖ: *Supinus decubitus, ad nocturnam ſeminis profuſionem, plurimum omnino confert.* Quae hunc quidem in modum, in ſua Excerpta varia tranſtulit diligentiſſimus iſte *Patriarcha* PHOTIVS [s]): ὅτι καὶ ὕπτιοι κατάκεινται· διὰ τὴν ἔκλυσιν· συνεργεῖ δὲ τὸ σχῆμα τοῦτο καὶ πρὸς τοὺς ἐξονειρωγμούς. Quae ipſa denuo Latine convertere, utique propter iam antea dicta, ſupervacaneum eſſe arbitramur.

§. XVII.

Ex hiſce igitur hactenus pertractatis, lucem nunc, ut equidem ſpero, clariorem accipient obſcuriores illi, ſed et obſcoeniores ſimul, veterum poetarum loci, ſi modo luce digni fuerint, et non potius caliginoſa nocte digniores; ut paene videretur, niſi ipſum, quod iam ſub manibus eſt, argumentum nobis vel invitis et fere reluctantibus, neceſſitatem imponeret, hos quoque foetidos vetitosque locos obiter tantum, et veluti in fuga ac tranſcurſu, tangendi: praecipue, quum ſanis omnia ſint ſana, uti dicitur, atque caſtis omnia

p) Lib. IV. cap. 21. pag. 235.

q) *problemat.* 18. Sect. X. pag. 725. Tom. II. Opp.

r) Lib. *de Laſſitudinibus*, pag. 466. Opp. per DAN. HEINSIVM, editorum.

s) *Bibliothec.* pag. 860. Edit. HOESCHEL.

omnia caſta. Ita ergo ferox ille et anthropophagus Cyclops, bene paſtus, nec male potus, *venasque inflatus Iaccho,* apud EVRIPIDEM [t]) exclamat: εὖ ςέγων τε γαςέρ᾽ ὑπτίαν, πέπλον κρέω· quae ita veluti Latine reddidit eadem nequitia, CATVLLVS [u]):

Nam pranſus iaceo, et ſatur, ſupinus,
Pertundo tunicamque, palliumque,

Atque inde HORATIVS FLACCVS [x]) pari modo, parique petulantia:

Tum immundo ſomnia viſu
Nocturnam veſtem maculant, ventremque ſupinum.

Quae ipſa quidem propiore imitatione, adumbrata videntur ex iſtis LVCRETII [y])

Qui ciet irritans loca turgida ſemine multo,
Vt, quaſi transactis ſaepe omnibus rebus, profundant
Fluminis ingentes fluctus, veſtemque cruentent.

Sed ocyus, hem! tempus demum eſt, iam linquamus hos quidem lutoſos laſcivorum poetarum ludos et ſupiniores delicias, atque nunc ad caſtius aliud verecundiusque argumentum illico transeamus.

§. XXVIII.

[t]) In *Cyclope,* Tragoed. 325. pag. 218. ubi vid. BARNES. et IOS. SCALIGERI *Opuſcul. var.* per IS. CASAVBON. pag. 383. ubi haec extat emendatio, quam nos hic retinuimus. Conf. et SEPT. FLORENT. CHRISTIANI Not. ad *Cyclopem* EVRIPID. pag. 34. ſeqq. *Append.* ad CASAVBON. *de ſatyrica Graecorum poeſi, etc.*

[u]) *Carm.* XXXII. ad *Ipſithillam,* ubi vid. IS. VOSS. pag. 79. et reliquos interpretes.

[x]) Lib. I *Sat.* V, 84. ubi vid. LAMBIN. et plures alios *Commentatores.*

[y]) Lib. IV, *de Rer. Nat.* 1028. ſqq.

§. XVIII.

Viticis nempe, ſive *Agni caſti*, vulgo quidem, nec caſte, nec caute, ſed male et ridicule, ſic dicti, [*]) flores, ut et folia, Lectis ſubſtrata, rigidam illam tentiginem ſenſim detendere, immunda inſomnia nocturna emundare, atque intempeſtivam denique ac frugiperdam, ut ſic dicam, venerem reprimere et cohibere, unanimi fere conſenſu, tradiderunt Veteres Medici ac Phyſici, uti GALENVS [a]), AETIVS [b]), AEGINETA [c]), ALEXANDER TRALLIANVS [d]), ORIBASIVS [e]), PLINIVS [f]), atque alii, iam ſupra, ex parte, laudati, quibus accedat METHODIVS [g]), ne ad alios plures iam provocem. Inde igitur in arcanis illis Cereris ſacris, *Theſmophoriis* dictis, ſancte et caſte celebrandis, in quibus, OVIDIO obſervante [h]) *perque novem noctes, Venerem, tactusque viriles in vetitis numerabant Matronae,* Agni

inprimis

[*]) *Agnus* enim *Caſtus*, ut perperam vocant Herbarii, quin et Medici etiam docti, idem per idem eſt, graece ſcil. et latine dictum, ceu notum. Longe vero adhuc peius, quidam rudiores graecae linguae, ex graeco Ἄγνος, *Vitex*, latine Animal lanigerum, ſeu *Agnum* quendam *Caſtum*, monſtroſo veluti partu, infeliciter ediderunt. Contra quos ineptos Etymologos, vid. AMMANNI *Irenic.* pag. 37. ſqq. facete, item RIVINI, magni illius et victuri Botanici, (quidquid hodie fruſtra contra clamitent nonnulli invidi et ingrati alienae laudis obtrectatores,) in *Introduct. Gen. in Rem Herbar.* pag. 13. et GEOFFROY, Tom. III. *Mat. Med.* pag. 45. ac HARDVIN. ad PLIN. Tom. II. pag. 336. ut et in *Theſaur.* noſtro *Pharmac.* Part. I. cap. 4. p. 159. ſed omitto plures.

a) Lib. VI. *de Sanitat. Tuend.* cap. 14. pag. 184. ſeqq. T. VI. et L. VI. *de ſimplic. Med. Facult.* cap. I. pag. 148. Tom. XIII.

b) Lib. I. pag. 3. b. c) Lib. I. cap. 38. pag. 5. b.

d) Lib. IX. cap. 9. pag. 555.

e) Lib. II. *Euporiſt.* cap. I. pag. 50. et Lib. I. cap. 13. pag. 25.

f) Lib. XXIV. cap. 9. ubi vid. HARDVIN. pag. 336. Tom. II. Opp.

g) Apud PHOT. *Bibl.* pag. 510. ſeqq. et Etymol. M. pag. 320. Edit. Venet.

h) Lib. X. *Metamorph.* 434.

inprimis illius folia Lectis inſternebantur, ab iisdem, ne vetita libidine forte tentarentur. Hinc ergo PLINIVS [i]) *Viticem Graeci Agnon vocant, quoniam Matronae Theſmophoriis Athenienſium, caſtitatem, cuſtodientes, his foliis cubitus ſibi ſternunt:* quae ex ipſo DIOSCORIDE [k]) videntur tranſumta: ὠνόμασαι Ἄγνος, διὰ τὸ τὰς ἐν τοῖς Θεσμοφορίοις, ἁγνευούσας γυναῖκας εἰς ὑπόστρωμα χρῆσθαι αὐτῇ: *Agnus, quaſi caſtus, nominatus eſt iſte frutex, quod in Theſmophoriis, Matronae caſtitatem ſic ſervaturae, ad ſtrata eo uterentur:* quae ipſa totidem paene verbis extant quoque apud GALENVM [l]), item et AELIANVM [m]), EVSTATHIVM [n]), *Scholiaſtem* NICANDRI [o]), atque THEOCRITI [p]), Auctorem *Etymologici Magni* [q]) aliosque plures, diligenter et copioſe hanc in rem citatos et explicatos a MEVRSIO [r]) atque PETRO CASTELLANO [s]), item IO. BOD. a STAPEL [t]), CLAVD. SALMASIO [u]) DAV. HOESCHELIO [x]), LIL. GYRALDO, [y]) IO. LANGIO, [z]) CASAVBONO [a]), ABR. BERCKELIO [b]) REIESIO, [c]) DIETERICO [d]), FORESTO [e]),

 ZORNIO

[i]) Lib. cit. XXIV, cap. 9. [k]) Lib. I, cap. 135. pag. 70.

[l]) Lib. cit. VI. *de ſimpl. Med. Fac.* cap. I. pag. 148. Tom. XIII. Opp.

[m]) Lib. IX. *de Nat. Animal.* cap. 26.

[n]) Ad *Iliad.* Λ. ſeu Lib. XI. pag. 768. et ad *Odyſſ.* I. ſeu Lib. IX. citante MEVRSIO.

[o]) Ad *Theriaca,* pag. 7. [p]) Ad *Idyll.* VII. pag. 110.

[q]) Tribus locis, citat. ab HOESCHELIO, ad PHOT. pag. 972. vid. *Etymol.* M pag. 6. pag. 320. et pag. 378.

[r]) Lib. III. *Graec. Feriat.* p. 158. ſeqq. [s]) Syntag. *de Feſtis Graecor.* pag. 171. ſeqq.

[t]) Ad THEOPHRAST. Lib. III. *Hiſt. Plant.* pag. 264. ſeqq.

[u]) *Exercitat. Plinian.* pag. 659. [x]) Ad PHOT. loc. cit. pag. 972.

[y]) *Hiſt. Deor.* Syntag. XIV. pag. 427. ſqq.

[z]) Lib. II. *Epiſt. Med.* 5. pag. 517. [a]) *Lect. Theocrit.* cap. IX. p. 96.

[b]) Ad STEPHAN. BYZ. *de Vrbib.* pag. 559.

[c]) *Camp. Elyſ.* Quaeſt. XLIV. pag. 527. [d]) *Iatr. Hippocrat.* pag. 1315.

[e]) *Obſ. Med.* 9. Lib. XXVI. pag. 57. ſeqq. et *Obſ.* XI. pag. 73. ſeqq. item *Obſ.* 14. pag. 92. ſeqq. 94. 95. ſeqq. et pag. 105. ſeqq.

ZORNIO f), PETRO PETITO g) IO. RHODIO h), aliisque, qui communis illius ritus, refrigerantia-iſta caſtae Viticis folia, caſtitatis et continentiae cuſtodiendae cauſſa, in Theſmophoriis, large ſubſternendi, data occaſione, mentionem paſſim abunde fecerunt. Quamvis ipſam illam viticem non ſemper hic certam firmamque fidem praeſtitiſſe, in tutanda a venereo inſultu, caſtitate, iure forſan ſuſpicatus ſit ARNOBIVS i) et inprimis PLAVTVS k) qui, more ſuo conſueto, aperte et candide, ſine ullo metu, pronunciat:

Is adoleſcentis illius eſt Avunculus,
Qui illam ſtupravit noctu, Cereris vigiliis.

Hoc eſt, ipſis illis ſanctis ſcilicet caſtisque *Theſmophoriis,* ut ibi recte explicant CAMERARIVS, TAVBMANNVS noſter, atque alii interpretes. Aut igitur bona illa, et brevis veluti aevi, Virgo tum caſtam illam Viticem non habuit; aut, ſi etiam forte habuerit, tamen illa ipſa Vitex, haud ſatis efficax fuit, ad Vitium cohibendum et avertendum, ipſi a iuvene protervo, in ipſis caſtis Cereris vigiliis, clanculum oblatum, imo et illatum. Sed haec obiter et feſtinanter, neque enim his turpiculis iuſto diutius immorari placet.

§. XIX.

Interim tamen, eundem in finem, caſtum nempe ſiccumque per noctes, longas ſaepe et inſomnes, ſervandi cubile, ipſam quoque viticem ſtramenti loco, adhibuiſſe ſacerdotes, commemorat EVSTATHIVS l): Διὸ καὶ οἱ ἱερεῖς κόμας τοῦ φυτοῦ τούτου ὑπετίθεντο τῇ ςρωμνῇ, ὡς

f) *Botanolog.* pag. 29. g) *Comment.* ad ARETAEVM, p. 229.
h) *Lexic. Scribonian.* pag. 347. i) Lib. V. *adverſ. Gent.* pag. 173. ubi vid. ELMENHORST, pag. 167.
k) *Aulular.* prolog.
l) Ad *Iliad.* XI. pag. 768. conf. IO. BOD. a STAPEL, ad THEOPHRAST. *Hiſt. plantar.* Lib. III. pag. 264. ceterum *Etymol. Magn.* p. 320. in Μόχοισι λύγοισιν, eadem rurſus profert, quae retulit iam EVSTATHIVS; igitur conferatur, ſi volupe fuerit.

ὡς φυσικὴν τινα δύναμιν εἰς τὸ ἁγνεύειν ἐχέσας: Quapropter ipſi ſacerdotes frondes huius fruticis Agni Lectis ſupponebant, quoniam nempe facultatem quandum naturalem haberent libidinem extinguendi et caſtitatem ſervandi. Quem veterem ſacerdotum iſtorum conſuetudinem etiam poſtea ſerioribus quidem annis, retinuerunt plerique Monachorum, ut etiamnum notum ſatis eſſe arbitror: inde et iſtius plantae ſemen piperellam, item piper Monachorum, ut et Evnuchorum, vocatum fuiſſe, Botanicis neutiquam ignotum eſt. Hinc ergo bene MATTHAEVS SYLVATICVS [m]): *Religioſi ſternunt hanc plantam ſub Lectis ad refrenandam libidinem:* et mox, nonnullis interiectis: *Agnus dicitur propter caſtitatem, nomine graeco: ſiquidem ſubſtratā corporibus, potentiam veneream tollit:* et iterum paullo poſt: *Lectus ex Agno factus reprimit libidinem, conſumendo nempe ſperma:* et denique, (nam omitto iam ſciens volensque plura hanc in rem alia, ibidem obvia): *Agnus abſcindit libidinem Coitus: inde a Mulieribus Athenienſibus in loco* (vel *toro* rectius) *ſternitur, ut reprimat libidinem.* De quo nempe iam ſupra affatim actum eſt.

§. XX.

Licet autem ipſe GALENVS haec cuncta graviſſima ſua auctoritate abunde confirmet, magnamque inprimis vim atque potentiam his ipſis laudatae Viticis foliis atque floribus, pro ſtramento opportune adhibitis, tribuat contra lubrica iſta atque ſordida imaginariae veneris ludibria nocturna; ut ſupra iam ex ipſo oſtendimus: attamen et alias plures in eundem ſalutarem finem, paſſim dilaudat plantas, ut Nymphaeam, ſolanum, portulacam, ſempervivum, aliasque vi refrigerante potiſſimum pollentes, enixe commendat. Ante omnia vero *Roſarum*, (forſan albarum inprimis,

m) *Pandect. Med.* fol. XV. ſeqq. conf. FORESTI *Obſ. Med.* 17. L. XXVI. pag. 106. et CASPARI HOFFMANNI Lib. II. *de Medicament. officinal.* cap. 6. pag. 91. et quae contra monet AMMANNVS, in *Irenico* NVMAE POMPILII et HIPPOCRATIS, p. 38.

mis,) *folia* lectis largiter inſtrata, ad hunc ipſum ſcopum feliciter obtinendum, magnis mirisque effert laudibus, adducto ſimul ſingulari et notando hanc in rem, exemplo [n]): Ῥοδων ἠξίωσά τινα πειραθῆναι, καὶ ὠνήσατο δὲ ἔτος, ὑποστρωννὺς αὐτὰ, χωρὶς βλαβῆναί τι κατὰ τοὺς νεφρούς: *Suaſi cuidam Roſas experiri; ſenſitque ille ex iſtis foliis ſubſtratis, inſigne prorſus levamen, citra ullam ipſorum renum noxam.* Quod ipſum ſalutare blandumque GALENI conſilium approbat prorſus, ſuaque ipſius experientia edoctus, ſplendide confirmat magnus quondam, nec adhuc fama minor Medicus, PETRVS FORESTVS [o]). Nec ſilentio praeteriit iſtam ſingularem ipſius GALENI obſervationem diligentiſſimus doctiſſimusque ROSENBERGIVS [p]), dignus proinde ſemper florenti corona ex ſuaviſſimis Roſis confecta.

§. XXI.

Sed relinquamus iam hos ipſos miſeros, in ſalacem Venerem nimium ardentes atque vigentes; et tranſeamus nunc ad hos illis quidem oppoſitos, et aeque miſeros, niſi forſan miſeriores, ſcilicet nimis in Venerem latam arentes ac frigentes, qui nempe iam νενεκρωμένον τὸ σῶμα ἔχουσι, ut *Apoſtolus* [q]) caſte ac pudice loquitur, hoc eſt *partes viriles funeratas*, ſeu *praemortua membra* habent, ut pari fere elegantia dixerunt poetae Latini, OVIDIVS, GALLVS, item MARTIALIS, PETRONIVS et alii; vel et, qui ἄπρακτα μόρια gerunt, ut pari ferme lepore loquitur AEGINETA [r]), unde

n) Lib. VI. *de ſanitate tuenda,* Cap. 14. pag. 185. Tom. VI. Opp.

o) *Obſervat, Med.* 14. Lib. XXVI. pag. 93. et *Obſ.* 17. pag. 106.

p) *Rhodologiae,* Part. II, cap. 17. pag. 230. conf. CASPARI HOFFMANNI Lib. I. *de Medicament. Officinal.* cap. 30. p. 58. ubi idem obſervat.

q) S. PAVLLVS, Rom. IV. 19. ubi vid. WESTEN. pauci enim ex Interpretibus reliquis, hoc praemortuum corpus attigerunt.

r) Lib. III. cap. 58. p. 51.

unde et ἀπραξία τῶν μορίων, paſſim legitur apud eundem, AETIVM et alios: ex quo male natum eſt monſtroſum iſtud *Apoximeron,* apud GARIOPONTVM [s]) et MATTHAEVM SILVATICVM [t]); qui multo peius adhuc ita ſcripſit: *Approximon, aggregatio Membri, ita, quum nec ſemen emittitur, nec Membrum erigitur,* et mox iterum: *Aprocimeron, Aproximeron, id eſt Impotentia actus venerei,* ubi nempe prius plane ineptum eſt, quaſi *Approximon* eſſet ab obſoleto *Approximare*, ſed ſine ullo ſano ſenſu; quid enim quaeſo, eſt *Aggregatio Membri?* alterum vero *Aproximeron* abſconditum in ſe habet, ut dixi, graecum iſtud ἀπραξίαν μορίων, hoc eſt *inoperationem harum partium, quae impoſſibiles ſunt in rebus venereis,* ut ſatis quidem barbare, ſatis tamen vere ſimul et ſignificanter, graecam iſtam vocem ibi vertebat ipſe GARIOPONTVS. Quae inermis et imbellis ἀπραξία τῶν μορίων, caeterum ſaevo quaſi cum ioco, opponitur τῇ εὐπραξίᾳ, ſive πράξει τῶν μορίων, item τῷ πράγματι, apud HIPP. EVRIPIDEM, LVCIANVM, PLVTARCH. DEMOSTHENEM, et alios; de quo vid. ſi lubet, *Obſſ. noſtr. Crit.* Lib. III. cap. 1. pag. 163. et maxime, ibidem Cap. 14. pag. 212. ſqq. ubi id latius, ni fallor, oſtendimus.

§. XXII.

Verum his obiter praemiſſis, nunc ad ipſam potius contrariam medendi rationem accedamus, et ad ipſos potiſſimum *Lectos* reſpiciamus, quales nimirum praecipue conducant victis illis et effoetis quaſi militibus, arma non habentibus, ac proinde ſine gloria militantibus, ut poeta ait. Illi igitur ex ſapienti AETII [u]) et aliorum, Conſilio, debent omnino eſſe molliſſimi ac delicatiſſimi, culcitis

[s]) Lib. III. cap. 70. pag. 77. b. conf. THOM. REINESII, Lib. III *Var. Lect.* cap. 2. pag. 360. et PISON. Lib. III. cap. 47. p. 507. Tom. II.

[t]) *Pandect. Med.* fol. XXI.

[u]) *Tetrabibl.* III. Serm. III. cap. 35. pag. 577. Tom. II. *Med. Vett. princip.* per HENR. STEPHAN.

culcitis quoque, ex blandiſſimis plumis pilisve, paratis, affatim inſtructi et inſtrati: quo ſic Lumbi veluti elumbes ſenſim incaleſcant et revaleſcant, partes autem inprimis vicinae hactenus alto quaſi ſopori immerſae, imo propemodum intermortuae, per iſta blanda fomenta, pedetentim evigilent, atque revireſcant. Quo et plurimum confert ipſe ſupinus Corporis reclinati decubitus. Quantum enim iſte nocet illis, qui inexplebili veneris exercendae deſiderio ſtimulantur, ſomniisque lubricis et voluptificis per noctem, inquietantur, ut ſic cum APVLEIO dicere liceat; uti iam ſupra latius accuratiusque oſtendimus: tantum profecto, e contrario, idem iuvat aerumnoſos illos, qui ex naturali impotentia, a caſti etiam Amoris ſacris alieniores, nullo vel licitae et honeſtae voluptatis ſenſu vivide tanguntur.

§. XXIII.

Sed ipſum nunc potius, hanc in rem, audiamus THEODODORVM PRISCIANVM *): *Quibus vero aut aetatis vergentis defectione, aut morbis locis reſidentibus, veluti partes frigentes, uſus venerei officium pernegarint; tunc e contrario, eis his adiutoriis famulabor:* quae ibi in ſequentibus, late recenſentur, deinde pergit: *Interea eos quieſcere convenit, non ſolum Noctis ſpatio; verum etiam diei: uti plumis, et mollioribus opertoriis, vel ſtraminibus, convenit.* Quae vero mox *de blando puellarum ſpecioſarum ſervitio procurando*, ſubiungit, una, cum ſic dicto AESCVLAPIO, cap. XLII. pag. 71. et 72. ea nunc ſtudio praeterimus, abeuntes enim Anni et advenientes Cani, *Eripuere iocos, venerem, convivia, ludum:* hinc *frigidus in Venerem ſenior*, *et turpe ſenilis amor*, ut poetae forſan vere ſemel, loquuntur: ſed hæc obiter. Ceterum cuncta haec, una cum antecedentibus, ne verbo quidem immutato, more ſuo ſolito, paene dixerim, ſtolido et impudenti, in

*) Lib. II. cap. XI. pag. 84. ſeqq.

in opus ſuum, audacter tranſtulit citatus ſupra GARIOPONTVS *y*): quare locum ex ipſo deſcribere, nec vacat, nec lubet, nec neceſſe eſt.

§. XXIV.

In uno tamen abit ab ipſo ſuo Magiſtro, THEODORO nempe PRISCIANO. Ille enim in antecedentibus ſcripſerat: *Convenit uti unguentis calidioribus et mordentibus, Nitri, vel piperis, vel Euphorbii, vel ſimilium ſpecierum, quae erigendo vaporem Corporum deſiderium, vel uſum venereum valeant miniſtrare*: quae vero in altera eiusdem editione, Argentoratenſi ſic leguntur: *Ex pipere, vel Euphorbio, vel ſimilibus ſpeciebus, quae erigendo vigorem, deſiderium, vel uſum valeant miniſtrare venereum.* Ipſe denique GARIOPONTVS haec ſic exhibet: *Ex pipere, vel Euphorbio, vel ſimilibus, quae erigendo deſiderium, vel uſus venereos valeant miniſtrare, utantur.* Quae ſane binae Lectiones poſteriores clariorem ſenſum inferre videntur, prae iſta priore, in antiqua Editione, ita exhibita: *quae erigendo vaporem corporum:* ubi iſte quidem vapor lucidam ipſius loci ſententiam intercipere et obfuſcare omnino videtur. Mendum igitur veluti vaporoſum hic latere, vix eſt dubitandum: quod ut hac commoda occaſione ſponte, quaſi oblata, emaculemus, Lectoribus moratis potius, quam moroſis, prout quidem ſpes eſt, haud diſplicebit.

§. XXV.

Scilicet tentabam olim legere: *quae erigendo valorem corporum:* vel et *torporem*, aut *ſtuporem corporum*, ut PLINIVS et SOLINVS loquuntur. Tandem vero ſequentem lectionem concinniorem et ipſi loco convenientiorem fore autumabam: *vel ſimilium ſpecierum valore, vel vapore acoporum, quae erigendo deſiderium, vel uſum venereum valeant*

y) Lib. III. cap. 72. pag. 78. b. Conf. et ſaepius laudati PISONIS L. III. cap. 47. pag. 510. Tom. II. qui et ſua ex his hauſit quidem Auctoribus, ipſis tamen, ut ſolet, non nominatis.

valeant miniſtrare. Senſu nunc, ni fallor, clariſſimo et ipſi quidem loco accommodatiſſimo. Nimirum recenſitae iſtae ſpecies calidiores ac mordentes, ſcil. Nitrum, piper, Euphorbium, cum reliquis, vel maxime pertinent ad *acopa* ſic dicta, hoc eſt ad Remedia illa generoſiora, quae languidis membris, nervisque torpidis exterius applicata, torporem ac languorem fortiter excutiunt, vigorem emortuum reſuſcitant, ac vitam quaſi deſuetam reducunt: ut notum ſatis eſt Medicis ex CELSO, GALENO, AEGINETA, ORIBASIO, et aliis a GORRAEO, FOESIO, et memet ipſo, [*]) alibi iam laudatis praeſertim vero ex COELIO AVRELIANO; apud quem etiam, quod inprimis hic probe notandum, ſupinorum ac ſtupidorum ſcribarum errore, ſimilis ſaepe confuſio occurrit inter *corpora* et *acopa*, et inter *corporum* et *acoporum*, propter proximam ſcilicet ipſius ſoni utriusque vicinitatem, et frequentiorem notioremque vocis vulgaris, *corporum*, uſum, et longe ignotiorem vocis peregrinae et graecae ſimul *Acoporum*, ſignificatum. Sic, ut bina tantum, hanc in rem, exempla ſingularia et manifeſta, ex multis aliis, iam producam, haec apud illum leguntur [a]): *Eſt etiam ex localibus adiutoriis uſura Corporum, ut ſunt ea, quae conficiuntur ex Euphorbio, vel adarce, Opobalſamo*, etc. ubi clarum et liquidum ex adiectis his ſpeciebus, apparet indicium, legendum ibi omnio eſſe *uſura acoporum*: ſicut et mox, nonnullis interiectis, [b]) pro vulgatis: *Convenit corporum uſus acriorum: item dropax*, ſcribendum utique eſſe, *Acoporum uſus acriorum*, nemo forſan, ut ſpes quidem eſt, harum rerum ſatis modo gnarus, uſquam dubitaverit. Atque ita pari ratione facillimo quoque negotio, in THEODORO PRISCIANO, pro *Acoporum*, ſcriptum olim falſo fuiſſe *Corporum*, perquam credibile atque probabile videtur. Sed ne nimium de acopis ſcribentes, ipſi exinde nimis delaſſati

*) In *Not.* ad THEODOR. PRISCIAN. Cap. *de pleurit.* pag. 211. *Append.* ad Libellum noſtrum *de pleuritide.*

a) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. I. pag. 282.

laſſati ac defatigati, efficaci proinde fortiorum Acoporum adiutorio indigere forte videamur: hanc quidem de *Acopis*, tractationem, hic ferente ipſa opportuna occaſione, pace Lectoris, ut ſperamus, interpoſitam nunc tandem finiamus, et ad reliqua tranſitum faciamus.

§. XXVI.

Contra *Cephalaeam* igitur, acutiſſimum illud et acerbiſſimum imo et pertinaciſſimum Cerebri inprimis Meningum malum, ſequentia prudenter admodum ordinat laudatus COELIVS AVRELIANVS [c]): *Oportet aegrotantem iacere Loco mediocriter frigido, atque obſcuro, paulo levatius Capite collocato, adhibito ſilentio, atque corporis et animi requie, cum abſtinentia cibi, uſque ad primum diatritum. Si vero vehementior fuerit dolor, erit locandus Aegrotans Loco amplo, atque calido mediocriter, et neque plurimum lucido, ne nimius ſplendor officiat.* Quae ipſa maximam quidem partem, ipſe quoque praecepit GALENVS [d]) cum aliis, qui ipſum preſſius ſunt ſequuti; praeſertim vero THEODORO PRISCIANO [e]).

§. XXVII.

Qui et in ipſa illa vulgari et quaſi generali *Cephalalgia*, ſeu *Cephaloponia*, ut GARIOPONTVS [f]) eam quidem non male vocat, quae vel a nimio ſolis aeſtu, diuturno frigore, longis vigiliis, vino cruditate, aliisque cauſſis, ab ipſo CELSO [g]) aliisque, commemoratis, ortum trahit, haec ad mitigandos dolores, delinimenta perite

 ſuadet

[b]) *Ibidem*, Lib I. cap. 4. pag. 291.

[c]) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 1. pag. 271. conf. PISO, Lib. 1. cap. 7. pag 86. Tom. I. ubi tamen pauca tantum ex his ipſis.

[d]) Lib. II. *de Compoſ. Medicam. ſecundum Loc.* cap. 2. pag. 377. ſeqq. Tom XIII. Opp

[e]) Lib. II. part. II. cap. 1. pag. 44.

[f]) Lib. I, cap. 2.

[g]) Lib. IV, cap. 2. pag. 187.

ſuadet [h]): ἀνακλίνειν κεφαλαλγοῦντας, ἄμεινον καὶ ἐν ψυχροτέροις, εἰσφέροντας ἀμπέλου φύλλα, καὶ βάτου, μήλων τε, καὶ τούτοις παραπλησίων, ὅσα χωρὶς τοῦ κάρου, ψύχειν δυνήσεται: *praeſtat etiam ipſos aegrotos, caput dolentes in frigidioribus aedificiis, aut cubiculis, decumbere, quae inſternenda ſunt foliis Vitis, item Rubi et pomorum, aliisque horum ſimilibus, quaecunque citra veternum, aut ſtuporem, refrigerare valuerint.* Quae ita in ſuos uſus convertebat et nonnullis non illepide adiectis, ulterius uberiusque amplificabat IANVS DAMASCENVS [i]): *Imperabis Infirmo, ut decumbat, aut verſetur in domicilio, optima et frigida ac humida aura dotato. Vitandus aer calidior, calidis vaporibus refertus. Domus itaque, in qua decumbit, ſi natura talis non ſit, noſtra induſtria ſic praeparetur: Area et parietes imbre aquae frigidae, rore ſtillatitii liquoris, ſive decocti roſarum, violarum, nymphaeae, et ſimilium frigida facultate praeditorum, perfundantur et aſpergantur; per aedium praeterea pavimentum ſpargantur flores ac germina, quae frigidae et humidae facultatis ſunt, roſae ſcilicet, rami ſalicis, ruborum, myrti, violae, flores nymphaeae, et id genus alia.* Quae cuncta bene ſane et appoſite in hunc quidem finem ſalutarem, hic ſic propoſita ſunt, et penitus approbantur ex his ipſis Veterum locis, tacite citatis, a PISONE, Lib. I, cap. 6. pag. 55. Tom. I.

§. XXVIII.

Brevius autem in hunc ipſum ſenſum, COELIVS iterum AVRELIANVS [k]). *Erit igitur locandus Aegrotans, ſi totum caput doluerit, ſupinus: Si autem ex parte; ea parte, qua patitur. Mitigatur enim quodam blandimento ſtraminum, pars in dolore conſtituta.* Ita vero rurſus GARIOPONTVS [l]): *Iacere debent iſti aegroti in cubiculo mediocriter temperato,*

h) Lib. I. *de Remed. parabil.* cap. 1. pag. 575. Tom. X. opp. et loc. ſupr. cit. Tom. XIII. opp.

i) Lib. III. cap. 7. pag. 94.

k) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 1. pag. 269. ſeqq.

l) Lib. I, cap. 2. pag. 2. conf. AESCVLAP. Cap. I. ubi eadem totidem verbis, pro more repetuntur.

temperato, et obſcuro, capite abvoluto: ſileant, ſine iracundia ſint, uſque ad diatritum primum. Et iterum alibi infra [m]) *Vitandus autem his aegrotis erit aer luminoſus: Locus enim lucidus ſi erit, oculorum acies percutiens, irritat dolorem capitis; cui, cum in ſtatu erit, oleum calidum adhiberi iubemus, nec ſatis calidum, nec ſatis frigidum, quia intemperantia laedit.* Nec denique hic omittendus ipſe CORNELIVS CELSVS [n]): *Si frigus nocuit, alii caput cervicalibus veſtimentisque onerant, et ſic levantur.* Quale levamentum exinde etiam olim ſenſit ipſe IOANNES CHRYSOSTOMVS, vt memoriae idem prodidit [o]). Ceterum cuncta haec diligenter quoque a *ſcotomaticis,* ſeu *vertiginoſis,* eſſe obſervanda, (quo et quodammodo pertinent καρωθέντες ſeu κεκαρωμένοι, de quibus ſupra Sect. II. §. XXV. iam actum eſt,), quia arctiſſime fere ſemper coniunctae ſunt paſſiones iſtae *Cephalaea,* atque *ſcotomia,* omnibus paene Medicis priſcis novisque affirmantibus, ita graviter pronunciat ipſe COELIVS AVRELIANVS [p]). *Curationem vero eandem adhiberi convenit ſcotomaticis, quae nuper paſſioni Capitis, ſeu Cephalaeae, eſt ordinata, non ſolum generali; ſed etiam ſpeciali ratione.* Idem quoque praecipit ARETAEVS [q]): qui ipſe in fine capitis, addit, ut habeat ſcotomaticus θυμηδίαν, καὶ ἐν ἡσυχίῃ ἐς ὕπνον, ἄφεσιν, *Mentis hilaritatem, et in quiete, ad ſomnum blandum, converſionem ac propenſionem.* Sed de his nunc ſatis.

§. XXIX.

Illis autem ſcotomaticis, ſeu caliginoſa vertigine obnubilatis, mox idem COELIVS AVRELIANVS [r]) ſubiungit *Ephialticos,* ſive ficto

m) Lib. VII. cap. 2. pag. 152. b.

n) Lib. IV. cap. 2. pag. 188.

o) *Epiſt.* VI. pag. 662. Tom. IV. opp. *in Vet. Teſt.*

p) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 2. pag. 288. conf. PISO, Lib. I. cap. 9. pag. 100. Tom. I. ubi eadem.

q) Lib. I. *de Curat. Morbor. diuturn.* cap. 3. pag. 120.

r) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 3. pag. 288.

ficto illo et imaginario *Incubo*, aut *Incubone*, ad ſuffocationem uſque, interdum oppreſſos, qui inde mira moraque phantaſmata ac terriculamenta, ſua quidem opinione, vident, imo ſentiunt atque quaſi manibus palpant, quin et paene tenent. De quo terribili et pericuſoſo ac funeſto frequentius affectu, qui triſte ſaepius eſt prooemium, prodromus ac nuncius Epilepſiae, aut Maniae, aut Apoplexiae aut ſuffocationis, ut graviter periteque pronunciat POSIDONIVS [s]) ita vere eleganterque ſcripſit MACROBIVS [t]): *Phantaſma vero, hoc eſt, Viſum, quum inter vigiliam et adultam quietem, in quadam, ut aiunt, prima ſomni nebula, adhuc ſe vigilare aeſtimans, qui dormire vix coepit, adſpicere videtur irruentes in ſe, vel paſſim vagantes formas, a Natura, ſeu magnitudine, ſeu ſpecie diſcrepantes, variasque tempeſtates rerum, vel laetas, vel turbulentas. In hoc genere eſt Ephialtes, quem publica perſuaſio quieſcentes opinatur invadere, et pondere ſuo preſſos ac ſentientes gravare.* Vbi tamen CASP. BARTHIVS [u]) pro *ſentientes*, male malebat legere, *ſuccutientes*, bonum ſanumque ſenſum ſic audacter nimis ſuccutiens. Hinc rectius, nihil mutat hic IO. RHODIVS [x]). Qualia iudicia, indicia et interpretamenta de iſto inſultatorio ac ſuffocabili affectu, ut ſic cum COELIO loquar, leguntur quoque apud AETIVM [y]), AEGINETAM [z]) ACTVARIVM [a]) GARIOPONTVM [b]) ORIBASIVM [c]), MARCELLUM, [d]) atque alios Veteres, ut recentiores iam ſtudio, taceamus [e]).

§. XXX.

[s]) Apud AETIVM Lib. VI. cap. 12. pag. 104. b.
[t]) Lib. I. *Comment.* in CICERON. *ſomn. Scip.* cap. 3. pag. 9.
[u]) Lib. XXXIX. *Adverſar.* cap. 12. pag. 1779.
[x]) *Not.* ad SCRIBON. LARG. pag. 61.
[y]) Lib. VI. cap. XII. p. 104. b. [z]) Lib. III. cap. 15. pag. 30. b.
[a]) Lib. I. cap. 17. pag. 155. *Collect. Steph.*
[b]) Lib. V. cap. 17. pag 101. b.
[c]) Lib. VIII. *Synopſ.* cap. 2. pag. 260. [d]) de *Medicament.* cap. 20. pag. 134.
[e]) Conf. CASP. BARTHII *Adverſ.* loc. cit. pag. 1778.

§. XXX.

Quum igitur ipſe *Iucubus*, ſeu *Ephialtes*, tam terribile et formidabile ſit Malum, *ut interdum et ipſum Vitae periculum adeant, qui hac moleſtia nimium vexantur; quoniam vitium non contemnendum eſt, maxime vero in proceſſu aetatis*, ut caute monet laudatus modo MARCELLVS, ſive verius, SCRIBONIVS LARGVS [f]) quem paene totum exſcripſit iſte MARCELLVS, ceu doctis notum ſatis. Inde profecto nonnullis, imo forſan plurimis, mirum, novum et inſolitum videbitur, qua ratione, veluti in contrarium, ita ſcribere potuerit ipſe noſter COELIVS AVRELIANVS [g]): *Quidam veteres* ἐφιάλτην *vocaverunt: alii* ἐπιβολήν, *quod utilis patientibus perhibeatur.* Quomodo enim, quaeſo, tam dirus, durus noxiusque Morbus, qui ſaepe interitum minatur, ut modo dictum, *utilis eſſe poterit patientibus?* Et qualis inprimis eſt connexio, inter iſtam praecedentem vocem ἐπιβολήν, et mox ſubſequentem illius explicationem, *quod utilis perhibeatur:* ſive, *ut talis,* uti quidam, hic, pro *utilis*, legunt, ſed ſine omni ſano ſenſu, ut liquido certe ex ipſis verbis connexis apparet. Nunquam enim ἐπιβολή, per cognitum iam ac conſuetum ipſius Graecae Linguae uſum, idem eſſe poteſt, potuit, aut poterit, ac *utilitas*, ut vel ipſis illius Tironibus, aut pueris inveſtibus ignotum haud erit.

§. XXXI.

THOMAS ergo REINESIVS [h]) pro mira ſua ſagacitate critica, ingenio foecundiſſimo, et iudicio denique acerrimo, huius ipſius Loci ſenſum obſcurum, et implicitum, imo ex parte etiam ineptum plane atque inficetum, bene, pro more ſolito, perſpiciens, hoc veluti

f) Cap. XXIII. *Compoſ.* C. pag. 61. ubi vid. IO. RHODII *Not.* p. 165.
g) Lib. I. *de Morb. chron.* cap. 3. pag. 289. modo citat.
h) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 18. pag. 660.

luti oraculum ore venerando emiſit: *Qua ſententia quid ineptius: Iucubum, qui ſit Epilepſia praetentatio, eſſe poſſeſſis utilem. Quid quod nec Nomini* ἐπιβολῆ, *ut torqueas contentiſſime reſpondet Etymon. Scribe ergo:* Epibolen, *quod* hoſtilis *patientibus perhibeatur.* ἐπίβουλος, ἐχθρός, HESYCHIVS, ἐπιβουλή, *inſidiae: vel, ſi malis,* epibolen, ἀπὸ τοῦ ἐπιβάλλειν, *quod cum impetu, irruat, gravet, premat, praefocet, quae hoſtilitatis actiones ſunt:* ἐπιβολή, ὁρμή, *invaſio, aggreſſio, preſſura; quo modo Hercules apud Thurios,* ἐπιβουλεύς *dictus eſt.* Hactenus quidem ſummus iſte Vir, vera Germanorum Gloria.

§. XXXII.

Simul ac igitur nova haec ſive Emendatio, ſive divinatio Reineſiana nota, atque publice nota eſſet; univerſus fere ſenatus criticus et literarius in plauſus ipſius ſonoros et fauſtas congratulationes venerabundus aſſurrexit, eamque ex cornea potius, quam eburnea, porta emigraſſe, unanimi propemodum mente oreque pronunciavit, adeo, ut omnes fere illam pro ingenioſiſſima, certiſſima ac veriſſima, ſine ulla contradictione, declararent. Ego autem contra, ignoſcant mihi, obſecro, placidi beati REINESII manes, quos merito colo ac veneror, et ignoſcent mihi, ut ſpero ac confido, illam ipſam coniecturam pariter pro ingenioſiſſima habeo; tantum vero abeſt, ut eam quoque, pro certiſſima ac veriſſima habere poſſim, ut ne pro vera quidem ac certa, cenſere ullo modo queam: ſicut iam dudum, ex parte quoque vidit PERGERVS, uti patet ex *Notis*, ad HESYCHIVM, pag. 1414. Tom. I. Edit. IO. ALBERTI, cum *Not. Var.* nuperrime a nobis inſpecta. Quod ipſum vero mox evidentiſſime et manifeſtiſſime a me in ſequentibus, demonſtrabitur.

§. XXXIII.

Verum quidem eſt, et ingenue fatendum, praeſtantiſſimum illum Criticum pro miranda ſua perſpicacitate, protinus deprehendiſſe, locum hunc COELII AVRELIANI eſſe mendoſum, atque

inde

inde medela critica indigere: Verum in ipſo loco, ubi nempe illud mendum lateret, iuſte indicando, mirum quantum a vero aberravit. Non enim illud in voce *utilis,* praecipue quaerendum erat; ſed potius in voce illa graeca ἐπιβολὴ, quam ingenioſe quidem, ut iam dixi, aſt infeliciter et intempeſtive prorſus, mutabat in ἐπιβȣλὴ, ſive *inſidias:* Quum lectio unice vera eſſet ἐπωφελὴ, ſeu ἐπωφέλην, hoc eſt, *utilis,* ſive *utilem.* Sic vero ipſum olim *Ephialten* vocatum fuiſſe, clariſſime teſtatur idem HESYCHIVS [i]) ἐπωφέλης, ὁ καλȣ́μενος ἐφιάλτης: et in antecedentibus adhuc clarius: ἐπιάλης, ὁ ἐφιάλτης, ὃν Αἰολεῖς ἐφέλην, vel ἐπιάλτην, ἄλλοι ἠπίαλον, καὶ ἐπωφέλην καλȣ̃σιν: Et denique fere in fine Libri, ὠφέλης, ὁ ἐφιάλτης, ubi ſine neceſſitate, corrigit ἐφέλης, pro ὠφέλης, SALMASIVS. Ἀπὸ τῆς ὠφελείας, igitur, ſive *utilitate,* vocatum olim fuiſſe *Ephialten, Epophelen,* ἐπωφέλην, ex his ipſis Lexicographi locis eximiis, patet nunc, ut modo dixi, maniſeſtiſſime. Sed audiamus hic denique, ſi placeat, ipſum *Etymolog. Magn.* pag. 226. Ἠπίαλος, ἠπιάλης, ἠπιόλης, ἐπίαλος, ALCAEVS etiam ἀπίαλος, ἀπ' ἀπιέναι ἀπὸ τȣ̃ σώματος, εἴρηται δὲ κατ' ἀντίφρασιν, ἤπιος, ἐπαχθὴς γὰρ ἐστίν: quae poſtrema tamen de iſta antiphraſi ſc. in medio merito relinquimus hic intacta. Conf. interim, ſi lubet, EVSTATH. ad *Iliad.* E. pag. 426. et ad *Odyſſ.* Λ. pag. 439. ubi plura de ἐπιάλῳ, atque ἠπιάλῳ.

§. XXXIV.

Ipſam vero reconditam huius opinionis, aut denominationis rationem ita ſi non vere, tamen perquam ingenioſe, et acute, ut ſaepe ſolet, reddidit ARTEMIDORVS [k]): ὁ ἐφιάλτης, ὁ αὐτὸς εἶναι τῷ

πανὶ

[i]) Loco iam citato, p. 1414. et in antecedentibus, p. 1340. item in ſubſequentibus, pag. 1551. ubi vid. *Not. Var.*

[k]) Lib. II. *Oneiro critic.* cap. 42. pag. 132. conf. GYRALDI *Hiſt. Deorum,* Syntag. XV. pag. 442. Tom. I. Opp. item *Etymolog. M.* p. 226. Edit. Venet. voce Ἠπίαλος, ut et PHILIPP. SCHENFELDERI *Hiſtor. Med.* VIII. pag. 29. ſeqq. in *Annotat.* add. PISON. l. c. pag. 271.

πανὶ νενόμισαι· διάφορα δὲ σημαίνει, θλίβων γὰρ βαρέως, καὶ οὐδὲν ἀποκρινόμενος, θλίψεις καὶ στενοχωρίας σημαίνει. Ἐὰν δέ τι καὶ διδῷ, καὶ συνουσιάζῃ, μεγάλας ὠφελείας προαγορεύει, μάλιστα δὲ, ὅταν μὴ βαρῇ: Ephialtes idem fere eſſe, qui Pan, creditur: diverſa autem ſignificat: graviter enim premens, et nihil reſpondens, tribulationes et anguſtias ſignificat. Si vero etiam e contrario, quid dederit, et coiverit, magnas utique utilitates praedicit, maxime, ſi tum non gravaverit. Ad quam ſuperſtitioſam opinionem, aut anilem paene fabellam, vulgo receptam, ipſum noſtrum COELIVM AVRELIANVM unice reſpexiſſe, quum ſcriberet, ex noſtra quidem coniectura, ut modeſtius ita loquamur: *ἐφιάλτην alii vocaverunt ἐπωφελῆ,* ſeu *ἐπωφέλην, Epophelen,* ſeu *Epobelen, quod utilis patientibus perhibeatur,* nullum forſan dubium ulli Lectorum noſtrorum, ut ſpes quidem eſt, relinquetur.

§. XXXV.

Quum ergo hanc ipſam emendationem ante triginta fere annos, cum Clariſſimo Medico ac Critico, IO. STEPHANO BERNARDO, tum amico noſtro chariſſimo, per literas familiares, obiter, ut fit, communicaſſem, ea tantopere ipſi placuit, ut eam dignam cenſeret, quam mox cum invidendo paene mei nominis elogio, ipſi publico liberaliter impertiret [l]); quum me quidem pro tenuitatis meae conſcientia, tali quidem honore vix dignarer. Ceterum autem vel ex hoc inſigni et illuſtri magni REINESII, Critici plerumque feliciſſimi et philologi praeſtantiſſimi, exemplo, perſpicue ſatis patet, quam parum ſaepe fidendum ſit ingenio, in hac lubrica et incerta Arte coniecturali, et quam frequenter emendationes etiam ſpecioſiſſimae, feliciſſimae et veriſimillimae, ut primam quidem frontem, videntur, re tamen poſtea accuratius conſiderata ac perpenſa, non ſolum incertae, minus neceſſariae, ſed et plane falſae et reiectaneae, deprehendantur: id quod etiam iam alibi, aliquoties, debita

[l]) In doctiſſimis ſcil. *Notis,* ad PSELLI Libellum *de Lapidum Virtutibus,* pag. 18.

debita tamen cum modeſtia, contra eundem maximum REINESIVM, quem alias paſſibus haud aequis ſequimur, vel inviti, liquidiſſime, opinor, oſtendimus [m]). Haec igitur ad cavendum, ſibi diligenter notent temerarii nonnulli Critici, qui coniecturas ſuas, ſaepius crudas adhuc, nec ſatis percoctas et examinatas, non ſolum Lectoribus imperioſe obtrudunt; ſed et adeo, nimis profecto confidenter, tanquam e tripode dictas, in ipſum veterum Auctorum contextum intrudere et indecore intercalare, haud verentur [n]).

§. XXXVI.

Verum his ſive deliciis, ſive minutiis criticis relictis, argumenti noſtri bene adhuc memores, nunc potius, ad ipſos *Ephialticorum Lectos*, cum noſtro COELIO AVRELIANO [o]) accedamus, cuius haec ſunt monita ſalutaria: *Quapropter curandos oportet iacere Loco lucido, atque mediocriter calido, adhibita requie animi et corporis, uſque ad tertium diem. Tunc colla tegenda, atque caput, ſtomacho lanis limpidis ex oleo calido, praecincto.* Ita quidem vulgo legitur; ſed legendum potius eſſe ſtilo Coeliano, *praetincto*, perquam probabile videtur. Sic enim infra [p]). *Apponendae Lanae, oleo conſtrictivo praetinctae:* atque in

L 2

m) In *Opuſcul. Med.* Tom. I. pag. 434. pag. 438. ſeqq. item p. 549. ſq. et Tom. III. pag. 31. Vid. et *Obſervat. noſtr. Critic.* pag. 6. 35. ſeqq. item pag. 369. et paſſim alibi.

n) Conf. *praef.* ad *Obſ. crit.* et Lib. IV. *Obſ. crit.* cap. 28. pag. 503. ſeqq. et paſſim per tot. Add. etiam *Opuſcul. med.* Tom. I. pag. 435. et aliis locis pluribus. Vid. et HEVMANNI *Poecil.* Tom. I. Lib. III. pag. 440. ubi ipſe hanc modeſtiam ac verecundiam criticam merito quidem laudat, et tamen ubique fere contra eandem ipſe peccat: ſi dicere liceat.

o) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 3. pag. 290. ex quo hac ipſa ita ad verbum repetit, ut ſolet, NICOL. PISO, non indicato tamen ipſo hoc fonte, unde hauſit Lib. I. cap. 22. pag. 276. ſeqq. Tom. I. ubi plura de *Ephialte*.

p) Lib. IV. *de Morb. Chron.* cap. 3. pag. 511.

in ſequentibus, alibi, manifeſtius [q]) : *Lanis mollibus ac limpidis, oleo calido praedulci praetinctis, dolentia loca contegenda:* et rurſus alibi [r]): *Lanis mollibus venter contegendus leviter, oleo hiſpano praetactus;* ubi et pariter legendum videtur *praetinctus,* licet et illud vulgatum forte ferri et ſuſtineri poſſit. Sed ſtudio iam omitto plures eiusmodi locos, ubique fere occurentes, in quibus noſter Auctor hac quidem phraſi, ſibi admodum familiari, ita loquutus eſt, quod tamen in *Lexico Coeliano,* annotare neglexit ALMELEVEENIVS, ex parte tamen obſervavit REINESIVS [s]). Ceterum POSIDONIVS, apud AETIVM [t]) Ephialtico cubitum ituro ſuadet *caput anethino oleo calido blande rigatum pileo contegere;* σκέπειν πιλήματι καθεύδειν μέλλοντα τὸν ἐφιαλτικὸν, hoc eſt, *caput ſuperimpoſito pileo velare,* ut loquitur CELSVS [u]). GARIOPONTVS [x]) vero, cum reliquis Medicis fere omnibus, decubitum inprimis ſupinum cunctis illis, qui ab incubone per noctem, vehementer premuntur, ſumma cum ratione, maxime diſſuadet et interdicit.

§. XXXVII.

Praeſtantiſſimus denique PETRVS FORESTVS [y]) veterum, et inprimis hanc ipſam Medendi Methodum, a COELIO noſtro praeſcriptam preſſius ſequutus, Ephialticum quendam diu dire excruciatum, et fere ad deſperationem adactum, ita tandem feliciter priſtinae ſanitati reſtituit: ſic enim ipſe ſcribit: *Suaſi, ut decumberet et ver-* *ſaretur*

[q]) Lib. V. *Morb. Chron.* cap. 1. pag. 550.
[r]) Lib. IV. *de Morb. Chron.* cap. 3. pag. 500.
[s]) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 18. pag. 658. ſeqq.
[t]) Lib. VI. cap. 12. pag. 104. b.
[u]) Lib. IV. cap. 5. pag. 195. conf. GALEN. Lib. V. *de Method. Med.* cap. 13. pag. 125. Tom. X. Opp.
[x]) Lib. V. cap. 17. pag. 101. b.
[y]) *Obſervat. Med.* 50. Lib. X. pag. 369. ſeqq. inprimis pag. 373. ſeqq. et ibidem *ſchol.* pag. 374. ſeqq.

ſaretur in loco lucido, mediocriter calido, adhibita requie animi, et corporis abſtinentia, vitaret longos ſomnos, longasque vigilias, et longos labores, et, ut non dormiret, niſi cibo in imum ventrem delapſo, aut in ſpinam ſupinus dormitaret, et moderato exercitio uteretur: et quae ibi plura ſequuntur, omnia ſane lectione attenta digniſſima; quoniam in illis, non ſolum de variis verisque diri huius et anxiferi affectus cauſſis et originibus docte et perite diſſeritur; ſed et aliquot ſimul exemplis prorſus mirandis, ex REMBERTO DODONAEO, IASONE ZIRICAEO, aliisque depromtis, tota iſta de *Ephialte*, doctrina egregie et copioſe illuſtratur.

§. XXXVIII.

Poſſem quidem nunc, imo forſan etiam omnino deberem, huic exercitationi de *Incubo*, finem imponere; ſatis quippe diu in hoc uno argumento, explicando, occupatus et cunctatus: niſi mihi brevem adhuc moram iniiceret unicus SVETONII locus, aliquanto obſcurior et difficilior, lucis forte nonnihil hac commoda quidem occaſione, hic a nobis, ut ſpes eſt, lucraturus. Ita vero ille de truculento iſto et ſanguinolento Caligula *): *Incitabatur inſomnia maxime: neque enim plus, quam tribus nocturnis horis, quieſcebat. ac ne his quidem, placida quiete; ſed pavida miris rerum imaginibus: ut qui inter ceteras,* Pelagi *quandam ſpeciem colloquentem ſecum, videre viſus ſit.* Ex qua ſatis quidem accurata SVETONII deſcriptione, non obſcure, me quidem iudice, colligi atque intelligi poteſt, ab ipſo *Ephialte*, de quo hactenus ſermo nobis fuit, Caligulam fuiſſe turbatum

L 3 tum

*) *Vit. Caligul.* Cap. 50. p. 695. T. I. *Edit.* BVRMANNI. Ceterum ut hoc hic opportunius ad hunc locum, quam ad me ipſum, adiicere liceat, nos pariter neque plus, quam tribus nocturnis horis, a longo iam tempore, quieſcimus, ac ne his quidem placida penitus quiete: licet illa pavida haud ſit miris rerum imaginibus, nec Pelagi quandam ſpeciem nobiscum colloquentem, aut diſputantem, per viſum, exhibeat, uti ille furiis et ſceleribus exagitatus Caligula merito experiebatur. Sed haec obiter.

tum et excruciatum: id quod vel ex iſto imaginario cum *Pelago* quodam, colloquio nocturno, clarius adhuc pateſcit.

§. XXXIX.

Talia enim colloquia imaginoſa ipſis Ephialticis perquam eſſe familiaria, his manifeſte teſtatur GARIOPONTVS [a]): *Aliquoties iſti ab Incubo vexati, per ſomnum, ita fabulantur, quaſi per diem diſputent, et ſic ſermones proſequuntur, quaſi cum aliquantis hominibus fabulentur.* Qualia totidem paene verbis extant quoque apud perſonatum illum AESCVLAPIVM, Lib. *de Morb. cauſſ. et curat.* Cap. VII. fol. XI. ita, ut uterque ex uno eodemque fonte hauſiſſe videatur; uti saepius obſervavimus. Sed audiamus tamen nunc ipſum, ſive loquentem, ſive forſan balbutientem: *Aliquoties per ſomnum fabulantur, et quaſi per diem diſputant, ſic ſermo illorum proſequitur, dum quaſi cum aliquot hominibus fabulentur, aut varietatem ſomniorum diverſorum, vel phantaſiam videant, vel paveant, vel in ſomno clament.* Haec quidem magnus ille, aut parvus, AESCVLAPIVS. Quae ipſa, ut quivis videt, obſcuriora SVETONII verba praeclare nunc illuſtrant. Magis vero adhuc tunc demum ambiguus et reconditus illius loci ſenſus clareſcet; ſi mecum, pro vitioſis illis verbis, ut iure videbantur PETRO BVRMANNO, *Pelagi ſpeciem,* in poſterum legatur *Epiali ſpeciem,* hoc eſt *Ephialtae ſpeciem,* per conſuetam enim et facilem literarum tranſpoſitionem, protinus ex voce *Epiali,* ita leviter transpoſita, *Pelaji,* mox naſcitur *Pelagi*, et rurſus ex hoc *Pelagi,* fit commode *Epiali.* 'Επίαλον autem, item ἀπίαλον, ſive ἠπίαλον, (quae alias certam febris ſpeciem, ut et horrorem, ſeu rigorem febrilem, denotant, ceu notum,) vocatum quoque fuiſſe *Ephialten,* ſupra iam ex HESYCHIO, ALCAEO, EVSTATHIO, DIDYMO, *Etymologico Magno,* et aliis obſervatum fuit, quibus add. *Schol.* ad ARISTOPHANIS *Veſpas,* ibique potiſſimum FLORENTIS CHRISTIANI doctiſſimam obſervationem

a) Lib. V. cap. 17. pag. 101. b.

vationem [b]) ut et STEPHANI BERGLERI breviorem adnotationem [c]). Sed plura de his, in noſtro, ad ipſum SVETONIVM, *Commentario,* qui dudum elaboratus, intervenientibus aliis gravioribus negotiis, per triginta fere annos, in ſcriniis delituit, forſan tamen brevi, ſi Deus vitam et otium benignius adhuc indulſerit, ex indignis tenebris protractus, luci publicae a nobis donabitur. Interea vero haec ipſa, hactenus dicta, hic ſufficiant. In rectam enim viam ex hoc longiore diverticulo, nunc demum eſt redeundum.

§. XL.

Quum igitur, ut inſtitutum noſtrum nunc ſtrenue proſequamur, nocturnus ille placidae quietis inſidiator ac praedator, *Epialus* ſcilicet, ſive *Incubus,* ſaepius eſſe ſoleat ipſius dirae et atrocis *Epilepſiae prooemium,* ſeu *prodromus,* ut ſupra ex POSIDONIO, apud AETIVM, fuit obſervatum, cui accedit ipſe COELIVS AVRELIANVS [d]), qui *Ephialten* proinde ſat appoſite dixit ipſius *Epilepſiae Tentationem:* Hinc veterum Medicorum plerique in ipſa Morborum claſſe accuratius ordinanda et definienda, Incuboni, ſeu Epialo, proxime ſtatim ipſam *Epilepſiam* prudenti ſane conſilio, ſubiunxerunt; ut

b) pag. 505. Edit. Aurel. conf. *Not. Var.* ad HESYCH. pag. 1647. T. I. Edit. ALBERT. et pag. 1340. Sed ex ipſis ARISTOPHANIS verbis ſequentibus, clare id ſatis ac perſpicue patet: *τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρῆσαι πέρυσιν καὶ τοῖς πυρετοῖσιν οἳ τοὺς πατέρας τ᾽ ἦγχον νύκτωρ, καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον.* Quibus in verbis ad utramque ipſius vocis *ἠπιάλου* ſignificationem facete reſpexiſſe videtur *Comicus,* qua nempe et *febrem* denotat, et *Ephialten,* ſeu *Incubum,* aut *pnigalionem.*

c) pag. 645. Edit. per Celeb. BVRMANNVM procuratae. conf. CLAVD. DAVSQVII Lib. *de orthographia,* pag. 121. ubi de *Ephialte,* eiusque diverſa ſcriptione diſſeritur.

d) Lib. I. *Morb. Chron.* cap. 3. pag. 289. nempe ex GALENO, qui *Ephialten* acute *Epilepſiam parvam* dixerat, obſervante PISONE, L. I, cap. 22. pag. 274. Tom. I.

ut clariſſime patet ex GALENO, AETIO, ORIBASIO, ACTVARIO, aliisque [e]) atque ipſo etiam COELIO AVRELIANO. Cuius nunc praecepta inprimis audiamus circa *Epilepticorum Locos* et *Lectos* inſtruendos, diligentius a Medicis obſervanda.

§. XLI.

Sic igitur ipſe [f]): *Curandum autem oportet, primo, cum tenebricoſitate, vel vertigine vexatur aeger, iacere loco lucido, atque mediocriter calido, altioribus ſtramentis capite ſublevato: et, ſi raptus fuerit conſequutus, digitis erunt palpebrae differendae, atque jugiter ab omni motu ſervandus ob ſpaſmi paſſionem.* Quo et forſan ARETAEVS [g]) reſpexiſſe videtur, quum ſolita brevitate Hippocratica, ſcriberet: Βιοτέυειν δὲ χρὴ ἐν χώρησι θερμῆσι ξηρῆσι, ψυχρὸν γὰρ καὶ ὑγρὸν ἡ νȣ̃σος: *Vivere autem decet aegrotum epilepticum in Locis calidis ſiccisque: frigidus enim et humidus ſuapte natura, hic ipſe eſt Morbus.*

§. XLII.

Sed redeamus nunc ad COELIVM noſtrum, qui multis ibidem interiectis, deinde ſequentia opportune ſubiungit [h]): *Has igitur ob cauſſas, aeger plurimo tempore, ſomno depoſito, tardare debet, praecavens Lucis auctoritatem, quam mox diſcuſſio ſomno, intueri minime poteſt, ne repentino eius occurſu percutiatur viſus: Item diſputationibus vehementibus animum exercere declinet. Tunc reſumtus atque relevatus, ſomni plenitudine, ſub ſtramentis, leni unctione tangatur ſemel, ſecundum ſingulas corporis partes, laxamenti mediocris cauſſa, atque frigoris cautione, levem*

e) Conf. CASPAR. BARTHII Lib. XXXIX. *Adverſariorum*, cap. 12. pag. 1778. ut ſupra dictum.

f) Lib. I. *de Morb. chron.* cap. 4. pag. 296. ex quo ſua tranſumſit citatus modo PISO, Lib. I. cap. 19. pag. 230. Tom. I. ſed celato ipſius COELII nomine, ut ſemper fere ſolet.

g) Lib. I. *de Morb. Chronicor. Curat.* cap. 4. pag. 123.

h) *Loco modo citato*, Lib. I. cap. 4. pag. 308.

ſuſpenſo, in ſublime attollantur et blande agitentur. De hoc γυργάϑῳ vero iam ſupra [c]) abunde, opinor, a nobis dictum eſt. Breviſſime autem ſic de iisdem Miſeris THEODORVS PRISCIANVS [d]). *Cubiculum Maenomenis in inferioribus, procurandum eſt; ne per commotiones, praecipitentur;* quae ex parte, tranſumta ſunt ex ipſo COELIO AVRELIANO. Sed paullo explicitius denique, ſic IANVS DAMASCENVS [e]): *Decumbat porro, hoc morbo furioſo implicitus, in Cubiculo aeris et luminis temperati, quoad facultas et vis animalis quieſcat, et ad ſe revertatur, Aſſiſtentibus interim quibusdam gratiſſimis quidem, ſed gravibus, Amicis, quos revereatur, ac metuat, acriter increpatus, ne ferociat, et immaniter ſaeviat. Contineatur autem, quoad eius fieri poteſt, in quiete, quoniam inordinata agitatio, motus et vociferatio vires convellunt, et humores excitant, commovent, febrem inferunt, accendunt, et exſiccant, etc.* et quae ibi ſequuntur adhuc plura, per otium commodius legenda. Quo et vel maxime pertinent iſta AESCVLAPII, ſed non illius antiqui Dei, verum longe iunioris hominis, ſed non indocti, cap. IV. pag. 7. *Semoti iaceant Maniaci a confabulatione, in domo tenebroſa, et ſilentium habeant: Non legant, non fabulentur, etc.* Conf. huc et PISONIS Lib. I, cap. 24. pag. 307. Tom. I. ubi haec et plura alia ex priſcis Medicis pro more, tacite petita. Nos vero iam, relictis illis inſanientibus, audiamus potius illos, qui de acutiſſimis *Aurium doloribus* acerbe conqueruntur.

§. XLVII.

Contra illas ergo periculoſas ſaepe Aurium inflammationes doloresque fere intolerabiles, interdum etiam ad dementiam mortemque ipſam praecipitantes, ut CELSVS [f]) eleganter loquitur, quod pluribus probat et confirmat ALEXANDER TRALLIANVS [g]),

M 3 cum

c) Sect. II. §. XXVII. d) Lib. II. cap. 4. pag. 48.
e) Lib. III. cap. 21. pag. 128. f) Lib. VI. cap. 7. pag. 370.
g) Lib. III. cap. 2. pag. 173. ſeqq.

cum aliis; ſequens inprimis Regimen ac Moderamen circa Lectum ac conclave, diligentius obſervandum, prudentiſſime ordinat laudatus iam ſaepius COELIVS AVRELIANVS [h]): *Vtendum requie corporis, atque abſtinentia, et ſilentio ſummo,* (vel *ſonorum,* forſan, nam in ipſo contextu, eſt *ſuo,* perquam obſcure). *Etenim officio accepta voce, aures neceſſario commoventur, et propterea maiores dolores efficiuntur. Locandi praeterea aegrotantes calido in loco, et ſi dolor coegerit, phlebotomandi,* etc. et quae ibi ſequuntur praecepta hanc in rem, plura ſaluberrima. Quae proinde merito vehementer laudat et approbat ipſe magnus noſter et venerabilis ſemper HOFFMANNVS [i]): quanquam levi admodum memoriae, tum non ſatis fidae, lapſu, tanto quidem Viro facile condonando, hunc ipſum eximium AVRELIANI locum, ut et alterum praecedentem, ibidem tribuit ARETAEO, qui tamen ipſe Otalgicorum curationis haud meminit, plurima enim ipſius pulcherrimi et utiliſſimi operis pars, eheu! periit, inaeſtimabili ſane Medicorum doctiorum damno; licet ceterum de ipſis Aurium doloribus, paſſim mentionem iniecerit.

§. XLVIII.

Iam vero ad illos Miſerandos accedamus, ſi lubet, qui fatali quadam neceſſitate, *purpuream vomunt animam,* ut VIRGILIVS ſignificanter ait, quibusque inde, πορφύρεος ἔγκειται θάνατος, *purpurea Mors proxime impendet,* uti HOMERVS eleganter loquitur: (conf. ATHEN. Lib. XII. pag. 540. ARTEMIDOR. Lib. I. et inprimis EVSTATH.) Ad eos, inquam, pergamus, quibus citato veluti impetu, ſurſum, deorſumve, per nares, vel fauces, vel per inferiora corporis oſtia aperta, *ſanguis derepente prorumpit;* et praeſentiſſimum Vitae mox periturae periculum atrociter minatur. His igitur veluti

in

h) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 3. pag. 368. conf. citati PISONIS L. I. cap. 40. pag. 431. Tom. I. ubi tamen pauca.

i) Tom. IV. *Med. Rat. Syſtemat.* in Tom. II. Opp. pag. 336. et 337.

in anguſto Vitae necisque bivio anxie conſtitutis, praetér alia idonea commodaque remedia, a Medicis ſolertioribus enixe paſſim commendata, Lectus inprimis opportunus atque conveniens procurandus, ſitusque ipſius corporis aptus et conducibilis imperandus, quo impetuoſus ille ſanguinis commoti ac concitati fluxus ſenſim potius reprimatur; quam irreparabili Vitae damno, ulterius promoveatur.

§. XLIX.

Talem igitur ARETAEVS [k]) inprimis, nobis perquam accurate ac diligenter ita deſcribit, imo potius vivis lucidisque veluti coloribus, ſignate ſciteque depingit: Πρῶτον μὲν ψυχρότερον αἱρέεσθαι ἠέρα ἐς ἀναπνοήν, σηκὸν ἐπίπεδον, κλίνην ἑδραίην, ὅκως μηδὲν σείηται, ἐρεθιστικὸν γὰρ αἱ σείσιες. Κοίτη δὲ στερεή, μὴ κάρτα εἴκουσα, μηδὲ βαθείη, ἄθερμος. ὄρθιον δὲ τὸ σχῆμα, ἡσυχίη λαλιῆς, ἠδέ ἀκουσμάτων. ψυχῆς ἀταραξίη, εὐθυμίη. Πάγχυ δὲ τοῖσι τουτέοισι ξυνομαρτέει δυσελπιστίη, τις γὰρ ἐμέων αἷμα, θάνατον οὐκ ὀῤῥωδέει; *praecipue quidem aerem frigidiorem ad Reſpirationem, deligito: Conclave non titubans; Cubile firmum, quo nullam in partem quatiatur, inhabitet: concuſſiones enim Malum exaſperant. Stratum ſolidum, haud multum cedens, neque profundum, neque calidum eſto. Poſitus figurave corporis erecta ſit; ne ſermocinentur, neve ſermones audiant: Animi abſit perturbatio; ſed contra, oblectamentis ille leniatur; ſiquidem id genus aegrotis magna deſperatio et animi conſternatio ſemper proxime adeſt. Quis enim ipſum ſanguinem vomens, Mortem iamiam inſtantem non vehementer perhorreſcat?* Hactenus quidem magnus ille ARETAEVS: Cuius hic ipſe locus modo productus quanto eſt longior atque uberior; tanto profecto eſt praeſtantior ſimul, utilior, atque lectu denique dignior: ut nemo non, opinor, ultro fatebitur.

§. L.

k) Lib. II. *de Morbor. Acutor. Curat.* cap. 2. pag. 95. ſq. ubi vid. inprimis PETRI PETITI *Comment.* doctiſſ. pag. 247.

§. L.

Sed ſuccedat nunc ſuo quidam merito, ipſi ARETAEO COELIVS noſter AVRELIANVS [l]) qui hic quaſi ipſius ARETAEI interpretem egit, et quidem fideliſſimum ac feliciſſimum; ita nimirum luculenter admodum ſcribens, aut ipſius ARETAEI in morem, lucide ac vivide pingens: *Oportet igitur ex qualibet parte, ſanguine fluentes iacere Loco mediocriter frigido, atque obſcuro; Lecto immobili, et ſchemate declinato, ut promtius caput levatum habere videantur: ſtramentis non nimie cedentibus, neque calidis, et, ut potuerint, uno eodemque ſchemate perſeverantes, hoc eſt, immobiles: praeterea animi intentionibus ſolutos. Erunt etiam ſolo conſternenda folia atque rami lentiſci, vitis, mali punici, thaliae,* (de qua voce vid. IO. RHOD. ad SCRIBON. LARG. p. 215. item GORRAE. et MATTH. SILVAT.) *myrti, ſalicis, pini, et horum ſimilium:* deinde rurſus, paucis interiectis: *Convenit praeterea aegrotantes elatiore Lecti ſeſſione declinari, ut omnifariam immobiles curandi perſeverent: prohibere etiam occaſiones, quae poterint paſſionem in commemorationem perducere, vt locutionis, vel viſus: ne aut eadem plurimis fabulis revolvendo, aut inſpiciendo, quae excluſa ſunt, viſo admoniti, commoueantur. Convenit denique etiam ſanguineos colores parietum, vel ſtraminum, ſive operimentorum declinare.* Haec quidem COELIVS noſter: aeque quidem copioſe et verboſe, ac ſupra laudatus ARETAEVS: ſed aeque tamen, ac idem ille, etiam venuſte, docte et acute: imo et in nonnullis, plenius adhuc diſertius et explicitius, prae illo maximo Autore, ut quivis videt.

§. LI.

Tanto brevior autem e contrario, in hiſce obſervandis, fuit PAVLLVS AEGINETA [m]) nec tamen inde hic negligendus, aut omittendus.

l) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 13. pag. 401. ſeq. ubi conf. NICOL. PISONIS Lib. I. cap. 47. pag. 491. et pag. 492. Tom. I. qui quaedam horum ibi ex COELIO refert, non nominato tamen, ut nempe ſemper fere ſolet, ipſo Auctore: quod rurſus infra pariter commiſit L. II. cap. 6. pag. 593. ſeqq. *de Cruenta ſputitione.*

m) Lib. III. cap. 31. pag. 41. Ed. Ald.

vem et delectabilem Geſtationem adhibeat, ut fertoria ſella, vel cathedra. Hactenus quidem ille, perquam egregie ſane atque perite.

§. XLIII.

In quo quidem eximio alias loco, cuncta ſane clara, ac perſpicua apparent, ſola illa inſolita dictione excepta, *Lucis auctoritatem;* quippe quae nec lucis ſatis, nec auctoritatis omnino habere videtur. Quare iam dudum fuit, quum blande potius ac modeſte, quam ſevere, aut auſtere, praeciperem, legendum hic rectius eſſe, *Lucis auſteritatem,* hoc eſt, *ſummum, acutiſſimum ac vigentiſſimum lucis ſplendorem et fulgentiſſimum radium*, oculos ſubito ferientem, eorumque aciem vehementius praeſtringentem et obtundentem; quam *auſteritatem* alibi ipſe noſter COELIVS [i]) felici ſatis audacia, ſignificanter vocavit *lucis importunitatem.* Ita quoque apud Graecos, eodem ſenſu eademque venuſtate, occurrit, paſſim φωτὸς αὐστηρότης, καὶ χρωμάτων ὀξύτης καὶ πικρότης; Lucis vero, Colorum, Smaragdorum, aliarumque lucidarum Gemmarum, *Auſteritas* hoc quidem ſenſu, ſaepiſſime legitur apud PLINIVM [k]), apud quem et ſemel, atque iterum [l]) pari, ac hic, apud Noſtrum COELIVM, errore, *Auctoritatis* ſcriptum fuit, pro *Auſteritatis*, prout praeclare et docte pro ſolito more, oſtendit ibi SALMASIVS [m]) qui iſto ſimul loco, exacte et copioſe agit de iſta *lucis ac Colorum Auſteritate;* de qua etiam cum ipſo, et poſt ipſum iam alibi [n]), ut diximus, ſatis diſerte, ni fallor, tractavimus, ſicque h nc

[i]) Infra nempe, hoc ipſo Cap. 4 Lib. 1. pag. 316.

[k]) Vid. Lib. IX, cap. 36. et 38. Lib. XXX, cap. 6. et Cap. 10. L. XXXVII. cap. 5. et cap. 7. et ita ſaepius alibi: conf. HARDVINI *Ind.* in PLINIVM.

[l]) Libro cit. XXXVII, cap. 5. ubi conf. HARDVIN. pag. 477. Tom. II. Opp.

[m]) *Exercitat. Plinian.* pag. 140. et *Comment.* ad TERTVLLIANI Lib. *de Pallio,* pag. 135. ſeqq. conf. et STRVCHTMEYERI *Animadverſ. Crit.* Lib. II. cap. 13 pag. 173.

[n]) Vol. nempe I. *Opuſcul. Med. et Med. philol.* pag. 248. in *Not.*

hunc locum Coelianum ſine dubio emendandum eſſe, placide monuimus; nec tamen ex modeſtiae criticae regulis neceſſariis, ſupra iam commendatis, auſi temere ſumus, hanc ipſam veriſſimam alias emendationem ipſi contextui Coeliano praefidenter nimis intrudere; licet ſummo quidem iure id tentare potuiſſemus. Sed finiamus iam, hem! tempus eſt, hancipſam de *lucis auſteritate*, Exercitationem, hic quidem, ex ipſa neceſſitate, obiter interiectam; ne quis forte Lector nimis auſterus ac moroſus vel hanc parvulam moram nobis magno vitio vertat, nosque a ſcopo noſtro praefixo alieniora ac remotiora hic tractaſſe, rauca voce et caperata fronte, vociferetur.

§. XLIV.

Sed nondum plane e manibus dimittendus eſt noſter COELIVS AVRELIANVS; ita enim alibi [o]) de ipſis *Epilepticorum Lectis* ſcribit: *prohibent praeterea aliarum ſectarum principes ſupra pellem caprinam dormire, ſive iacere aegrotantem: ſi quidem paſſionis facit motum.* Idem paene obſervavit ALEXANDER TRALLIANVS [p]) cum aliis nonnullis. Quin et ipſe HIPPOCRATES noſter [q]) huius ſive argumenti, ſive potius commenti mentionem facere non neglexit, licet mox in ſequentibus, hanc anilem paene fabellam vanorum agyrtarum et circulatorum, pro acerrimo ſuo iudicio, et animo ab omni foeda et plebeia ſuperſtitione alieniſſimo, perquam ſolidis ponderoſisque argumentis fortiter confuderit et confutaverit, omnes fere Africae mediterranea incolentes ſaniſſimos nihilominus et ab ipſis epilepticis inſultibus liberos et immunes eſſe, quum tamen promiſcue caprinis carnibus pellibusque utantur, neque ullum in domo ſua habeant ſtratum, neque pallium, neque demum calceamentum, quod non ſit ſemper caprinum. Sed huius traditionis, ſive

o) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 4. pag. 314.
p) Lib. I. cap. 15. pag. 78.
q) Lib. *de Morbo Sacro*, pag. 326. Tom. II. Opp.

ſive ſuperſtitionis cauſſa et origo forte ex eo inprimis petenda videatur, quod capras praeſertim morbo illi caduco ſeu comitiali obnoxias eſſe traditum olim fuerit, ut praecipue patet ex PLVTARCHO r) et aliis, quod ſcilicet vermes multos habeant in cerebro, quos tamen ipſos ex DEMOCRITI conſilio, amuleti loco, appenſos ipſi epilepſiae valide adverſari tradidit laudatus ALEXANDER TRALLIANVS s); qui ceterum etiam, ipſas carnes caprinas, ceu noxias haud nominat, ut alii contra, apud COELIVM AVRELIANVM t) quas tamen e contrario, una cum ipſo caprarum Cerebro, ceu potentiora antidota, contra dirum illud malum epilepticum, ex aliis commendat PLINIVS u). Ex quo miro et perpetuo Auctorum Veterum diſſenſu nunc liquidiſſime patere confido, parum, aut nihil forſan periculi metuendum eſſe Epilepticis ex caprarum pellibus, ipſorum quidem Lecto, ad dormiendum, vel quieſcendum, commode ſubſtrato. Sed de his hactenus.

§. XLV.

Nunc vero ſana potius mente fidenter transeamus ad *Inſanos*, ſive *manicos*, aut *Maenomenos*, ut habet THEODORVS PRISCIANVS x), quos mox ipſis Epilepticis ordine veluti naturali, ſubiungit, et aeque, ac illos, tractandos et curandos, ita praecipit COELIVS AVRELIANVS y): *Curationem vero ſimilem Epilepticis accipimus adhibendam. Etenim principio convenit iacere Loco mediocriter lucido, atque calido, et nullo turbore pulſato: nulla quoque picturae diſtinctione,*

 neque

r) *Quaeſt. Roman.* pag. 290. Tom. II. Opp.

s) Lib. I cap. 15. pag. 83. ſeqq. conf. HIERON. MERCVRIAL. L. III. *de Morb. pueror.* cap. 3. pag. 403. et maxime ERVCII *Quaeſit. per Epiſt.* Cent. III. pag. 194.

t) Citat. Lib. I. cap. 4. pag. 314. Conf. CLEMENTIS ALEXANDRINI Lib. VII. *Stromat.* pag. 718. item HIPPOCRAT. *de Morb. Sacr.* p. 325.

u) Lib. XXVIII. *Hiſt. Nat.* cap. 16. et 19.

x) Lib. II. cap. 4. pag. 48.

y) Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 5. pag. 329.

neque feneſtris humilibus luminato: neque in ſuperioribus potius, quam in ſolo: Plerique enim furore correpti, ſeſe praecipites dederunt. Eſt etiam Lectus firmiſſime, atque averſus ingreſſum cubiculi locandus, quo ingredientes minime videant aegrotantes, ne vultus varietate, laceſſiti, furoris augeant vanitatem. Stramina praeterea mollia ſunt approbanda, cum defricatione, ac retentione articulorum, blando ſcilicet tactu. Haec quidem ſic ille ſatis luculenter, diſerte et exacte. Vnicum tamen leve mendum ni fallor, inhaeſit illis verbis, *averſus ingreſſum,* quod ſcilicet facile mutandum in, *averſus ingreſſu*, vel *ab ingreſſu;* uti pari fere modo, ſupra de phreniticis, eadem ſcilicet Maniacorum curatione tractandis, *Noſter* dixerat: *Sit etiam Lectus omni ex parte, firme locatus, ut immobilis perſeveret, ipſi vero phrenitici foribus etiam atque feneſtra averſi, ne ingreſſu hominum aſperentur* [z]): nam quod in margine, legitur, *adverſus ingreſſum,* adverſus ipſum huius loci ſenſum, excogitatum eſſe videtur, quoniam nempe Lectus potius ab incedentium ingreſſu averſus eſſe debebat, quam adverſus illorum acceſſum expoſitus. De Lecto vero adverſo, qui tamen proprie loquendo, huc non pertinet, videatur, ſi volupe, magnus ille IOSEPHVS SCALIGER [a]). Ceterum omnes fere reliquos Medicos exacta diligentia et ſaluberrimo Conſilio, hic unice vicit COELIVS noſter AVRELIANVS.

§. XLVI.

Sic enim multo brevius et ſeverius, de tractandis furioſis, ſeu Manicis, PAVLLVS AEGINETA [b]): πρὸ δέ γε πάντων, ἢ συνδεσμείσθωσαν οἱ Μανικοὶ ἐν τῇ κλίνῃ, διὰ τὸ μὴ κακόν τε δρᾶν αὐτοὺς τὲ καὶ τοὺς προς τυγχάνοντας· ἢ ἐωρίσθωσαν ἐν κλινιδίῳ, ἔνδοθεν γυργάθου τινὸς ἐξ ὕψους ἀπηρτημένῳ: *Ante omnia vero Inſanientes aut vinciantur in Lecto; ne mali quidquam faciant, aut ſibimet ipſis, aut illis etiam, qui ad ipſos accedunt. Aut intra ſportam cancellatim textam concluſi, in Lecto ex alto ſuſpenſo,*

z) Lib. I. *de Morb. Acut.* cap. 9. pag. 24.

a) In *Caſtigat.* ad SEXT. POMPEI. FESTVM, pag. 143. et in *Not.* ad CATVLLVM, pag. 94.

b) Lib. III. cap. 14. pag. 30. b.

tendus, praeſertim ideo, quod potiora momenta adnotare minime praetermiſit. Sic enim ille: Πάντας δὲ πτύσαντας αἷμα κατακλιτέον ἐν τόποις εὐαέροις, ἐπὶ κλίνης ἀκινήτȣ, κατὰ τὸ ἀνάῤῥοπον σχῆμα, φυλαττομένȣς τὸ σφοδρῶς ἀναπνεῖν τέ καὶ φθέγγεσθαι: *Omnes autem ſanguinem ore reiicientes decumbere oportet in Locis, ad aerem bene libereque expoſitis, in Lecto immobili, figura ſurſum directa, ita, ut vitent ſimul vehementiorem reſpirationem, et clamores inprimis, aut ſermones ſonantiores ac frequentiores.* Quod ipſum et ſapienter monuit ALEXANDER TRALLIANVS [n]) qui alias, perquam accurate, copioſe, ac diſerte, de Haemorrhagiis curandis, commentatus eſt, προφυλαττέσθωσαν δὲ, inquiens, πάντες οἱ ἀναπτύσαντες αἷμα, τὸ βαδίζειν ἐπὶ πλέον, καὶ γυμνάζειν τὸ σῶμα, τέ, τε ἀναβοᾷν, καὶ τὸ ἐκχολȣ̃σθαι. Τὴν δὲ ἡλίωσιν, καὶ τὸ θερμῷ οἰκήματι προσομιλεῖν: *praecaveant autem omnes, qui ſanguinem expuerunt, ambulationem largiorem, corporisque exercitium nimium, item vehementes exclamationes et iracundiam: denique vero nec in ardente ſole, in domicilio, aut cubiculo calido diutius verſentur.* Hinc recte noſter COELIVS AVRELIANVS [o]) alibi, rurſus adnotavit: *Multum denique ſanguine fluentibus prodeſſe immobilitas valuit.* Quod ipſum quoque in ſplendida quadam matrona, catarrho, et ſanguinis profluvio ſimul, infeſtata, Romae, quondam, feliciter expertus eſt GALENVS [p]), ut et in aliis, narium inprimis haemorrhagia correptis, plurimum profuiſſe, laetus obſervavit [q]).

§. LII.

Quin et ipſe CORNELIVS CELSVS [r]) cuncta haec, in variis ſanguinis exundantis profluviis, auſpicato ſiſtendis, ceu ſumme neceſſaria

n) Lib. VII, cap. 1. pag. 303. ſqq. conf. LIBANII *Epiſt.* CXIII. p. 59.
o) Lib. II. *de Morb. Acut.* cap. 37. pag. 161.
p) Lib. V. *de Method. Med.* cap. 13. pag. 125. Tom. X. Opp.
q) Lib. I, *de Remed. parabil.* cap. 4. pag. 583. Tom. X. Opp.
r) Lib. IV, cap. 4 pag. 204. ſeqq. conf. WILIELM. BAXTER. *Not.* ad HORAT. *Satyr.* 3. Lib. II. pag. 345.

ceſſaria et maxime profutura, iam dudum, ita ſerio commendavit: *Neceſſaria praeſertim ſunt quies, ſecuritas, ſilentium: Caput quoque cubantis ſublime eſſe debet. At inimica ſunt Conclave calidum et incluſum, item multa veſtimenta corpori iniecta.* Vbi tamen, ut id obiter hic moneam, iſta quidem *ſecuritas,* haud ſatis ſecura quaſi fuit a ſevera nimis invaſione, ut ita dicam, critica. Fuerunt enim quondam, qui eius loco, ſubſtituere mallent *ſeveritas:* ſed praeter ullam, me quidem iudice, neceſſitatem, aut rationem. Sic enim ipſe noſter CELSVS [s]) ſupra, et paſſim, laudaverat *animi ſecuritatem:* atque pari prorſus modo, dixerat COELIVS AVRELIANVS [t]): *accedente animi quadam ſecuritate,* quod et alibi, apud ipſum occurrit. Imo et ipſe HIPPOCRATES [u]) iam dudum eodem ſenſu, ſcripſit: περιπατέετω ὀλίγα, τέως ἐν ἀσφαλείῃ, *parum circumambulet ante, in ſecuritate:* apud quem et vox iſta ἀσφάλεια, eodem nempe ſignificatu, ut ſecuram animi tranquillitatem, in aegris maxime neceſſariam, indicet, paſſim, hinc inde legitur. Sic ergo tuta ſatis et munita erit iſta quidem CELSI noſtri *ſecuritas,* ut certe ſperamus. Sed haec obiter, data occaſione, et in tranſitu.

§. LIII.

Ex iſto autem ipſo elegantiſſimo CELSI loco, modo laudato, inſignis ſane, niſi fallor, affulgebit lux utrique PLINIO, commode illuſtrando. Sic enim *Maior* ille, Hiſtoriae naturalis ſolertiſſimus Conditor [x]): *Sermoni parci, multis de cauſſis ſalutare eſt. Triennio Mecoenatem Meſſium* (vel *Meliſſium,* ut maluit HARDVINVS) *accepimus, ſilentium ſibi imperaviſſe, a convulſione, reddito ſanguine.* Nempe in tali caſu cruento, pariter ſupra ipſe CELSVS commendaverat *ſilentium,* ceu multum profuturum. PLINIVS vero alter, ſive *Minor* [y]) de

[s]) Lib. I. cap. 3. pag. 28.

[t]) Lib. II. *de Morb. Acut.* cap. 32. pag. 150.

[u]) Lib. *de Intern. Affect.* pag. 234. Tom. II. Opp.

[x]) Lib. XXVIII. cap. 6. [y]) *Epiſt.* I. Lib. VIII.

de dilectiſſimo ſuo Lectore, pari ſanguinis reiectione affecto et afflicto, ita commentatur, imo et rectius, lamentatur: *Encolpius quidem Lector, ille ſeria noſtra, ille deliciae, exaſperatis faucibus pulvere, ſanguinem reiecit. Quam triſte hoc ipſi, quam acerbum mihi! Sed dii laetiora promittunt. Stetit ſanguis, reſedit dolor. Praeterea continens ipſe, nos ſolliciti, Medici diligentes. Ad hoc ſalubritas Coeli, ſeceſſus, quies, tantum ſalutis, quantum otii, pollicentur.* Scilicet *quietem* inprimis, ſeceſſum et otium recte praeceperat Haemoptyicis, CELSVS, una cum ARETAEO, AEGINETA, ALEXANDRO TRALLIANO, GALENO et aliis, iam ſupra laudatis. Interea vero maxime mirum eſt, neminem, quantum equidem memini, ex tanta Interpretum, in utrumque illum PLINIVM, praeſertim vero iuniorem, turba, hunc ipſum CELSI locum plane eximium, attuliſſe, ad explicandos tamen illos utriusque PLINII locos, paullo obſcuriores, tam commodum et appoſitum, quin imo, tam neceſſarium. Sed nunc demum, ex hoc veluti obliquo diverticulo, rurſus in rectam ac conſuetam Viam,

§. LIV.

Sic igitur etiam in hanc ipſam rem, GARIOPONTVS [*]): *Omnes Haemoptyicos ſcias abſtinendos a clamoribus, ab iracundia, et omni impatientia. Lectus eorum in terra ſit, non penſilis, et locis, ubi iacent, aerem ſtypticum facies.* Imo, nonnullis ibidem interiectis, adhuc diſertius et luculentius [a]): *Medendi ratio talis eſt: In domo frigida, lucida, in immobili Lecto iaceant. Nam, ſi moveantur, vel iraſcantur, vel clament, ſtatim ſanguinem proiiciunt: iuxta tempus adhibeantur flabella frondium, pampini, myrti, aut calami, cum aquae aſperſione, ut omnia frigida ſint. Similiter coopertoria levia adhibeantur, ne magis calefacti, ſanguinem eiiciant.* Quae omnia totidem paene verbis, pro ſolito more,

 ſic

[*]) Lib. II. cap. 2. pag. 22.

[a]) *Ibidem,* Cap. 3. pag. 23. b. conf. et inprimis, Lib. VII. *Symptom.* c. 17. pag. 159. b. et pag. 160. ubi paene eadem.

ſic coniunctim quoque repetuntur a ſic dicto AESCVLAPIO, Medii aevi Medico, cap. XVI. pag. 21. quare ea hic ſtudio, omittimus. Denique haec ipſa, propter ſummam ſcilicet neceſſitatem, rurſus in fine capitis [b]) ita repetit: *Haemoptoici in locis frigidis ſint, vel locis apertis, hypogaeis, a clamore, ab iracundia, a vomitu, acrimyphagiis,* (ita enim haud dubie, ibi legendum pro vulgato corrupto, *dimifragiis,* quod et apud MATTH. SILVAT. ſic male ſcriptum eſt: Vt et dictum modo AESCVLAPIVM,) *a pulvere, a fumo etc. abſtineant.* Quae magnam quidem partem ex illo ipſo loco Coeliano, ſupra producto, additis tamen nonnullis de ſuo penu, depromta eſſe, lectori harum rerum ſatis gnaro, haud, credo, erit obſcurum.

§. LV.

Ab his ipſis ergo ſalutaribus GARIOPONTI praeceptis, haud longius, opinor, abire videtur ſequens praecautum IANI DAMASCENI [c]) conſilium: *Aeger quietus et tranquillus eſto, neque expiratione vehementi, neque vociferatione utatur. Locabimus inſuper aegrum, ut erectus ac veluti ſedens, decumbat; ne thoracis partes, ſeſe mutuo prementes, coarctentur, in anguſtum redactae, et tuſſis inde excitetur.* Quorſum et illa in antecedentibus, pertinent [d]): *Hos, qui ob ſanguinis eruptionem, ſyncope periclitantur, infrigidare potius et conſtipare oportet. Tum, ut frigidus aliquis ventus domum, in qua decumbunt, accedat, proſpiciendum; perflatusque faciendus, aſſidua aurae conciliata permutatione. Myrtus, Roſae, Violae, Vitium palmites, et alia frigidae facultatis, per aream proiiciantur.* Quae brevius ſic extulit CONSTANTINVS AFRICANVS [e]): *Moliendum eſt, in loco, ubi iacent iſti, ſtypticum, et frigidum*

aerem

[b]) *Ibidem,* pag. 24.

[c]) Lib. IV. *Method. Therapevtic.* cap. 25. pag. 242. conf. PISONIS Lib. II. cap. 12. pag. 710. Tom. I.

[d]) Lib. II. cap. 24. pag. 62.

[e]) Lib. III. *de Morb. Cognit. et Curat.* cap. 14. pag. 64.

aerem trahere, ut in domo aſpergantur ſalices, Myrti, Vitium extremitates, roſae, et ſimilia: praecipiatur denique quieſcere. Qui et alibi, in antecedentibus f), de moderanda et ſenſim ſiſtenda nimia narium haemorrhagia, breviter ſcripſerat: *Infirmus iaceat ſupinus, et in faciem mittamus aquam cum aceto, mixtam:* quod ipſum et ſupra GALENVS iam praeceperat cum aliis pluribus, praeſertim GARIOPONTVS g). Sed de his mox plura accuratius, quando de Animi defectione, ſive ſyncope, tractabimus.

§. LVI.

Contra varias *Veſicae paſſiones,* praeſertim vero *Rhevmatiſmum,* ut et nimium ipſius ſanguinis fluorem, ſeu *mictum cruentum* vehementiorem, cum ſummo dolore coniunctum, ſequentia ordinat praeſidia et lenimenta COELIVS AVRELIANVS h): *Fluente igitur veſica, hoc eſt, ſolutionem patiente, locandus Aeger in frigido mediocriter loco, adhibita requie, cum abſtinentia, et articulorum tenaci ligatione: et, ſi ſanguinis fuerit fluor, clunibus prominentius ſublevatis: et officio mictus admonente, imperandum aegro, ut neque id retento faciat ſpiritu, neque vi quadam, vel conatu, excludi cogat aliena.* Poſtea vero, nonnullis interiectis, in contrario eiusdem veſicae affectu, mutata nonnihil ipſa medendi Methodo, haec ſapienter praecipit i): *At, ſi ſtrictura fuerit Ventris, vel veſicae, convenit iacere aegrotantem Loco mediocriter calido, atque lucido, adhibita abſtinentia, uſque ad tertium diem, cum requie.* Quas neceſſarias Cautiones vel in *Thromboſi Veſicae,* qua nodoſi ac grumoſi ſanguinis fruſta, una cum urina, difficillime redduntur, diligenter quoque obſervandas eſſe, ſerio monet GARIOPONTVS k) et ex

f) L. II, c. 14. p. 35. conf. RHODII *Analect.* ad SEPTAL. *Caut. Med.* pag. 320. g) Lib. VII, cap. 17. pag. 160.

h) Lib. V. *de Morb. Chron.* cap. 4. pag. 573. Conf. PISONIS Lib. III. cap. 34. pag. 392. Tom. II. ubi quaedam ex hic.

i) *Loc. citat.* pag. 575.

k) Lib. III. cap. 12. pag. 73.

ex eo, AESCVLAPIVS ſic dictus [l]). De quo autem diro duroque Veſicae affectu, infra paullo diſertius pleniusque forſan tractabimus [m]). Ex quibus cunctis ſolidum et exactum iudicium practicum ſatis perſpicue, opinor, undique dilucebit.

§. LVII.

Quamvis autem ipſae illae variae Haemorrhagiae in utroque ſexu, unam fere eandemque medendi rationem exigere videantur, adeo, ut hinc etiam ſcripſerit GARIOPONTVS [n]): *Mulieribus quoque, quibus eadem paſſio, Menſtruis non purgatis, contingit; ſimili Virorum cura ſubvenitur:* de illis tamen cruentis uteri male affecti profluviis, ſaepe cum praecipiti ipſius vitae dubiae periculo coniunctis, ſeorſum plerumque tractarunt Veteres illi Medici, Graeci et Latini praeſtantiſſimi, hactenus a nobis merito laudati. Inde igitur, ut reliquos iam mittam, AETIVS inprimis AMIDENVS [o]) contra acerbiſſimum illud Menſium ſtillicidium, haec ipſa ſalutaria praecepta dedit: *Exacerbatione iſta inſtante, Mulier in domicilio locetur moderate tepido; non tamen obſcuro, et manuum ac pedum extremitates faſciis deligentur.* Paullo poſt vero de nimio et impetuoſo ipſius *uteri fluxu rubro,* ſenſim caute compeſcendo, ſequentia monita ſubiungit [p]): *At vero lumbis ac femoribus detrita ac mollia Lintea imponantur, frigidis ſuccis imbuta. Locetur autem Mulier ipſa coxis acclivibus, cruraque extendat, et inter ſe complicet ad uteri partes contrahendas.* Quibus etiam ſuffra-

l) Lib. *de Morbor. Orig. et Curat.* cap. 41. pag. 67.

m) §. CX. n) Lib. II, cap. 3. pag. 24.

o) *Tetrabib.* IV. Serm. IV. cap. 63. pag. 798. ſeu 808. Tom. II. *Collect.* STEPH. ex Verſione Lat. CORNARII, Graeco nempe contextu illius partis nondum vulgato, ceu notum.

p) *Ibidem,* cap. 66. pag. 800. ſeu rectius, pag. 810. quae exinde repetit NICOL. PISO, Lib. III. cap. 49. pag. 532. Tom. II. ſed tacito Auctore, more ſcil. ipſi conſueto.

ſuffragatur GARIOPONTUS[q]): *Sic etiam menſtrua foeminarum per antiſpaſin ſedamus,* (hoc enim modo ibi haud dubie legendum pro vulgato monſtroſo, *per avtipaſyn,*) *ita, ut ſuperiora conſtringendo, vel colligando, leventur, inferiora vero ceſſare faciamus*: ubi vid. reliqua, quae ibi ſequuntur, de ipſo *Cubiculo* apte inſtruendo, et commodo ipſius corporis ſitu ordinando: de quo iam ſupra ſaepius actum, adeo, ut idem repetere, haud opus ſit. His autem, ut id commode hic adiiciam, HIPPOCRATES Lib. I. *de Morb. Mul.* p. 425. Tom. II. inprimis, addit caſtam a complexu virili, abſtinentiam, qua quippe neglecta, ipſe ſanguis aeſtu et oeſtro venereo exagitatus, ad vaſa uterina, tum laxa ac dilatata, largius affluit, et hinc contineri neſcius, copioſius ac celerius effluit. Quo et maxime pertinet dubius ille et obſcurus eiusdem Locus, Lib. II. *Epidem.* p. 693. Tom. I. πρὸς δὲ τὰ ἀφροδίσια οἱ ῥόοι ἔβλαπτον, *hae ſanguinis fluxiones Veneri officiebant.* Quae ipſa GALENI eſt Lectio, *comment.* in h. l. pag. 141. et pag. 354. Tom. IX. opp. Quum enim in Vett. Exempl. MStis, adeo uſque obliteratae et evanidae eſſent iſtius vocis literae, ut inde οὖραι formaret DIOSCORIDES, Θύραι autem legeret HERACLIDES, ſed utrinque dure, et ſine ſenſu commodo: Inde ipſe GALENUS, ut modo dicebam, ſubſtituebat ῥόοι: idque melius quidem ac commodius ad ſenſum ipſum: dubito tamen nonnihil, an ſatis Graece ſic dixerit ipſe HIPPOCRATES ἔβλαπτον πρὸς τὰ ἀφροδίσια, *laedebant ad Venerem.* Quare facilius et ſimul elegantius, ni fallor, legendum hic potius putem: αἱ ὁρμαὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια, ἔβλαπτον, *ſtimuli, ſeu fervidi impulſus ad laſcivam Venerem, nimis irritando, laedebant uterum, ut ſanguis inde copioſius et diutius e Vaſis laxis proflueret,* uti nempe mox in ipſo contextu ſequitur: ἄκρητα. ἐρυθρὰ ἰκνεύμενα ᾔει, *mera rubicunda ſanguinea affatim profluebant,* peracto ſcil. coitu: Senſu nunc, ſi quid modo videam, clariſſimo, ac huic quidem loco convenientiſſimo. Nihil vero frequentius fere apud Auctores

q) Lib. VII. cap. 17. pag. 159. b.

ctores Veteres quosvis optimos occurrit, iſta quidem elegantiſſima phraſi, αἱ ὁρμαὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια, item πρὸς ἀφροδίτην, συνουσίαν, ὁμιλίαν, item ἐς ἀφροδίσια, ἐς συνουσίαν, ut ſexcentis exemplis probari hic poſſet ex ARISTOTELE, THEOPHRASTO, GALENO ipſo, AEGIN. AELIANO, PHILONE IVD. PLVTARCHO, SVIDA et aliis, praeſertim autem DIOSCORIDE, qui omnium frequentiſſime iſta dictione utitur: ut pluribus alibi, commodiore ſpatio, docebitur, ubi de hoc ipſo HIPPOCRATIS loco, data quidem opera, accuratius acturi aliquando ſumus. Nolim enim iam copioſior et verboſior eſſe, ac iam forſan, me invito, factum, ne ἀναφρόδιτος nonnullis forte videar. Hoc tantum adhuc addere hic liceat, ATHENAEVM, ſcil. Lib. II. pag. 69. ſic meminiſſe τῆς πρὸς τὰ ἀφροδίσια ὁρμῆς, et ARCHIGENEM apud AETIVM, dixiſſe, ὁρμὴ πρὸς ἀφροδίσια ἄσχετος ἢ ἐπιτεταμένη, conf. WIGAN. ad ARET. pag. 499. et ipſum ARETAEVM ſcripſiſſe pag. 26. ἡ ἐς τὰ ἀφροδίσια ὁρμή, ubi conf. PETIT. pag. 210. Sed haec tandem ſufficiant.

§. LVIII.

Omnes autem huiusmodi extremas et enormes ſanguinis vitalis exinanitiones, citato impetu exortas, totius corporis vires confeſtim proſternere et exhaurire, atque hinc non ſolum graves et periculoſas animi defectiones, ſeu *Lipothymias,* concitare, ſed et his ipſis longe graviores ac perículoſiores *Syncopas,* ſive *Malfactiones,* ut illas GARIOPONTVS, cum aliis nonnullis, vocat, (de qua denominatione, vid. ſi lubet, REINESIVS r) repente inducere; id certe et ipſa ſana ratio per ſe protinus dictat, et quotidiana experientia inſuper affatim docet, ac multis exemplis confirmat. Inde igitur Medico probo, perito ac ſolerti, hic minime ſegniter cunctandum; quin potius graviter gnaviterque properandum, et omnibus viribus operandum, quo malo huic minaci, et cum extremo ipſius Vitae periculo

culo

r) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 4. pag. 393. ſqq.

culo arcte coniuncto, extemplo, ab initio, ſtrenue obviam eatur, ipſaque Vita humana iam in ruinam propenſa et inclinata, armata veluti manu, deſtinato iam exitio eripiatur, ſicque rurſus erigatur, et ab imminenti interitu fortiter ac feliciter vindicetur.

§. LIX.

Hinc ergo praeſtantiſſimi illi Medici Veteres ſuas hic inprimis partes perquam egregie egerunt, quo in hoc praecipiti caſu, ipſi naturae penitus fere proſtratae et oppreſſae, praeſentiſſimis et efficaciſſimis Remediis intus et extra, quam diligentiſſime adhibitis, potentiſſime ſuccurrerent, Vitamque ipſam exigua de ſpe adhuc pendulam et paene amiſſam, auſpicato ipſi reducerent. Ex quibus autem nos hic, pro praeſenti noſtro ſcopo, in hoc quidem opere, nobis praefixo, externa tantum, ad *Lectos* potiſſimum, atque *Decubitus aegrotorum,* animo Viribusque defectorum, ſpectantia et facientia, aliquanto curatius contemplabimur, et ex illis ipſis magnis Auctoribus saepius iam laudatis, ſed vix vnquam ſatis laudandis, paullo diſertius enarrabimus.

§. LX.

Sic igitur ALEXANDER TRALLIANVS [s]) luculenter: Δεῖ μᾶλλον εἰσόδȣς πνευμάτων ἐπιτεχνᾶσθαι. καὶ χρὴ τὸν ἀέρα τȣ̃ οἴκȣ τρέπειν εἰς ψύχȣσάν τε καὶ ϛρυφνὴν ποιότητα, μυρσίνης, τε καὶ ἀμπέλων ἕλιξι, καὶ ῥόδοις καταϛρωννύειν τὸ ἔδαφος, *Oportet inprimis ventorum ingreſſus ad iſtos quidem aegros ſyncope correptos, arte quadam moliri; Convenit ergo, ipſius domus, aut cubiculi aerem ad refrigerantem potiſſimum et aſtringentem qualitatem convertere, ipſumque hinc pavimentum Myrti, Vitiumque capreolis, atque roſis inſternere.* Sed luculentius adhuc ARETAEVS [t]): Κατακεέσθω δὲ ἐν ἠέρι ψυχρῷ ὁ νοσέων, εἴτε καὶ πρὸς ἄρκτον ὁ οἶκος

[s]) Lib. XII. cap. 3. pag. 705.
[t]) Lib. II. *de Morbor. Acut. Curat.* cap. 3. pag. 102.

οἶκος. εἰδὲ καὶ εἴη αὔρη βορέου ψυχρὴ ἐπιπνείουσα, ζωγρήσει κακῶς κεκαφηότα θυμόν. ἔσω δὲ καὶ εἰς λειμῶνας, καὶ πηγὰς, καὶ κελαρύζοντας ὀχετοὺς κ. τ. λ. Ἢν δὲ ὑπ' ἀπορίης, μὴ τάδε τις εὐτυχῇ, μιμέεσθαι χρὴ καὶ αὔρην ψυχρὴν, πτόρθων εὐωδέων ἡδονῆς ῥιπίσι, καὶ ὥρην ἦαρος φύλλοισι, ἠδ' ἄνθεσι τοῖσι παρεοῦσι στορέσαντα τὴν γῆν. Ἀτὰρ καὶ ἐπίβλημα ἔστω κοῦφον, παλαιὸν, ὡς δέχηται μὲν τὸν ἠέρα, διαπνέῃ δὲ τοῦ θώρηκος τὴν θέρμην. ἄριστον δὲ ὀθόνη παλαιή. *Decumbat autem ipſe Aeger in aere frigido, aut et ad Vrſam domus vergat: At ſi et frigida Boreae aura afflabit, aegre ſpirantem animum ſic excitabit. Moretur autem et prope virentia prata, fonteſque et rivos blando quidem ſuſurro obſtrepentes. Si vero quis ob inopiam, haec ipſa feliciter conſequi nequeat; tum imitari oportet et auram frigidam, ramorum bene olentium voluptuariis flabellis, et tempus vernum, foliis ac floribus praeſentibus humum, aut pavimentum, inſternentes. Operimentum quoque ipſum leve ſit et obſoletum, ut aerem quidem accipiat; calorem autem ipſius pectoris exhalare permittat: optimum vero eſt vetus et detritum Linteum.* In quo quidem venuſto et eximio ARETAEI loco, ut id obiter adiicere hic liceat, omnia ſplendide nitent, et ad inſtar fere ὀχετοῦ κελαρύζοντος τε καὶ καλλιῤῥοοῦντος, pure pulchreque fluunt, praeter ſolam illam formulam, ἡδονῆς ῥιπίσι, ubi vel in media, ut ita dicam, voluptate et venuſtate, invenuſtus naevus haeret; quem proinde Celeb. WIGAN. (Fautor olim noſter et amicus ſingularis, nunc eheu! deſideratiſſimus,) eluere tentabat, legendo, ἡδέης, acute ſane et convenienter: nos vero olim, ante hos quadraginta annos, ſimplicius et forſan veriſimilius, legendum putabamus, ἑδανῆς, vel ionice, ἑδανῇσι ῥιπίσι, hoc eſt *ſuavibus ac voluptariis flabellis,* ſenſu ſcilicet, ſi optimo et perſpicuo *). Sed haec in tranſcurſu tantum, et oblata opportunitate. Ceterum vero verba iſta: αὔρη βορέου ψυχρὴ, κ. τ. λ. ibidem, appoſite deſumta eſſe ex HOMERI *Iliad.* Lib. V. 697. ſeqq. opportune in *Comment.* monet PETR. PETITVS, pag.

*) Vid. *Notas* noſtras *Criticas*, *Editioni* ARETAEI *Boerhaavianae* adiectas, pag. 518.

pag. 257. ſeqq. ubi conf. inprimis EVSTATH. pag. 453. qui ibi appoſite obſervat, frigidiorem inprimis Boreae auram animo defectos refocillare.

§. LXI.

Interea vero in his cunctis, praeeuntem ARETAEVM preſſe ſequitur AETIVS [x]) cuius tamen inſignem locum Latine tantum ex CORNARII ſcilicet verſione, hic adſcribere licet, quoniam ipſum graecum AETII exemplar iſta quidem parte, nondum vulgatum eſt, ceu notum eſſe arbitror. En autem nunc ipſa illius verba: *Aeris itaque frigidi admiſſione et ventilatione ſyncopticis et cardiacis auxiliari oportet. Stragula eis incumbentia tollantur: operimenta vero, quibus conteguntur, mollia ſint, et uſu priore detrita. Ipſum pavimentum irroretur, ac foliis conſternatur Myrti, Platani ac quercus; maxime vero Vitis, atque ipſis etiam Roſis. Solem autem domus, in qua decumbit aeger, non admittat; ſitque minime alta, ſed depreſſior, et non valde lucida.* Quae ipſa maximam quidem partem, ſic arctiore compendio complexus fuerat noſter AETIVS [y]) ſecundum dimidiatum exemplar graecum, ab ALDO quondam publicatum: Διὸ τὸν ἀέρα τȣ͂ οἴκȣ ψυχρὸν κατασκευάζομεν τοῖς συγκοπτικοῖς, πνεύματα ψυχρὰ κατασκέυαζοντες εἰς ἀυτὸν πνεῖν· καὶ τὰ ἐδάφη πληρȣ͂ντες τῆς συφέσης ποιότητος, οἷον μυρίνων, ῥόδων, ἑλίκων ἀμπέλων: *Qua propter aerem domus frigidum ſyncopticis aegris paramus, frigidos ventorum afflatus inducentes, et ipſa pavimenta adſtringente quadam qualitate implentes et inſternentes, veluti Myrtis Roſis, et Vitis denique pampinis.* Neque alia remedia ac praeſidia in his periculoſe decumbentibus, propoſuit GARIOPONTVS [z]): *Flatus inprimis frigidi Ventorum hic ſunt adhibendi, et aer et Cubiculum ſtypti-*

[x]) *Tetrabibl.* III. *Serm.* I. cap. I. pag. 437. *Syllog. Med. Vett. princip.* STEPHANI Tom. II. conf. NICOLAI PISONIS Lib. II. cap. 12. pag. 710. et pag. 711. Tom. I. ubi AETIVM reliquosque preſſe quidem ſequitur: illorum tamen Nomina, more conſueto, reticet.

[y]) Lib. V. cap. 102. pag. 94. b. [z]) Lib. VII. ſeu ult. cap. 16. p. 160.

ſtypticum, ubi iaceant, ex artis ſcientia, faciendum, id eſt, frondibus teneris pavimentum ſternamus, videlicet Myrti, ſalicis et pampini, et Mali granati atque Roſae, et aliis huiusmodi virtutis ſtypticae. Eadem fere in his proponunt IANVS DAMASCENVS, item CONSTANTINVS AFRICANVS, et alii, quorum locos, iam ſupra, quum de *Haemorrhagiis* ageremus, productos, hic fruſtra repetere, haud placet, nec neceſſe eſt. Sicut et ipſum GALENVM [a]) ORIBASIVM [b]) aliosque, qui de his ipſis externis, aliquanto brevius tractarunt, iam ſtudio, dimittimus, ut nempe brevitatis inprimis ratio habeatur.

§. LXII.

Sic ergo iuſto largiora ſanguinis effuſi profluvia citas terribilesque lipopſychias, (quas tamen nimis ſubtiliter, opinor, a Lipothymiis, diſtinguebat olim Celeb. noſter SCHNEIDERVS, Lib. *de Apoplexia,* cap. VI. pag. 78. ſeqq. et pag. 104. Sed haec obiter) ſeu animae defectiones, hisque ipſis longe, adhuc terribiliores et periculoſiores ſyncopas, ſeu *Vitalium inciſiones,* (ut acute ſic illas interpretatur GREGORIVS MAGNVS [c]) ceu progeniem vitioſiorem, parere frequentius ſolent; quae tamen, ut ſupra iam monitum, aſſidua inprimis cura Medici periti, ſolertis et intrepidi, protinus tempeſtive accedente, per praeſentiſſima et praeſtantiſſima praeſidia ac Remedia interna externaque, iugiter adhibita, feliciter tandem diſſipari et expugnari poſſunt.

§. LXIII.

Sed non haec calamitas ſola: ſequitur enim tantam quidem amiſſi ſanguinis iacturam, ex maiore praeſertim ipſius pulmonis vaſe

a) Lib. XII. *de Methodo Medendi,* cap. 3. pag. 279. ſeqq. Tom. X. Opp. ubi plura de ſyncope. conf. huc et IO. RHODII *Analect.* ad SEPTALII *Caut. Med.* pag. 111.

b) Lib. VI. *ſynopſ.* cap. 27. pag. 211. ſeqq. conf. et antecedent.

c) Lib. III. *dialogor.* cap. 33. conf. PETRI PETITI *Comment.* ad ARETAEVM, pag. 158.

vaſe dirupto, aut exeſo, ſubito factam, plerumqua et altera, eaque ipſa priore illa, nempe ſyncope, longe adhuc atrocior et pertinacior, nimirum *lenta Phthiſis, ſeu tabifica lues,* ceu ſatis ubique notum. Sic enim recte ac perite COELIVS noſter AVRELIANVS [d]): *Phthiſis, ſive phthoe, fit frequentius, antecedente ſanguinis fluore:* quod ipſum affatim confirmant ipſe HIPPOCRATES [e]), ALEXANDER TRALLIANVS [f]), ARETAEVS [g]), CELSVS [h]), GALENVS [i]); et reliqui ſane omnes, quos operoſe hic allegare, vix opus. Ita exempli tantum cauſſa, ex ſanguinis ſputo, in lethalem tandem phthiſin incidiſſe ipſum Imperatorem HADRIANVM, commemorat DIO CASSIVS [k]) et de PHARNVCHE, ſtrenuo illo, aſt infelici, equitatus praefecto, per equum, a cane intercurrente, ſubito perterritum, in terram ſolidam vehementius excuſſo, haec memoriae prodidit HERODOTVS [l]) πεσὼν δὲ Φαρνούχης, αἷμά τε ἤμεε, καὶ ἐς φθίσιν περιῆλθε ἡ νοῦσος, *ſic Pharnuches, equo graviter delapſus, ſanguinem vomuit, et morbus ipſe tandem in Tabem tranſiit:* ubi forte, ut id obiter hic quidem interponere liceat, paullo rectius, certe uſitatius, legeretur, προῆλθε, pro vulgato περιῆλθε: (prout nempe ipſe HIPPOCRATES, GALENVS, ALEXANDER TRALLIAN. et omnes fere Medici Graeci loqui ſolent, ceu notum): quanquam nec hoc plane reiecerim. Ceterum conferatur hic etiam, ſi lubet quidem, PLVTARCHVS [m]). Sed

 quid

d) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 14. pag. 420.

e) *Aph.* 78. Sect. VII. Lib. I. *de Morb.* X. pag. 10. ſqq. et XIX. p. 23. ſqq. Tom. II. et alibi.

f) Lib. VII, cap. 2. pag. 305. ſeqq.

g) Lib. I. *de cauſſ. Morb. chron.* cap. 8. pag 36. ſeqq.

h) Lib. IV. cap. 4. pag. 203. et Lib. III. cap. 22. pag. 168. ſeqq.

i) Lib. V. *de Meth. Med.* per tot. et paſſim alibi.

k) *Hiſt.* Lib. LXIX. pag. 1167. Tom. II. et ibi *Not.* REIMAR. conf. HIERONYMI JORDANI Lib. *de divino in Morbis,* cap. 70. p. 243. ſqq.

l) Lib. VII. cap. 88. pag. 408. *Edit.* GRONOVII.

m) In *Vita* ARATI, pag. 1051. Tom. I. Opp.

quid plura? mille profecto, et plusquam mille perquam funeſta iſtius dirae calamitatis exempla, de frequenti ſcil. et conſueto ipſius Haemorrhagiae tranſitu in lethalem tandem et immedicabilem Tabem, ubique cumulatiſſime proſtant. Hinc etiam prudenter ac convenienter ipſe HIPPOCRATES [n]) ALEXANDER TRALLIANVS [o]) COELIVS AVRELIANVS [p]), GARIOPONTVS [q]), aliique plures, iam ſupra laudati, in ſuis egregiis ſcriptis, ipſi de Haemorrhagiis, Tractationi ſtatim, et, ut ita dicam, immediate, arctius ſubiungunt, phthiſicam paſſionem, et Empyemata, ſic nempe diſtincte et ordinate, ut decebat, praemittentes ipſam Cauſſam, moxque illi ſubiicientes affectum, ex illa ipſa praegreſſa cauſſa, neceſſario prognatum: Sed de hic hactenus.

§. LXIV.

Licet igitur externa quidem ſpecie ipſa Phtiſis lentiſſimo quaſi gradu, imo claudo veluti pede, procedat, vel clanculum ſubrepat, atque ſemivivos illos aegrotos ſenſim tantum ac tacite emaciet et emaceret; intus tamen, et in occulto, tantae ſimul eſt pernicitatis, ut nec vigilantiſſimi ac ſolertiſſimi Medici, velociſſime etiam properantes, eam facile conſequi, multo autem minus comprehendere, aut retrahere ac repellere valeant. Semper enim fere *ſaeva anteit moriendi neceſſitas et inevitabile fatum:* ut cum poeta loquar, adeo, ut omnes iſti miſerandi tabidi poſt dira diuturnaque cruciamenta, per iſtam immedicabilem Tabem, tendant tandem feralem in Tumbam, ipſo graviter monente HIPPOCRATE [r]) cum ceteris Medicis, novis et antiquis: quod et innumera paene exempla, in priſcis noviſque Hiſtoriis

n) Lib. I. et II. *de Morb.* Lib. *de Intern. Affect.* et alibi paſſim.
o) Lib. VII. cap. I. et II. pag. 305.
p) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 13. et cap. 14. pag. 320. ſeqq.
q) Lib. II. cap. 2. et cap. 4. et 5. pag. 24. ſeqq.
r) Lib. I. *de Morb.* pag. 11. ſqq. 22. 23. ſqq. Tom. II.

Hiſtoriis [s]) ubique obvia, uberrime teſtabuntur. Inde igitur veriſſima ac certiſſima iſta eſt CORNELII CELSI [t]) obſervatio: *Quod ſi vera eſt Phthiſis, inter initia, protinus occurrere, neceſſarium eſt: Neque enim facile hic Morbus, quum inveteraverit, vincitur.* Quam ita adiecto ſuo calculo, amplius confirmat THEODORVS PRISCIANVS [u]): *Chronicos vero Phthiſicos non iam, ut Medicorum officio, ſed tantum, ut amicorum ſolatio, viſitamus:* et denique in fine: *ſi ſub proxima deſperatione, iam nos, et eos, obſederit Naturae fragilitas,* etc. et quae ibi ſequuntur.

§. LXV.

Quod ſi igitur Medicus contumax illud et inſanabile Malum penitus tollere Arte ſua, non poſſit: eo tamen ſemper ſummam ſuam intendat operam ac diligentiam, ut illud ipſum miſerandus aeger facilius ac commodius tolerare queat: Solamina ergo et levamina ſaltim afferat externa; ſi nulla etiam Medicamina et iuvamina interna, quae proſint, adhibere poſſit. Inde igitur iam olim phthiſicis haec in ſolatium, ſuaſit MARCELLVS EMPIRICVS [x]): *Qui phthiſi adficiuntur; maritima loca vitare debent, atque illis maxime, ubi pix conficitur, commorari, ibique Cochlearum carne cum vino, excoctarum, aſſidue*

[s]) Vid. DIODOR. SICVL. Lib. XVI. pag. 111. Tom. II. ibique WESSELING. DION. CASS. Lib. LIX. pag. 923. Tom. II. PLVTARCH. in *Vita* ARATI, pag. 1051. Tom. I. et in GALBA, ibidem, pag. 1060. ISOCRATIS *Aeginet.* pag. 756. ſeqq. et pag. 764. alioſque plures, iam ſtudio praetermiſſos. Conf. et DIETERICI *Iatr. Hipp.* p. 1341. ſeqq. et pag. 1343. ſeqq.

[t]) Lib. III. cap. 22. pag. 169. quod ipſum CELSI caput paene integrum tranſcribit PISO, Lib. II. cap. 10. pag. 670. ſeqq. Tom. I. Auctore non nominato.

[u]) Lib. II. cap. 21. pag. 94. Conf. *Opuſcul. noſtr. Med.* Tom. III. pag. 222.

[x]) *de Medicament.* cap. XVI. pag. 119.

aſſidue veſci: quouſque autem pix atque Cochleae hic inprimis conducant, iam non diſquirimus. Interim tamen illarum eſum et uſum approbaſſe quoque MERCVRIALEM, MERCATVM, SENNERTVM noſtrum, HEVRNIVM aliosque praeſtantes Medicos, alios contra, eundem reieciſſe, obſervavit IO. RHODIVS, in *Analect.* ad SEPTALII *Caut. Med.* pag. 368. Audiamus ergo potius COELIVM AVRELIANVM [y]): *Convenit aegrotanti phthiſico calidus locus, et abſtinentia unius diei* etc. et mox quibusdam interiectis, luculentius [z]): *Convenit interea Motus latens, penſili primo Lecto, vel cathedra longiore, atque in vicina porticu.* Nec improbanda hic ſunt iſta GARIOPONTI [a]) ſalutaria conſilia: *In aere bono iaceant phthiſici, et deambulationibus mediocribus, et odoribus bonis utantur. Obſcuro loco iaceant, in hieme, circa caput et collum, et thoracem, unctiones mordaces, adhibeantur,* etc. et quae ibi ſequuntur. Eadem paene occurrunt etiam apud IANVM DAMASCENVM [b]) aliosque, paſſim; ſed quae iam his ſubiicere, haud neceſſarium nobis viſum. Ceterum autem aer iſte bonus purusque, ac boni delectabilesque odores hic quidem ab auctoribus perite commendati aegrotis phthiſicis, hodie, ex nova plane et paene inaudita ſapientia practica, quaeruntur potius in olidis, fumidis humidisque boum et equorum ſtabulis, ut ibi ſcilicet inclinata et caduca Tabidorum ſalus ſic ſtabiliatur, eorumque pulmones marcentes et languentes vitali iſto balſamo vitulorum ac vaccarum, reficiantur et refocillentur. Sed nova haec ſuaviſſima ſcil. et iucundiſſima medicatio per fimum ac fumum, merito ad reliqua praeclara huius beatioris et prudentioris ſaeculi inventa, ſive portenta, pertinet, qualia ſcil.

y) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 14. pag. 422.

z) *Ibidem,* pag. 425. et pag. 427. citati iam PISONIS Lib. II. cap. 10. pag. 670. 671. Tom. I.

a) Lib. II. cap. 5. pag. 24. Conf. et AESCVLAP. cap. XVIII. pag. 23. ubi eadem omnia ſolito more, iterum leguntur; quare illa exſcribere, non neceſſe.

b) Lib. II. Cap. 12. pag. 32. et alibi.

ſcil. ſunt fallax illa infelixque ſaepius, variolarum inſitio, Remedia ex diris Venenis impune deſumta, et audaciſſime adhibita; item novum illud Arcanum potentiſſimum et aſpectu ſimul iucundiſſimum ſcilicet, pertinaciſſimos nempe cancros praevalide perdomandi, potiſſimum, per impoſitos locis cancroſis vivos Bufones, ut ſcilicet pulcherrimae iſtae beſtiolae teterrimum illud et deleterium virus plenis veluti buccis, avidiſſime exſugant, ſi nempe velint, et omnia mundata et reſanata relinquant, ſi modo poſſint: quo et mitiſſimae denique ac vix ſenſibiles curationes pertinent, per alapas, verbera, flagella, fuſtes ac ſclopeta, ut alia taceam: taedet enim pigetque merito ineptiarum.

§. LXVI.

Huc itaque vel maxime referendae quoque ſunt *febres* ſic dictae *hecticae*, vel *ſyntecticae*, quae plurimum etiam negotii, ſaepius inanis quoque et infructuoſi, faceſſunt ipſis medentibus, etiam ſolertiſſimis, praecipue vero iſta earum extrema et conſummatiſſima ſpecies *Maraſmodes*, ab exitioſo et lethali tandem *Maraſmo*, ſive Marcore, vel Syntexi, ita dicta, alias etiam *ſenilis* vulgo vocata. De quarum cauſſis, differentiis et curationibus rite inſtituendis, Veteres proinde Medici praeſtantiſſimi, veluti AETIVS, ORIBASIVS, ACTVARIVS, CONSTANTINVS AFRICANVS, IANVS DAMASCENVS, RHAZES, aliique iam diligentiſſime ac diſertiſſime tractarunt interque illos omnes, potiſſimum GALENVS [c]) atque ALEXANDER TRALLIANVS [d]) cuius ipſius vel maxima cura fuit circa arentium et ardentium Hecticorum frigidiora cubicula et leviora Cubilia, opportune procuranda, uti vel ex hoc ipſo ſingulari ac memorabili Loco manifeſtius patebit, quem etſi aliquanto diffuſior et verboſior ſit

c) Lib. I. *de febrium different.* et inprimis Lib. VIII. et X. *de Method. Medendi*, item Lib. VII. cap. 6. pag. 166. ſeqq. Tom. X.

d) Lib. XII, cap. 4. per tot.

ſit, propter praeſtantiam tamen atque utilitatem exinde capiendam, huc maximam quidem partem, integrum adſcribere haud pigrabimur.

§. LXVII.

Sic igitur ille [e]): εἰ οὖν θέρος εἴη, ἐν οἰκήματι κατωγαίῳ κατακείσθω, καὶ ῥαντιζέσθω τὸ ἔδαφος ὕδατι πολλῷ ψυχρῷ, ὥστε διὰ τούτου, ψυχρότερον ἀποτελέσαι τὸν ἀέρα. ἔτι δὲ κάλλιον ἂν μεταβάλλῃς τὸν ἀέρα, ὥστε μὴ μόνον ἐμψύχειν, ἀλλὰ καὶ ῥωννύειν δύνασθαι τὸ σῶμα, ἐὰν εἰς τὸ ἔδαφος ἐπιῤῥίψῃς τινὰ τῶν ἐμψυχόντων, ἢ ῥόδα, ἢ ἀείζωα, ἢ βάτον, ἢ σχίνου κλῶνας, ἢ ἕλικας ἀμπέλων, ἤ τι τοιοῦτον, ὅπερ καὶ ἐμψύχειν, καὶ τόνον δύναται ἐπιτιθέναι: *Si igitur aeſtas fuerit, in ſubterranea domo aeger decumbat, et pavimentum aqua frigida copioſe conſpergatur, ut aer hinc frigidior evadat: Adhuc vero praeſtat, ſi aerem quidem ita immutes, ut ipſum corpus non modo refrigerare, ſed etiam ſimul corroborare poſſit: id quod commodius fiet, ſi pavimento iniicias aliqua ex refrigerantibus, aut Roſam nempe, aut ſempervivum, aut Rubum, aut Lentiſci turiones, aut Vitis capreolos, aut ſimile quoddam, tum ad refrigerandum, tum ad robur inducendum, efficax inprimis atque idoneum.* Denique ſequentia etiam in fine illius, de domo et Lecto aegroti, ſectionis, ibidem, prudentiſſime ſubiiciuntur [f]): Μόνον μὲν τὸ ἄλλο σῶμα ἐπισκέπειν δεῖ μετρίως, ὥστε μὴ ἐκ τῆς πλείονος σκέπης θερμαίνεσθαι, καὶ διὰ τοῦτο, καὶ ἔκλυσιν ὑπομένειν τινὰ τὸν κάμνοντα: *Reliquum autem corpus ſolummodo moderate cooperiri oportet, utne pluribus integumentis ſuperiectis ipſe aeger inde magis incaleſcat, atque ideo quandam virium defectionem ac reſolutionem ſuſtineat.* Hactenus TRALLIANVS.

§. LXVIII.

Cui nunc in his, ſuum etiam aſſenſum ita praebet IOANNES DAMASCENVS [g]): *Habitet hoc pacto, affectus, in aeſtate, et qualibet con-ſtitutione*

e) *Lib. citat.* XII, cap. 4. pag. 722. ſeqq.
f) *Loco citato*, pag. 723.
g) Lib. II, cap. 12. pag. 32.

ſtitutione temporis calida, in aedibus, ac ceteris locis frigidis, ſalicibus, roſis, myrto, floribus nymphaeae, violis ac vitibus redimitis atque inſtratis. Quae ipſa ſic plenius ac luculentius enarrat CONSTANTINVS AFRICANVS [h]): *Aer frigidus conſtituendus eſt: Locus ſeptentrionalis: Indumenta frigida, ſicut Lana vetuſta, infuſa roſis, ſandalis, et aqua roſata.* Et paullo poſt, ibidem, quibusdam interiectis: *Si aeſtas ſit, infrigidetur aer et humectetur. Domus ſit ſpatioſa, et ſeptentrionales portae: In pavimento ſternantur frondes et flores ſalicum, ſemperviva, rhamnus, iuncus, rami Vitium, et ſimilia, et aqua paulatim ſuper ea fundatur.* Hucusque CONSTANTINVS AFRICANVS, cum aliis pluribus, quo et denique pertinet e recentioribus, iam ſaepius laudatus NICOLAVS PISO, Lib. *de febribus cognoſcendis et curandis,* Cap. XIV. pag. 796. ſeqq. *Append.* ad opus ipſius *de cognoſcendis et curandis Morbis,* T. II. conf. et IO. RHODII *Analecta* ad SEPTALII *Cautiones Med.* p. 141.

§. LXIX.

Sed hi omnes, magnum, quem hic fidenter tutoque ſequerentur, habuerunt ducem, nimirum ipſum GALENVM, qui, ut ſupra iam monitum, de his quidem febribus hecticis ſubdolis, inſidioſis, ac ſaepius inſanabilibus, omnium optime, exactiſſime et diſſertiſſime, ut ſolet, commentatus eſt [i]): τῷ μὲν θερμῷ ἀέρι τοὐναντίον ἐπιτεχνᾶσθαι καταγείους οἴκους, ψυχροτάτους τε καὶ εὐπνουστάτους ἐξευρίσκοντας, πρὸς ἄρκτον ἐστραμμένους. αὔρας τέ τινας ἡδείας αὐτοῖς μηχανωμένους. ῥαίνοντάς τε συχνῶς τὸν οἶκον ἀκραιφνεῖ ψυχρῷ, καὶ ῥόδα πολλὰ κατὰ τῆς γῆς ἐκχέοντας, ἢ ἀμπέλων ἕλικας, ἢ βάτων ἀκρέμονας, ἢ σχίνων κλῶνας, ἢ τι τῶν ἄλλων φυτῶν, ὅσα ψύχει. εἴργοντας δὲ δηλονότι καὶ πλῆθος ἀνθρώπων εἰσιέναι. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο θερμαίνει τὸν οἶκον. *Pro calido aere, inducendus arte contrarius eſt, ſubterraneis inventis domibus, quae et frigidiſſimae ſint, et maxime perflatae*

h) Lib. VII. cap. LXX. p. 200. et p. 201.

i) Lib. X. *de Method. Med.* cap. 8. pag. 234. Tom. X. conf. AET. L. V. cap. 91. pag. 90. ex hoc ipſo GALENI loco.

ſtatae, et ad ſeptentrionem converſae: tum auris quibusdam, quae ipſis ſint ſuaves, opera noſtra paratis. Praeterea domo aſſidue, aqua, quae prorſus frigida ſit, aſperſa, ac Roſis plurimis, humi ſuſis, aut vitium capreolis, aut Ruborum ſummitatibus, aut Lentiſci ramis, aut denique reliquarum, quae refrigerent, ſtirpium aliquibus. Turba quoque hominum ingredi maxime prohibita, namque illa ipſam etiam domum caleſacit. Quae ipſa paene omnia, iisdem propemodum verbis, in hunc quidem uſum, iam diligenter commendaverat in antecedentibus [k]).

§. LXX.

Ibidem autem in ſequentibus [l]) tanto gravius diligentius et luculentius praecipit, ut eiusmodi aegrotus, deſperata inprimis febre iſta hectica maraſmode affectus, imo paene confectus, ſuper Lecto mobili ac portatili, ad balneum tepidum, aut temperate calidum deferatur, paratamque ſecum, ſimul habeat ſindonem amplam valentiorem, aut duplicatam, in qua, aut nudus, aut leviore tantum linteo calido tectus, ad primam ipſius Balnei domum geſtetur a quatuor Viris iuvenibus robuſtioribus, ita nimirum, ut quivis ex illis, unum iſtius ſindonis expanſae ac portatilis, angulum aut finem extremum firmiter teneat. Deinde vero ipſe aeger in prima iſta domo prorſus nudatus, ad ſecundam illa paullo calidiorem, eadem ſindone comprehenſus, placide portetur, in qua demum, totum per corpus,

k) Lib. IX. *de Meth. Med.* cap. 14. pag. 218. et alibi.

l) Lib. X. *de Meth. Med.* cap. 10. p. 243. et cap. 11. p. 245. conf. CONSTANTINI AFRICANI Lib. *de ſtomachi affect.* c. XII. p. 231. et inprimis IO. RHODII *Analecta* in LVDOVIC. SEPTALII *Animadverſ. et Cautiones Medicas*, pag. 136. ſeqq. ubi et ex MERCATO ſimul obſervat, *Balnei huius loco, probatiſſimum ſaepius eſſe, dormire ſupra duos utres, aqua moderate calida plenas*, ibidem autem pag. 141. ex ANTON. GVAINERIO, addit: *utantur iſti aegri Lecto, aeſtate, coriaceo, venti pleno; hieme autem, culcitra, lodicibus, aqua roſacea aſperſis.* Quae omnia ad hoc noſtrum argumentum egregie facere, nemo non videbit.

corpus, ex oleo tepido dulciſſimo perfuſus, in tertiam tandem deferatur, atque in ſolium locetur; et quae ibi ſequuntur plura: legi quidem et obſervari omnino digna, ſed ſimul tamen ita copioſa, diducta et ambagioſa, ut huc vix ſatis commode apteque transferri poſſint: licet potiora ipſius ſententiae capita ac momenta in arctius hic compendium diligenter contraxerim. Vnum illud adhuc moneo: AETIVM nempe AMIDENVM [m]) omnem iſtam per bainea curandi, rationem a GALENO hic fuſius propoſitam, totidem paene verbis, in ſuum opus transtuliſſe, non nominato tamen, ut quidem decebat, ipſo ſummo illo Auctore, a quo ſcilicet profeciſſet: exemplo ſane nec laudabili, multo minus imitabili; ſed AETIO tamen, AEGINETAE et aliis, perquam familiari. Ceterum quivis, opinor, vel me ipſo tacente, per ſe facile intelliget, ipſam GALENI narrationem, de *quatuor iſtis validis viris, miſerum hecticum lectulo inſtratum, in balneum coniunctim portantibus,* perquam egregie commodeque inſervire relationi iſti illuſtrandae et explicandae, in S. *Novo Teſtamento,* factae [n]) de illo afflictiſſimo *paralytico,* pariter a *quatuor Viris,* in *Lectulo ſuo mobili et plicabili, ad ſervatorem delato,* de quo iam ſupra [o]) a nobis nonnihil dictum, quod, ſi quidem lubeat, ibi videatur, et cum his conferatur.

§. LXXI.

Nunc autem commodum hic locum occupet *Cachexia,* propinqua nempe veluti cognatione, cum ipſa illa *Febre hectica,* ac *maraſmode,* arcte coniuncta, et accurate ſatis deſcripta ab ARETAEO, GALENO, ARCHICHENE, apud AETIVM, CELSO, COELIO AVRELIANO, atque aliis [p]), de qua ſic recte, opinor, GARIOPONTVS [q])

 qui

[m]) Lib. V, cap. 93. pag. 91. ALD. *Edit.* et pag. 222. Tom. II. *Med. Vett. princip.* per HENR. STEPHAN.

[n]) MARC. II. 3. et LVC. V. 18. [o]) *Sect.* II. §. §. XXVII. et XXVIII.

[p]) Conf. ſi placet. *opuſcul.* noſtr. *Med.* Tom. III. pag. 338. ſeqq.

[q]) Lib. V. cap. 10. pag. 94.

qui et ipſe de ea haud perfunctorie tractavit: *Cachexia multis nominibus vocatur, id eſt, Syntexis, Maraſmus, vel Atrophia.* Ad quem pertinacem, rebellem et inexpugnabilem fere morbum mitigandum ac temperandum, mox idem haec ſubiungit praecepta ac conſilia [r]) ſat aequa, credo, apta et commoda: *Somnus ſit cum menſura, et labores, ſimiliter vigiliae, ne gravi ſomno in Lecto cubent, et fomentum eis adhibeatur, et aer lucidus. Vnctio adhibenda eſt, et exercitatio totius corporis, et laborent mediocriter: otioſi non permaneant.* Sed de his ipſis, paullo plenius, diſtinctius, ac diſertius, ita COELIVS AVRELIANVS [s]): *Aeger ſomno diſcuſſo, ſemet in Lecto continere iubendus: etiam iacere pauliſper: tum etiam neque repente conſurgere; ſed praetentato motu, diſcere, utrum ſe levem ac digeſtum ſentiat, At ſi nulla fuerit aegrotantis querela, erit a lecto levandus, et ob expugnandam frigoris iniuriam, oleo leviter perungendus. Tum geſtatio adhibenda, et, ſi vires permiſerint, vel aeris temperies, ſub divo, et magis intra muros, motu vehiculi. Si vero aliqua fuerit obſtans cauſſa, erunt haec ſub tecto adhibenda, et pro virium modo, aut vehiculo manuali, aut ſella, aut cathedra, exercendus aegrotus:* et quae ibi ſequuntur plura, illic legenda, inter quae et hoc: *Convenit etiam Pſychroluſia, nullis obſtantibus cauſis, quae eam prohiberi permittant:* ubi ſenſus inverſus, imo plane perverſus, ut perſpicue patet: Legendum enim, ni fallor, potius: *quae eam permitti prohibeant,* vel, *quae eam adhiberi non permittant.* ſed haec obiter. Ceterum autem eadem fere, circa externam quidem *Cachecticorum curam,* diligenter obſervanda, etſi arctiore compendio comprehenſa, ordinabat olim apud AETIVM [t]), ARCHIGENES, cuius egregium locum Lectoribus harum rerum cupidis enixe commendamus.

§. LXXII.

r) *Ibid.* pag. 94. b.

s) Lib. III. *de Morb. chron.* cap. 6. pag. 463. ſeqq.

t) *Tetrabibl.* III. Serm. II. cap. 19. pag. 534. Tom. II. *Vett. Med. princip.* per HENR. STEPH. conf. NICOL. PISONIS Lib. III. c. 31. pag. 354. ſeqq. Tom. II. ubi haec ipſa tranſumta.

§. LXXII.

Cachexiam vero nunc proxime ſequatur arida et exſucca *Atrophia,* tanquam ipſius Comes ſemper fere inſeperabilis. Inde etiam recte et opportune CORNELIVS CELSVS [u]) utramque uno eodemque capite, arctius coniunxit, atque COELIVS AVRELIANVS [x]) poſt ipſius *Cachexiae* tractationem, ſtatim, accuratam *Atrophiae* explicationem ac curationem ibidem, ſubiungit. Vocatur autem Atrophia alio etiam, ſed idem ſignificante, nomine *Analdia,* nempe ab ἄναλδον, apud HESYCHIVM, aut ἀναλδὲς, apud HIPPOCRATEM, GALENVM, ARETAEVM et alios, quod idem nempe eſt ac ἄτροφον, τροφῆς ἔρημον, ἀναυξὲς, *alimento carens,* nutritione et appropriatione orbum ac deſtitutum, ceu notum. conf. huc WIGANI *Not.* in ARETAEVM, pag. 493. Edit. BOERHAAV. Quoniam autem haec ipſa vox aliquanto rarior; ideo in nonnullis praecipue medii aevi ſcriptoribus, perperam ſcripta deprehenditur *Arnaldia,* pro *Analdia* ſcilicet, atque peius plerumque derivatur a neſcio, quo, perdito nebulone, aut irreligioſo Haeretico, ARNALDO vulgo dicto. Inde igitur hanc obſervationem ſequentem in ſuum praeſtantiſſimum alias *Gloſſarium,* magnus cetera et longe doctiſſimus CANGIVS [y]) infelici forſan hora, tranſtulit, non una ſane caſtigatione, etſi blanda, dignam: *Arnaldia, Morbi ſpecies; ſed incerta, niſi forte Alopecia* (ita enim ſcribendum ibi, pro male vulgato, *Alopeia*) *fuerit.* ROGERIVS HOVEDENVS in RICARDO I. pag. 693. *deinde uterque Rex incidit in aegritudinem, quam Arnaldiam vocant, in qua ipſi uſque ad mortem laborantes, capillos ſuos depoſuerunt. Eadem habet* BROMPTONVS, pag. 1201. NICOLAVS TRIVERTVS, Ann. 1191. *Graviſſimam incurrit aegritudinem, quae vulgo Arnaldia vocatur. Codex editus habet Arvoldia; ſed perperam,* Hactenus CANGIVS. Ex quibus

u) Lib. III. cap. 22. pag. 167.

x) Lib. III. *Morb. Chron.* cap. 7. pag. 465. ſeqq.

y) Tom. I. *Gloſſar. Lat.* pag. 716.

quibus nunc luculentiſſime, opinor, patebit, in his quidem adductis Hiſtoricorum locis, pro corrupto illo ac monſtroſo *Arnaldia,* et *Arvoldia*, ubique, magna cum probabilitate, ſcribendum in poſterum eſſe, potius, *Analdia:* Neque porro incertam et incognitam fore Morbi ſpeciem, *Analdiam* dictam. Satis enim ſuperque ex modo laudatis Medicis, e contrario, conſtat, notiſſimam potius et exactiſſime ubivis deſcriptam eſſe iſtam quidem *Atrophiam,* ſeu *Analdiam*, ſaepe etiam, praeſertim, ubi inveteravit, immedicabilem, ac tandem lethalem, cuius denique funeſtum et inſtantis mortis ſignum manifeſtum ipſum eſt *capillorum defluvium,* ſeu τριχόῤῥοια, ut ab ipſo HIPPOCRATE [z]), CELSO [a]), GALENO, AETIO, AEGINETA, et omnibus aliis Medicis, imo et ex *Oneirocriticis* ARTEMIDORI [b]), NICEPHORI [c]), atque ASTRAMPSYCHI [d]) ſatis notum. Inde igitur de *Alopecia* loci iſti haud erant interpretandi, quippe quae ſordidus tantum et ulceroſus capitis et capillorum eſt affectus, qui nec pulmones tangit, nec nutritionem tollit, nec mortem facile infert, quin potius curari commode poteſt, ut ex ALEXANDRO TRALLIANO [e]) CELSO [f]), THEODORO PRISCIANO [g]) atque aliis medicis

z) *Aph.* XI. et XII. Sect. V. *Coac. praenot.* pag. 565. Lib. II. *de Morb.* p. 72. Lib. *de Intern. Affect.* pag. 257. Tom. II. et paſſim alibi. Conf. et DIETERIC. *Iatr. Hipp.* pag. 1104. ſeqq. et FOREST. *Obſ. Med.* 56. Lib. XVI. pag. 330. ſeqq. REVCHEN. ad *Seren. Sam.* pag. 117. et MARTIN. ad HIPP. *de Intern. Affect.* pag. 429.

a) Lib. II. cap. 8. pag. 71.

b) Lib. I. cap. 22. pag. 22. ubique in *Not.* RIGALT. pag. 9.

c) *Oneir.* pag. 19. d) *Oneir.* pag. 8. Edit. RIGALT.

e) Lib. I. cap. I.

f) Lib. VI. cap. 4. pag. 344. ubi vid. *Not.* et EZECH. SPANHEMII *Comment.* in CALLIMACHI *Hymn. in Dian.* pag. 182.

g) Lib. I. cap. 7. pag. 13. ubi conf. BARTH. NVMANT. *Itiner.* 387. ad RVTIL. p. 262. et praecipue, ad CLAVDIANI Lib. I. in EVTROP. p. 1300. lepide, imo ridicule errantem.

Medicis, hic ſtudio, non citatis, uberrime patet, niſi forte diutius duraverit et inveteraverit, obſervante HELIODORO, apud ORIBASIVM, in *Collect. Vett. Chirurg. Nicet.* a Cel. COCCHIO edita, p. 125. Sed facile condonandus iſte levis quidem naevus praeſtantiſſimo CANGIO, utpote ἀνιάτρῳ, ſummo cetera et laudatiſſimo Viro. Sed de his nunc hactenus, cum bona, ut ſpes quidem eſt, Lectorum Venia, forſan hanc ipſam digreſſionem, nec inutilem prorſus, opinor, nec plane illepidam, nonnihil approbaturorum.

§. LXXIII.

Iſtam igitur *Atrophiam, Analdiam*, ſeu *Analeiam*, Graecorum, COELIVS noſter AVRELIANVS h) ſatis ſcite ac ſignificanter, Latine reddidit per *Nutrimenti ceſſationem*, vel *deſertionem*, item *appropriationis*, aut appoſitionis defectum et interceptionem, de quo mox in ſequentibus i) plura. Iam vero potius ex ipſo audiamus, qualia externa et localia potiſſimum adiutoria eiusmodi marcentibus et macilentis atrophicis, iuſtoque ac valido nutrimento carentibus adhibenda commode cenſeat ac praecipiat. Sic autem inter alia: *Si ſola fuerit Atrophia conſecuta, convenit aegrotum fortificari rationabiliter, atque reſumi Geſtatione, pro virium quantitate, adhibita fricatione, et miniſtris corpulentis et mollibus, quales eſſe ſolent Fricatores. Convenit praeterea locorum atque aerum commutatio. Vtilis etiam littoraria navigatio, atque natatio maritima, vel naturalium aquarum: tum poſt cibum, animi laxatio, quam διάχυσιν vocant, et articulorum complexio, adhibitis miniſtris, qui mollibus hoc manibus efficiant.* Sed pleraque ex his, pariter quoque commendat ipſe CORNELIVS CELSVS l) ut et eum ſequutus THEODORVS PRISC. m) item etiam ex parte, GALENVS n) ut et

h) Lib. III. *de Morb. Chron.* cap. 7. pag. 465. i) Infra §. LXXVIII.
k) *Ibid.* pag. 466. conf. PISONIS Lib. III. cap. 10. p. 97. Tom. II.
l) Lib. III, cap. 22. pag. 168. ſeqq. m) Lib. II. cap. 24. pag 100. ſq.
n) Lib. XII *de Method. Med.* cap. 5. pag. 283. ſeqq. et Lib. XIV. cap. 16. pag. 336. ſeqq. Tom. X. Opp. et paſſim alibi.

et denique GARIOPONTVS [o]), iam ſupra, eam in rem, laudatus, quum de ipſa Cachexia praevia, commentaremur, qui ſua tamen maximam quidem partem, ex ipſo THEODORO PRISCIANO, more conſueto, hauſit. Sed de his nunc ſatis.

§. LXXIV.

Nec denique hic prorſus omittere licebit *Vomicas* et *Empyemata:* praeſertim, quum iſta, poſt Haemorrhagias varias, phthiſin, Febres hecticas, Cachexiam, et tandem Atrophiam, de quibus hactenus ordine, tractatum, ea ipſa locum hic ſat commodum et paene proprium, invenire iure videantur. Sed quoniam iam alibi [p]) de hiſce clandeſtinis et inſidioſis ipſius Vitae humanae hoſtibus latius et, ni fallor, accuratius, a nobis actum fuit: nolumus ea propter, ad faſtidia ſcilicet vitanda, iam ſemel ibi dicta, hic bis, praeter neceſſitatem, iterum languide repetere. Satius igitur ac conſultius omnino fuerit, hic ex ipſo COELIO AVRELIANO [q]) ſaluberrimum ac prudentiſſimum conſilium percipere, quod circa ſitum ac decubitum eiusmodi aegrotorum, quam diligentiſſime ſit obſervandum, quibus ipſa Vomica vel iamiam rupta fuerit, vel etiam proxime ruptura, pusque ſubito effuſura videatur, ad vitandam ſcilicet atque praecavendam ſic citam ſuffocationem, alias ex praecipiti puris copioſi in ipſam pectoris cavitatem, profuſione ac repentina inundatione, merito metuendam. Sic autem ille: *Iubendi praeſertim aegrotantes magis ſupra latus iacere, ſi in ſuperioribus, a diaphragmate, partibus, collectio fuerit generata. Cavenda etiam ſupina iacendi poſitio: ſiquidem extenta Arteria anguſtatur, quo et magna difficultas*

cultas

o) Lib. V. cap. 10. pag. 94. b.

p) Exercitat. *de ingenti differentia Vomicarum opertarum et apertarum,* quae extat. Tom. III *Opuſculor. Med.* pag. 281. ſeqq.

q) Lib. V. *de Morb. Chron.* cap. 10. pag. 591. ex quo ſua quoque clanculum hauſit NICOLAVS PISO. Lib. II. cap. 9. pag. 654. ſq. Tom. I. Opp. *de cognoſcend. et curandis Morbis.*

cultas ſpirationis ſit, et minima liquidorum excluſio perficitur. Hactenus COELIVS AVRELIANVS.

§. LXXV.

Sed praeivit in his ſapienter ordinandis, iam dudum ipſe noſtrae artis ſummus Anteſignanus, nimirum HIPPOCRATES, haec potiſſimum circa aegrotorum commodum ſitum, praecipiens [r]): *τέτῳ ξυμφέρει ἡσυχίην, ὡς μάλιστα τῷ σώματι ἔχειν ἔσω. ἥν γὰρ τι πονήσῃ, ὅ, τε πόνος ὀξύτερος, καὶ ἡ βὴξ μᾶλλον, ἤ το πρότερον, πιέζει. ἀλγέει δὲ καὶ, ἐν τῇ εὐνῇ, ὁκόταν περιστρέφηται.* *Huic aegroto conducit, ut quam maxime quietem intus habeat in ipſo corpore. Si enim quid laboravit, et dolor acutior eſt, et tuſſis multo magis, quam prius, urget et angit. Imo et in ipſo Lecto dolet, quum ſeſe circumverterit.* Scilicet ibi melius forſan legendum eſſe videtur, ut ſcripſimus, *τῷ σώματι,* pro male vulgato, *τῷ νεσήματι,* quomodo et ipſe CORNARIVS perperam legit, quod tamen haud animadvertit MERCVRIALIS, nec ipſe FOESIVS, nec denique etiam MARTINVS [s]) cum aliis. Sic enim mox in ſequentibus [t]) pari modo, de eodem aegroto: *ἡσυχίην ἔχων ὡς μάλιστα τῷ σώματι, καὶ μαλθακῶς κοιμάσθω, corpore quam maxime quietem habeat, et molli Lecto cubet:* et rurſus [u]): *ἡσυχίην ἔχων τῷ σώματι ὡς μάλιστα,* item in ſequentibus [x]): *ἡσυχάζων τῷ σώματι μάλιστα διαιτᾶσθαι,* et denique, alio loco, nonnullis interiectis [y]): *ὗτος, ἤν ἡσυχίην ἔχῃ τῷ σώματι, τάχιστα ὑγιὴς ἔσαι,* quo demum et iſte eximius Locus pertinet [z]): *τῷ σώματι ἡσυχίην ἄγοντας, ἀλείφοντάς τε, καὶ περιστέλλοντας ὁμαλῶς,*

r) Lib. *de Intern. Affect.* pag. 197. Tom. II. Opp. conf. et Lib. II. *de Morb.* pag. 77. ſeqq.

s) In *Comment.* in iſtum HIPP. Librum pag. 19. ſeqq. ubi alias ipſum l cum ſatis egregie illuſtrat.

t) *Ibid.* pag. 200. u) *Ibid.* pag. 202.

x) *Ibid.* pag. 207. y) *Ibid.* pag. 2 6.

z) Lib *de Victu Acutor.* pag 304. Tom. II qui ipſe locus inprimis etiam ad hoc noſtrum, *de Lectis,* argumentum, eximie ſpectat.

ὁμαλῶς: ſcilicet nihil in ipſo HIPPOCRATE frequentius, quam illa ſolennis quaſi confuſio inter τὸ σῶμα, et τὸ νόσημα, quod innumeris paene exemplis, facillime oſtendi poſſet. Sed unum iam pro multit, ſufficiat in hoc ipſo Libro ſtatim obvium [a]): ἡσυχίην χρὴ ἔχειν ὡς μάλιστα τῷ σώματι· οὗτος οὕτω μελετώμενος, ῥήϊστα ἂν διάγοι ἐν τῷ νουσήματι: pro qua ultima voce νουσήματι, recte poſita, in quibusdam priſcis Codicibus manu exaratis, pariter male legi σώματι, adnotarunt MERCVRIALIS, et alius vetus Codex cum *MStis Vaticanis,* et aliis in Italia quondam collatus. Sed de his quidem criticis, haec hactenus, data nempe occaſione. Interea ex omnibus hiſce locis, hucuſque allatis, liquidiſſime patebit, HIPPOCRATEM phthiſicis, tabidis, et vomicoſis praecipue, imperaſſe ſaluberrimo conſilio, potiſſimum *quietem et aequalem immobilemque ſitum, in Lecto quidem molliſſimo.* Verum de his nunc ſatis.

§. LXXVI.

Quibus tamen opportune adhuc hic adiiciendum, ſimiles quoque *Lectos leviſſimos,* ac *molliſſimos,* ſimileſque ipſius corporis *decubitus quietos, aequabiles,* et eodem tranquillo ſtatu ſituque aliquandiu patienter toleratos, potiſſimum enixe commendatos fuiſſe ab eodem HIPPOCRATE [b]) iſtis praeſertim aegrotis anxiis et inquietis, qui febre illa continua maligna, *aſode,* ſeu *Lipyria,* dicta, correpti, (in qua ſcilicet externa corporis vehementer frigent, interna vero vehementius fervent, ut alia taceam atrocia ſymptomata,) in ſummo Vitae ambiguae diſcrimine verſarentur, et de ſalute propemodum deſperarent. Sic enim ille venerandus Artis noſtrae Dictator: κατακλίνειν δὲ ἐς ζοφερὰ οἰκήματα, καὶ κατακεκλίσθαι ὡς ἐπὶ μαλθακωτάτοισι στρώμασι, πλεῖστον χρόνον, ἐπὶ τὰ αὐτὰ καρτερέοντα, καὶ ὡς ἥκιστα ῥιπτάζειν· μάλιστα γὰρ τοῦτο τοὺς τοιούτους ὠφελέει: *Decumbere autem*

a) pag. 210. Lib. *de Intern. Affect.* ſaepe citato.
b) Lib. *de Victu Acutor.* pag. 305. Tom. II. Opp. per LIND.

tem debet aegrotus in domicilio, ſeu cubiculo obſcuro, et in ſtratis quam molliſſimis reclinatus eſſe, ita, ut per longiſſimum quidem tempus, decubitum in uno eodemque loco, conſtanter toleret, et quam minimum corpus ipſum per impatientiam iactet. Hoc enim talibus periculoſe febricitantibus quam maxime prodeſt. Vbi quidem GALENVS [c]) quod mirum, parum lucis intulit his ipſis cubiculis lipyricorum obſcurioribus, neque longa et anxia interpretatione ſeſe ſolicite iactavit, ut ita dicam, quum ita in hunc memorabilem quidem locum commentaretur: τὴν ἐν ζοφεροῖς οἰκήμασι κατάκλισιν, οὐχ, ὡς πεπαντικὸν βοήθημα, συνεβούλευσε νῦν, ἀλλ' ὡς διὰ τὴν ἄσην, γινομένης δυσφορίας ἐπανορθωτικὸν, ἧς ἕνεκα καὶ τῆς μαλθακῆς στρώμνης ἐμνημόνευσε. κ. τ. λ. *Nunc decubitum in obſcura domo, non, tanquam coctivum auxilium: ſed tanquam iactationis inquietae, ob gravem moleſtiam et anxietatem, factae, emendatorium, conſuluit, cuius potiſſimum gratia, et ipſius Lecti mollis mentionem fecit.* Sed luculentius ac diligentius, ut equidem ingenue fatear, hunc ipſum HIPPOCRATIS locum illuſtravit FRANCISCVS VALLESIVS [d]), dignus proinde omnino, qui huc ſtudioſe conferatur, et ſingulari cum cura expendatur.

§. LXXVII.

Nunc autem ad *paſſiones* ſic dictas *ſtomachicas* tranſitum faciamus: quae quum non unius eiusdemque ſint indolis ac naturae, ſed ex diverſis potius cauſſis originem ducant, ceu notum; hinc

Q 3 etiam

c) *Comment.* IV. in HIPPOCRATIS Lib. *de Victu Acutor.* pag. 146. Tom. XI. Opp.

d) *Comment.* in HIPPOCR. Lib. IV. *de Victu Acutor.* pag. 165. ſeqq. ubi plura. Nihil vero de hoc inſigni HIPPOCR. loco adnotavit NICOLAVS PISO, ut plura alia ex HIPPOCRATE obſervari potiſſimum digna, neſcio quare, diligentius colligere et praeclaro ſuo operi utiliter inſerere plerumque praetermiſit. Sed et bonus alias HOMERVS interdum dormire ſolet. Haec obiter.

etiam diverſam plane medendi rationem, tam internam, quam et externam omnino exigere videntur, prout iam dudum, quam diligentiſſime obſervatum et adnotatum fuit a priſcis Medicis praeſtantiſſimis, ARETAEO, AETIO, GALENO, ALEXANDRO TRALLIANO, CORNELIO CELSO, THEODORO PRISCIANO, GARIOPONTO, CONSTANTINO AFRICANO, AESCVLAPIO ſic dicto, aliisque, praeſertim vero a COELIO AVRELIANO [e]), cuius ſalutaria hanc in rem praecepta ac conſilia hic opportune proponere, nec incongruum, opinor, erit, nec infructuoſum. Sic autem ille: *Quum igitur primo ſtricturae paſſio corpus invaſerit, atque nova temporis cauſa fuerit aegrotantis, ſive in ſuperpoſitione conſtituta, turbando, aut dolore, aut ventoſitate affecerit patientem; convenit eum iacere Loco lucido, atque calido mediocriter, adhibito ſtraminum, atque operimentorum calidorum uſu, et, ſi vires permiſerint, adiuncta abſtinentia, uſque ad tertium diem, et acceſſionis tempore, omnifariam requie, tum articulorum blanda convenit defricatio, cum quodam calidarum manuum amplexu, ut etiam tenendo medeamur.* Sed mutato rerum ſtatu, et alia ipſius affectus ſtomachici ſpecie apparante, haec e contrario, ſuadet idem ſapientiſſime [f]): *Si Rhevmatiſmus fuerit, quem nihil aliud, quam ſolutionem accipimus, convenit aegrotantem iacere, Loco mediocriter frigido, ſupino ſchemate, attritis ac tenuioribus ſtramentis utentem, adhibita requie et abſtinentia, permittentibus viribus.* Vbi, ut id obiter hic moneam, in vulgatis quidem libris male ſcriptum circumfertur, *teneribus ſtramentis*, manifeſto puto, errore: pro quo vero hic repoſui *tenuioribus*, poſſet et *tenerrimis*, legi, vel etiam *teneris*, quemadmodum ſupra, alio loco [g]). *Cooperimenta atque ſtramcata tenera et tritiora probamus;* quale et paſſim alibi ſcriptum occurrit.

§. LXXVIII.

e) Lib. III. *de Morb. Chron.* cap. 2. pag. 437.

f) *Ibidem*, III. 2. pag. 439.

g) Lib. II. *de Morb. Acut.* cap. 37. pag. 161.

§. LXXVIII.

Sed levis ſane hic eſt error, prae illo altero longe graviori, qui in antecedentibus huius ipſius, quem iam tractamus, loci verbis, ita ſine ullo ſenſu legitur: *Cibus varius dandus, ſed, qui nullam faciat inflationem, neque digeſtione, tardius approbetur; ſed cum facilitate conveniens.* Vbi nemo non, credo, doctiorum Lectorum obſcuram illam horridam, et inſolitam dictionem *digeſtione tardius approbetur*, tardius, imo tardiſſime digeret, nunquam vero approbabit, quia illam plane non intelligit. Quare, ut ingrata eorum faſtidia protinus tollam, verbo moneo, legendum hic omnino eſſe: *digeſtione tardius approprietur,* ſenſu nunc liquidiſſimo et convenientiſſimo. Ita enim ipſe Auctor noſter infra [h]) *corpori appropriandum cibum ſumtum*, et rurſus alio loco [i]): *Ne venter, plurimo laboret nixu, appropriando corpori, quae ſumſerit:* denique et alibi [k]) nam ſtudio plura omitto: *digeſtione facile ſolidiora approprientur,* vel *proprientur*, nam utrumque apud Auctorem iſtum ſaepius occurrit: ut exempli cauſſa, ſupra [l]) *per tenues vias digeſtione ſoluta, propriari, atque ad ſua deſtinata pervenire.* Inde et *appropriatio*, ſimili ſenſu phyſiologico, apud Noſtrum legitur [m]): *omnis ciborum appropriatio motu quodam neceſſario perficitur.* Nimirum *propriari, appropriari, appropriatio,* adhaerentia, Agglutinatio, aſſimilatio, appoſitio, item apud Graecos, ARISTOTELEM; PLATONEM, GALENVM, PLVTARCHVM, NEMESIVM et alios, ὁμοίωσις, ἐξομοίωσις, πρόσθεσις, προσοικείωσις, προσαύξησις, πρόσφυσις, προσπέλασις, προσεγγισμὸς, ἀλλόιωσις, ὁμοιοσχηματισμὸς, ἐξίσωσις, παρίσωσις, περίστασις, ὄγκωσις, et plura alia, in quibus, nimis forte ſubtiliter, quaedam differentia fruſtra quaeritur, haec inquam omnia apud Veteres, ceu notum, ſat commoda, opinor, adhibentur

h) Lib. IV. *Morb. Chron.* cap. 3. pag. 500. i) *Ibidem*, pag. 519.
k) Lib. V. *Morb. Chron.* cap. XI. pag. 598.
l) Lib. I. *Morb. Acut.* cap. 15. pag. 57. et alibi.
m) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 13. pag. 402.

tur de ipſa quotidiana corporis animati nutritione, et ciborum probe digeſtorum et in laudabilem alibilemque chylum redactorum, in ipſam intimam viſcerum ac membrorum ſubſtantiam, converſione, permutatione et aſſimilatione perfectiſſima. Sed de his omnibus plenius et accuratius Veteres novique inprimis phyſiologi, quos alibi iam hanc in rem, merito laudavimus, quum ante complures annos, de hoc ipſo nobili argumento ſtrictim ageremus [n]). Sunt enim haec ipſa alterius plane loci, atque inde aequiores humanioresque Lectores enixe rogamus, ut huic noſtrae digreſſioni, occaſione corrupti illius loci COELII AVRELIANI, nobis fere invitis ſubminiſtrata, generoſam veniam benignius velint indulgere.

§. LXXIX.

Iam vero protinus revertamur potius ad derelictos hactenus noſtros *ſtomachicos,* ſive κακοςομάχϐς, et variis languentis et nauſeantis ventriculi querelis acerbis affectos. Quos proinde THEODORVS PRISCIANVS [o]) ipſum praeeuntem iam ſupra COELIVM AVRELIANVM prudenter, ut ſolet, ſequutus, ita inter alia, ſolari et roborare ſtudet: *Faſtidio autem incidente, Locis conveniet habitare, aeris ſalubritate temperatis, ſub exercitiis, vel fricationibus, non quieſcant, etc.* Accedat his nunc commode GARIOPONTVS [p]) qui *Anorecticis* illis, ſive omnium, etiam ſuaviſſimorum, ciborum perpetuo et obſtinato faſtidio laborantibus, ita iſtam moroſam ſtomachi ſtomachantis recuſationem ferculorum, abſtergere et lenire ſatagit: *Iaceant hi aegrotantes in domo lucida et patente: odor bonus apponatur naribus eorum, cum exercitatione, et oxymel accipiant, aut abſynthiatum vinum, cum calida aqua, et Cibos bene olentes, alentes et digeſtibiles,* et quae ſic ibi ſequuntur plura, a Lectoribus ipſis, ſi vacat, inſpicienda et expen-

n) Diſſert. *de pinguedine ceu ſucco nutritio ſuperfluo, in Opuſcul. Med. philol.* Tom. I. pag. 302. ſeqq.

o) Lib. II. cap. 29. pag. 113. ſeqq.

p) Lib. II. cap. 33. p. 36. b.

expendendae. Quae cuncta quoque ſic iterum leguntur, ne verbo quidem mutato, apud ſic dictum AESCVLAPIVM, iam ſaepius citatum, Cap. XXI. pag. 32. Quibus omnibus iungatur denique ARETAEVS.

§. LXXX.

Hepaticis porro ac *Splenicis*, ſive *Iecoroſis*, ac *Lienoſis*, ſequentibus lenimentis et adiutoriis externis ſubvenit idem COELIVS AVRELIANVS [r]): *Hiſce utrisque communiter oportet ſuperpoſitionum tempore, tanquam in tumore curando, calidum iacentibus providere locum: tum ſomentis et cataplaſmatibus uti tempore opportuno.* Ipſe quoque CORNELIVS CELSVS [s]) inprimis de Hepaticis: *Vitandus omnis labor, omnis vehementior motus: ne ſpiritus quidem diutius continendus eſt. Ira, trepidatio, pondus, iactus, curſus in hoc inimica ſunt.* In quo ipſum ſequutus eſt HIPPOCRATEM [t]) brevius haec, pro ſolito more, praecipientem: quem et de *Lienoſis*, hic conferre, operae pretium fuerit [u]): nec non THEODORVM PRISCIANVM [x]) item et AETIVM [y]), *Lienoſis*

q) Lib. I. *de Curat. Morb. Chron.* cap. 6. pag. 132. Conf. et CONSTANTINI AFRIC. Lib. *de Affect. ſtomachi*, cap. 12. pag. 231. et PISO, Lib. III. cap. 5. pag. 40. ſeqq. et cap. 8. pag. 73. Tom. II.

r) Lib. III. *Morb. Chron.* cap. 4. pag. 449. conf. idem PISO, Lib. III. cap. 24. pag. 285. Tom. II. item Lib. III. cap. 30. pag. 345. Tom. II. ubi de *Lienoſis*, ex CELSO infra citato. add. RHOD. ad SEPTAL. p. 422. et pag. 449.

s) Lib. IV. cap. 8. pag. 214. ubi conf. HIERON. MERCVRIAL Lib. V. *de Arte Gymn.* cap. 7. pag. 321. et BVRETTE, Diſſert. *de Curſu Veterum*, pag. 398. Tom. IV. *Memor. Litter. et Inſcript. Academiae Regiae Pariſienſis.*

t) Lib. *de Intern. Affect.* pag. 234. Tom. II. Opp.

u) *Lib. eodem*, pag. 238. ſeqq.

x) Lib. II. cap. 28. pag. 109 ſeqq.

y) *Tetrabibl.* Lib. III. *Serm.* II. cap. 13. et cap. 14. pag. 529. Tom. II. *Collect.* STEPH.

Lienoſis enim contra, Vitium quies in Lecto diuturnior anget; itaque exercitio et labore, ac deambulatione opus eſt, ut ipſe CELSVS [x]) poſt HIPPOCRATEM, monet: et dudum ante CELSVM, Palinurus apud PLAVTVM [a]) de quo loco et ioco plautino, vid. egregiam LINDENII *Exercitationem* [b]), quae tota huc ſpectat: add. et TAVBMANN. [c]) et PLVTARCH. [d]) item AELIAN. [e]) ac GALENVM [f]) et denique DIETRICVM [g]). Sed de his nunc ſatis.

§. LXXXI.

Statim vero poſt illos Morbos hepaticos, idem COELIVS AVRELIANVS [h]) una cum pleriſque priſcis Medicis, praecipue ARETAEO ac THEODORO PRISCIANO, recte iuſteque collocat *Icterum*, ſeu *Auriginem*, aut *Morbum Regium*, Graecis quoque recentioribus χρυσιασμὸν, inde dictum, apud CANGIVM, *Gloſſar. Graec.* auguſto titulo ſplendide mendacem; tanquam primarium et quaſi regium ipſius Hepatis Morbum: quamquam, ut id obiter hic adiicere liceat, ipſi reges regio iſto morbo aeternum carere malint; nec ipſa infima quidem et egena plebs, etſi tota felle inaurata, unquam ſic regie miſera, ac tetro lurore colorata eſſe velit. Quo foediores autem viſu plerumque eſſe ſolent ipſi auriginoſi, ſive icterici; eo ſplendidiora tamen conclavia, molliores Lectos, et amoeniora vitae oblectamenta et a moeſtis curis avocamenta iisdem liberaliter aſſignat CORNELIVS CELSVS [i]) ſequentibus quidem verbis, a nobis nonnihil

[x]) Lib. IV. cap. 9. pag. 215. [a]) *Curcul.* Act. II. Sc. I.
[b]) *Select. Med.* Exerc. IX. pag. 242. ſeqq.
[c]) *Not.* ad PLAVT. pag. 276.
[d]) In DEMOSTHENIS *Vita*, pag. 848. Tom. I.
[e]) Lib. IV. *Hiſt. Var.* cap. 15.
[f]) Lib. II. *de Remed. facile parabil.* cap. 21. pag. 626. ſeqq. Tom. X.
[g]) *Iatr. Hipp.* pag. 1155.
[h]) Lib. V, *Morb. Chron.* cap. 5. pag. 456. ſeqq.
[i]) Lib. III. cap. 24. pag. 176.

nonnihil neceſſario emendatis: *per omne tempus utendum eſt Lecto et conclavi cultiore, luſu vel riſu, ioco, ludis, laſcivia, aliis, per quae mens exhilaretur: ob quae regius Morbus dictus videtur.* Vulgo enim venuſtus hic alias CELSI locus variis invenuſtis naevis inquinatus legitur, ut videre eſt apud VOSSIVM [k]), KEVCHENIVM [l]), DIETERICVM [m]), HOFFMANNVM [n]) atque alios; imo in Editionibus fere omnibus. Sed quoniam de hoc ipſo CELSI loco eximio, iam alibi [o]) aliquanto curatius egi: inde nolo ibi dudum dicta, nunc denuo faſtidioſe repetere; ſed malo potius brevitatis cauſſa, Lectores benevolos eo decenter remittere, ut ipſi locum introſpiciant et expendant.

§. LXXXII.

Interea vero laudatus modo COELIVS AVRELIANVS [p]) ipſum CELSVM in his, preſſe ſequutus, eadem fere afflictis Ictericis ſuaſit anxiarum curarum delinimenta, additis etiam nonnullis aliis delectamentis: *Vtendum aëris mutatione, et Geſtatione varia, et littoraria moratione, Animi quoque laxamento ac iucunditate, et aquarum naturalium voluptate, et natatione varia:* deinde quibusdam interiectis, in huius capitis fine [q]) haec denuo repetit: *Eſt autem maximum Adiutorium, et magis utilis aegrotantibus Animi puriſſima laxatio, ſive ſerenitur.* Plerumque enim Icterici ſunt moeſti, ſibimet ipſis, aliisque

 moleſti,

k) *Etymolog. Lat. Linguae*, pag. 57.

l) *Not.* ad SEREN. SAMON. pag. 287.

m) *Iatr. Hippocrat.* pag. 554.

n) *Med. Rat. Syſtem.* Tom. IV. Part. IV. cap. 12. pag. 307. Tom. III. Opp. conf. et PISONIS Lib. III. cap. 27. pag. 322. Tom. II. ubi pariter vitioſe ſcripta iſta ſunt, non nominato CELSO.

o) Scil. in *Notis* ſubitaneis ad Tres priores CORNEL. CELSI Libros, pag. 777. Edit. Cl. KRAVSII noviſſimae.

p) Lib. V. *de Morb. Chron.* cap. 5. pag. 458. ſupra citat.

q) *Loco modo citat.* pag. 461.

moleſti, moroſi, ſuique diſplicentia et quadam *animi difficultate gravati*, uti ipſe noſter Auctor adnotavit [r]), ita, ut etiam blande et amice compellati, nec ſeſe moveant, multo minus reſpondeant, aut alloquentem placide tolerent, uti obſervavit ipſe HIPPOCRATES [s]): denique vigilant, moerent, melancholia agitantur, deſides ſunt, demiſſum animum habent, et ſolitudinem quaerunt et amant, monente ARETAEO [t]). Tanto magis autem cunctis his malis et aegritudinibus affliguntur miſellae iſtae foemellae auriginoſae, utpote cultus ſui atque floridae venuſtatis iuſto ſtudioſiores. Forſan enim tum fatali quadam occaſione, ſpeculum haud mendax conſpicatae, propter amiſſum, aut certe vehementer deformatum, mire immutatum, priſtinae formae decus, in eo ſubito repraeſentatum, adeo mox exhorreſcunt, ut in lamentabiles queſtus, lacrimasque profuſiſſimas, fere deſperabundae, prorumpant, quin et, quod ipſi quondam, fere attoniti, conſpeximus, gravem diuturnamque animi defectionem perpetiantur. Sed de his nunc ſatis, ad explicationem locorum ſupra ex antiquis Medicis productorum.

§. LXXXIII.

Iam vero rurſus, ſi placet quidem, ad COELIVM noſtrum AVRELIANVM pauliſper adhuc revertamur, ipſumque audiamus referre quidem; at ſimul tamen refellere, aurea quorundam Medicorum Veterum inſomnia, ut ſic dicam, et pretioſa magis, quam fructuoſa, conſilia, de *Ictero* nempe *curando,* per *ſplendidum Aurum,* aliasque res ac *materias inauratas,* ipſi aegrotorum conſpectui cominus perpetuo expoſitas; praeſertim vero, per ipſius *Lecti operimenta, eodem aureo colore tincta,* ſicque ipſis auriginoſis ſuperiniecta, ut non ſolum illa oculis continuo inſpiciantur, ſed et admotis manibus, palpentur, et ipſo corpore ſuppoſito, ſentiantur ac tangantur. Sic ergo

r) *Loc. cit.* pag. 456. et pag. 460.

s) Lib. III. *de Morb.* pag. 103. Tom. II.

t) Lib. I. *de Cauſſ. et Sign. Morb. Chron.* cap. 15. pag. 46.

ergo omnis foeda aurigo per oculos luridos, quaſi emiſſarios, in oppoſitum Aurum, aliaque corpora et inſtrumenta ſimili aureo colore imbuta, naturali quadam ſympathia et harmonia, transire credebatur; ſi fabula quidem vera. Sed en ipſa nunc AVRELIANI [n]) verba, de iſta nempe aureola quaſi Medicina imaginaria externa: *Alii Aurum iugiter aſpicere, vel intueri aegrotos praeceperunt, ſive aureos colores; his denique etiam operimentis utendum laudaverunt: ſiquidem ſimilia rapiantur et propterea morbi, ſive colorum, aut fellis, migrantia in alias poſſit transire materias, earum concordantes colori: Non coniicientes, quod ſit magis credibile, externa in aegrotum facilius transire. Quippe quum viarum denſitate in ſuperficie corporis clauſa, interiora teneantur; vel certe ſimilitudo paſſionis magis poſſit provocare virtutem, occultae ſuaſionis admonitione ſuperata: Semper enim memoratione paſſionum, triſtes et moeſti neceſſario fiunt aegrotantes; quae maxima cauſa eſt augendae paſſionis.* Haec ille: ubi tamen, ut id obiter hic adiiciam, in ſuperioribus paullo obſcurioribus verbis, *ſimilitudo occultae ſuaſionis admonitione ſuperata*, ad ipſum ſenſum aliquanto clariorem reddendum, legere equidem mallem: *admonitione ſuperdata*, aut certe *ſuſcitata.* Sed de hac ſubitanea coniectura ipſe quaeſo, arbitretur Lector rei criticae nec imperitus, et ſtili praeſertim AVRELIANI implicitì ſaepe ac contorti haud ignarus.

§. LXXXIV.

Interea vero hoc ipſum COELII AVRELIANI iudicium nec omni veri ſpecie, nec aliquo etiam pondere carere videtur. Longe enim probabilius forſan eſt, per vigentes et viventes Ictericorum oculos, rapi ad ſeſe poſſe ipſum fulvum auri oppoſiti ſplendorem; quam quidem per frigidum illud, iners et mortuum veluti Metallum, attrahi non ſolum ex oculis, ſed et ipſa facie, imo et toto denique corpore ipſo, felleum illum lurorem: id quod etiam iam

 dudum

n) Lib. III. *de Morb. Chron.* cap. 5. pag. 460.

dudum acute perſpexiſſe videtur LVCRETIVS [x]), ita de re invenuſta, venuſte tamen canens:

Lurida praeterea fiunt, quaecunque tuentur
Arquati, quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt, ſimulacris obvia rerum;
Multaque ſunt oculis in eorum denique miſta,
Quae contage ſua palloribus omnia pingunt.

§. LXXXV.

Quod ſi igitur verum ita forſan eſſet, ut emanantes illae ex auro rebusque auratis, particulae fulvae ſubtiles ab ipſis oculis attraherentur: tum ſane Malum illud auruginoſum magis magisque ſic augeſceret, increſceret, longius latiusque diffunderetur, ipſique corpori diutius omnino arctiusque inhaereret. Vnde et ipſe Auctor noſter ex pari ratione, iam ſupra, Haemoptyicis, aliasque ſanguinis profuſiones paſſis prudenter ſane praecepit *ſanguineos colores parietum, vel ſtraminum, ſive operimentorum, penitus declinare, atque ſic prohibere occaſiones, quae ipſam poſſint paſſionem in commemorationem rurſus perducere* [y]) de quo ipſo iam ſuperius a nobis nonnihil monitum eſt, quum de ipſis Haemorrhagiis ageremus. Ceterum vero haec ipſa comparatio mutuaque veluti concordia et convenientia propior fulvum inter Aurum, ipſamque flavam bilem, et exinde enatam foedam Auruginem, ſeu Icterum, non adeo nova, aut inſolita eſt; quin potius ſatis antiqua atque dudum conſueta. Sic enim manifeſto ac luculenter ARTEMIDORVS [y]): χρυσοῦς δὲ δοκεῖν ἔχειν ὀδόντας, οἷς δὲ σημαίνει νόσον, τὴν ὑπὸ χολῆς πλήθους συνισταμένην, ἣν καὶ ἴκτερον καλοῦσιν: *Aureos habere dentes, quibusdam ſignificat morbum ex bilis praecipue abundantia conſiſtentem, quem et Icterum vulgo vocant.* Quin

x) Lib. IV. *de Rer. Nat.* v. 333. ſeqq.

y) Lib. II. *de Morb. Chron.* cap. 13. pag. 402. Conf. WIGAN ad ARETAEVM, pag. 449. ſeqq. *Edit. Boerhaavianae.* cum *Not. noſtris.*

Quin et ipſum ſapientiſſimum SALOMONEM inde, iam olim in *Coheleth* [a]) arduo illo et recondito Libro, per גלת הזהב h. e. *Lecythum*, vel *Lenticulam Auri*, intellexiſſe potiſſimum ipſum *Hepar* ipſique adnexam *cyſtin*, ſeu *veſiculam felleam*, non ſine omni ratione ac veri ſpecie, tradiderunt ABENEZRA, *paraphraſtes chaldaeus*, aliique veteres Hebraeorum Magiſtri, ipſosque hinc noſtra aetate, ſequuti GROTIVS, COCHIVS, et nonnulli alii Viri doctiſſimi. De quo autem loco diligentiore indagatione utique digniſſimo, proxime, ſi Deus quidem benignius voluerit, diſtinctius, plenius et accuratius tractabimus: uti iam alibi ſat luculenta, ni fallor, iſtius rei ſpecimina dedimus [b]). Interea autem haec iam ſufficiant.

§. LXXXVI.

Sed hic ipſe AVRELIANI locus de effluviorum nempe concolorum, ex auro et auriginoſis oculis emanantium, mutuo occurſu atque contactu, ut et alter paullo ante praecedens, [c]) *de torrido ſolis fervore*, Ictericis inprimis commendato, opportune me hic memorem facit alius *loci* CICERONIANI [d]) de *Corporibus*, aliquandiu in *ſole commoratis*, et tum ſenſim ab eo ipſo *coloratis*. Cui vero, quum parum ſani coloris, nec ſatis clarae lucis habere videatur, nunc priſtinum ſuum colorem ac ſplendorem, ſi forte poſſim, reddere conabor, impetrata tamen prius, ut ſpes quidem benignior eſt, ab aequis Lectoribus, interpoſitae huius digreſſionis, venia et indulgen-

[z]) Lib. I. *Oneirocrit.* cap. 32. pag. 31. ubi conf. in *Not.* RIGALT. pag. 16.

[a]) Cap. XII. 6.

[b]) Tom. nempe III. *Opuſculor. Med.* pag. 313. ſeqq. *Binis Exercit.* in illud Cap. XII. *Coheleth,* ubi conf. inprimis, pag. 323.

[c]) *Ibidem*, Lib. III. *Morb. Chron.* cap. 5. pag 458.

[d]) Lib. II. *de Oratore,* cap. 14. pag. 368. Vol. II. Opp. per VERBVRG. Conf. GALEN. Lib. I. *de Method. Med.* cap. 8. pag. 22. Tom. X. Opp. et alibi.

indulgentia; tanto facilius forſan ideo obtinenda, quod varietas ſcilicet, ut vulgo, et vere plerumque, dicitur, delectare ſoleat.

§. LXXXVII.

Locus autem ipſe ſic vulgo legitur: *Vt, quum in Sole ambulem, etiamſi aliam ob cauſſam, ambulem; fieri natura tamen, ut colorer: Sic, quum iſtos Libros ad Miſenum, ſtudioſius legerim, ſentio orationem meam illorum Cantu, quaſi colorari.* Sed quid hic quaeſo iſtud eſt, *Cantu quaſi colorari?* et quis unquam ſic dure et incondite loquutus? Quemnam obſecro, *cantum* iſti philoſophorum et oratorum Libri habebant, quo colorari poterat ipſius CICERONIS oratio? *Cantus* iſte hic profecto minime ſuaviſonus eſt: quin potius horriſonus plane, ſtridulus et aſperrimus. Mendum igitur hic apertum et manifeſtum eſt; in quo tamen eluendo, nihil huc prorſus conferunt Libri MSti, tametſi aliquam Lectionis varietatem ex iſtis, adnotaverint GRVTERVS et alii, apud VERBVRGIVM: qui mallent proinde, peſſimo ſane exemplo, totum iſtud membrum tollere ac reſcindere. Hoc enim eſt, Nodum ſtricto potius enſe, crudeliter diſſetare; quam blanda manu placide diſſolvere. Quid igitur plura? Locus hic, veluti male coloratus, imo foede contaminatus, ita nobis quidem conſtituendus et nitori ſuo priſtino forſan reſtituendus videtur: *Orationem meam illorum Contactu,* vel *Tactu, colorari.* Senſu nunc, ſi quid modo in his videam, optimo profecto, ac liquidiſſimo, et colore quaſi iucundiſſimo perpicto et exornato. Sic igitur

Iam Nocte pulſa, nitidus effulſit Dies,
Et Nube clarum ſquallida exoritur Iubar.

§. LXXXVIII.

§. LXXXVIII.

Ita enim in hunc ipſum ſenſum ARNOBIVS [e]): *Quemadmodum Sol ipſe uno eodemque Contactu, tam varias res efficiat, quin imo contrarias?* quo et illud inprimis pertinet ipſius PLINII [f]) de notiſſima illa Memnonis ſtatua, quaſi animata ſole, ac reſona: *Quem quotidiano ſolis ortu Contactum radiis crepare dicunt:* qui et alibi *contactus lumine,* item *umbrae hyaenae contactus,* dixit, ut et *Tacti ſole ſungi,* ut alia iam ſtudio mittam, paſſim ibi obvia. Sic et *croci colore contactus,* legitur apud LVCRETIVM [g]) ubi conferendus inprimis GIFANIVS [h]) et *Tangit Canicula,* occurrit apud HORATIVM [i]) ut notum. Sed quid plura peregrina quaſi et aliunde petita? ipſe potius CICERO noſter graviſſima ſua auctoritate noſtram hanc coniecturam confirmet, qui alio loco [k]) ita liquidiſſime et apertiſſime ſcripſit: *Is Solis Tactus eſt, non ut tepeſcat ſolum; ſed etiam ſaepe comburat.* Quemadmodum etiam alibi [l]) de Luna dixit: *plus terrarum ſitus, quam Lunae Tactus, ad naſcendum, valere:* ita enim cum plerisque Codd. MSt. melioribus, rectius certiusque legendum, quam cum nonnullis aliis, *Tractus, Actus,* aut *Status,* cum CLERICO, durius et obſcurius ibi ſubſtituendum eſſe, videtur, de quo tamen hic plura interponere iam non licet [m]). Quin potius his omnibus addendus adhuc ille

e) Lib. II. *adverſus Gent.* pag. 84. de re ipſa, conf. *Fabul.* noſtr. L. pag. 105. ibique SIMPLIC. ad EPICTETVM.

f) Lib. XXXVI. cap. 7.

g) Lib. VI. 1186 et alibi. ubi conf. GIFAN. pag. 231.

h) In *Indice Lucretiano,* pag. 318. voc. *Contactus, et Contingere.*

i) *Oda* XIII. Lib. III.

k) Lib. II. *de Natura Deor.* cap. 40. pag. 2975. Vol. IX. Opp. per IS. VERBVRG. curator.

l) Lib. II. *de Divinat.* cap. 96. pag. 3231. eodem Vol. IX.

m) Conf. interim, *Miſcellan. Obſervat.* in *Auct. Vett.* et *Recent.* per doct. *Britann.* Vol. III. Tom. I. Sect. I. pag. 17. ſeqq.

ille inprimis inſignis COELII AVRELIANI locus, Lib. II. *de' Morb. Acut.* cap. 37. pag. 160. *Hypogaea Solis Tactu,* (vel *Tactui*) *difficilia,* qui ipſe locus iſti Ciceroniano modo citato, exacte reſpondet. Interea vero, ut illud hic opportune adiiciam, Graeci quoque pariter elegantiſſime dicere conſueverunt *ἡλίου, ἢ σελήνης ἀφὰς, ἐπαφὰς καὶ συναφάς*, item et *ἅψεις*, aut *συνάψεις*, hoc eſt, *Solis Lunaeve Tactus et Contactus,* prout ex PLATONE, ARISTOTELE, PLVTARCHO, PROCLO, PTOLEMAEO, MAXIMO TYRIO, ARRIANO, GALENO et aliis, notiſſimum eſſe, arbitramur.

§. LXXXIX.

Sed ſatis hactenus de Verbis et ornamentis externis: Nunc vero ad ipſum interiorem eorum ſenſum. Hunc autem nemo, niſi forte fallor, melius, luculentius et acutius interpretabitur, ipſo illo ſapientiſſimo SENECA [n]), praeſertim, quum eum, quum iſta ſcriberet, hunc ipſum noſtrum CICERONIS locum, ſi non ante oculos, tamen in mente ipſa, praeſentem habuiſſe, nullum paene mihi relinquatur dubium. Sic autem ipſe: *Qui in Solem venit, licet non in hoc venerit, colorabitur: qui in unguentaria Taberna reſederunt, et paullo diutius commorati ſunt, odorem ſecum loci ferunt: et qui apud Philoſophum fuerunt, traxerint aliquid, neceſſe eſt, quod prodeſſet etiam negligentibus. Attende, quid dicam: negligentibus, non repugnantibus: Quid ergo? non novimus quosdam, qui multis apud philoſophum, annis, perſederint, et ne colorem quidem duxerint?* Quibus duplex quidem ineſt ſimilitudo, *de ambulantibus nempe in ſole, ſenſim ab ipſo coloratis,* ac *de ſedentibus in Myropolio, clanculum pariter ſuavi odore infectis:* Sed quae tamen ipſae utraeque ad unum eundemque ſimul ſcopum atque ſenſum moralem directe tendunt, ad demonſtrandam ſcilicet utilitatem, ex ſapientium virorum converſatione, aut egregiis ſcriptis, uberrime capiendam; quum eorum virtutes ac praeclara praecepta

n) *Epiſt.* CVIII. pag. 422. *Edit.* GRONOV.

praecepta in audientium, aut legentium pectora ſenſim deſcendant, atque ſic communicatum ac transfuſum veluti *colorem* atque *odorem,* in illis relinquant, ut deprehendant demum, illos ipſos probos ac ſapientes Viros ſibi omnino plurimum profuiſſe; quemadmodum vero, et quando ſibi profuerint, haud aeque deprehendant.

§. XC.

Iſtam vero venuſtam de *officina unguentaria,* ſimilitudinem, ut id opportune, ni fallor, hic adiiciam, pari fere ſenſu pio et ethico, adhibuit quoque MACARIVS [o]) his quidem verbis, lectu omnino dignis: *ὁ εἰσερχόμενος εἰς Μυρεψικὸν, κἂν μηδὲν ἀγοράσῃ, ἀλλὰ πάντως μεταλαμβάνει τῆς εὐωδίας. οὕτω καὶ ὁ παραβάλλων τοῖς πατράσιν, ἐὰν θελήσῃ ἐργάσασθαι, ὑποδεικνύουσιν αὐτῷ τὴν ὁδὸν τῆς ταπεινώσεως. Qui ingreditur in Tabernam unguentariam, etiamſi nihil plane emat; nihilominus tamen ſuaviſſimum odorem ipſo contactu ſubtili, undique omnino attrahit et ſecum effert: Sic, qui cum piis ſanctisque patribus propius et attentius converſatur, modo ipſe velit operam aſſiduam adhibere; tum iſti ſuo quidem exemplo, monſtrant ipſi et ſubminiſtrant rectam planamque humiliationis viam.* Quae ipſa egregia ſane ſententia occurrit quoque paſſim apud IO. CHRYSOSTOMVM, GREGORIVM NYSSENVM, et NAZIANZENVM. BASILIVM MAGNVM, CLEMENTEM ALEXANDRINVM, et alios veteris Eccleſiae doctores, ceu notum eſſe arbitror, diligentioribus ipſorum Lectoribus: Quare brevitatis memor, iam ſtudio abſtineo ab ipſis illorum Locis huc operoſe transferendis et praeter neceſſitatem, aut utilitatem, faſtidioſe cumulandis. Praeſertim, quum poſt hoc aliquanto longius intervallum, nobis ad ipſum SENECAM confeſtim nunc ſit redeundum.

 §. CXI.

o) In *Apophtegmat.* pag. 233. Edit. FRITII, conf. THEOPHRASTI Lib. *de Odoribus,* pag. 450. Opp. per HEINS.

§. XCI.

Ille igitur Philoſophus paſſim et alibi, ad hunc ipſum *Solis contactum*, et *ductum exinde Colorem*, acute alludit; ut, ubi de praeſtantiſſimo illo philoſopho et oratore, PAPIRIO FABIANO, ſplendidum et honorificum fert iudicium [p]), ſequentem in modum, eleganter ſcribit: *Talia eſſe ſcripta eius, non dubito, etiamſi magis reminiſcor, quam teneo: haeretque mihi color eorum, non ex recenti converſatione familiariter, ſed ſummatim, ut ſolet ex veteri notitia.* Quo et illud quodammodo pertinet [q]): *Quemadmodum lana quosdam colores ſemel ducit, quosdam, niſi ſaepius macerata et recocta, non perbibit: Sic alias diſciplinas ingenia quum accepere, protinus praeſtant: haec, niſi alte deſcendit, et diu ſedit, animum non coloravit, ſed infecit, nihil ex his, quae promiſerat, praeſtat.* Omitto lubens alia, paſſim ibi in hunc ſenſum obvia.

§. XCII.

Sed pari quoque modo, hoc venuſtiſſimo quidem Tropo ſaepius utuntur Graeci, in verbis, χρώζεσθαι, ἐγχρώζεσθαι, ἐπιχρώζεσθαι, καταχρώζεσθαι, et συγχρώζεσθαι, ut et συγχρωτίζεσθαι: prout ex ipſo PLATONE, et aliunde, docte, pro more, probat BUDAEUS [r]) ut et PETRUS VICTORIUS [s]), nonnihil tamen, at neſcio, quam recte, BUDAEO modeſte contrarius. Quorſum illud inprimis apposite ſpectat, quod ZENONI oraculum olim conſulenti, quo pacto, optime in poſterum vivere poſſet? reſponderit tum ipſe Deus: εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, *ſi nempe Mortuis concolor eſſet, vel quam proxime illos attingeret,* quod ipſe poſtea ZENO de veterum ſapientum egregiis ſcriptis, aſſidue quidem legendis, et in colorem, ſuccum

p) *Epiſt.* C. pag. 394.
q) *Epiſt.* LXXI pag. 204. Conf. *Epiſt.* CIX. et Lib. *de Provident.* cap. 2,
r) *Comment. Graec Linguae,* p. 1351.
s) Lib. X. *Variar. Lection.* cap. 18. pag. 151.

cum et ſanguinem quaſi convertendis, rectiſſime intellexit, uti haec venuſtiſſima Hiſtoria plenius legitur apud DIOGENEM LAERTIVM [t]) ut et SVIDAM [u]) qui haec in fine addit: εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς· ὅ ἐςι, τοῖς βιβλίοις τῶν ἀρχαίων, τετέςι μελέτην ἀσκεῖν, καὶ λόγοις τρέφειν ψυχὴν τὴν βασίλειαν. ubi illud poſtremum βασίλειαν, quod ſenſu omnino hic caret, expungendum quidem cenſet ipſe KÜSTERVS: malim tamen ego legere: καὶ λόγοις τρέφειν ψυχὴν τῶν παλαιῶν, ita, ut ſcite ſic reſpondeat dicto: τῷ τοῖς βιβλίοις τῶν ἀρχαίων, quod modo praeceſſerat. Videtur vero illud συγχρωτίζεσθαι τοῖς νεκροῖς, idem fere eſſe, ac notum iſtud PERSII [x]) *nocturnis impalleſcere chartis:* Etenim *Mortui pallent,* ceu notum, et *docti* vetuſtis meliorum Auctorum libris legendis, aſſiduo ſtudio incumbentes, pariter *palleſcunt,* unde *pallor Eruditorum* fere in proverbium abiit, ut ex ARETAEO [y]), PLINIO [z]), et aliis multis, clare patet, de quo videndus praeſertim magnus CASAVBONVS [a]). Sed et Graeci porro eleganter dicunt λόγον τῇ εὐτραπελείᾳ κεχρωσμένον, *orationem urbanitate quaſi coloratam,* ut ipſe CICERO [b]) pariter ſcite expreſſit, perpetuus et feliciſſimus plerumque Graecorum imitator, ceu notum. Denique etiam *ſolis nimio Contactu ſic coloratos,* aut, ut SENECA

t) *Vita* ZENONIS, init. pag. 367. Edit. MARC. MEIBOMII.

u) Tom. III. pag. 390. *Edit.* KÜST. conf. *Schol.* ad ARISTOPHANIS *Nubes,* pag. 156. item HEINR. STEPHANI *Theſ. Graec. Lingu.* T. IV. pag. 639. et IOACH. CAMERARII *Comment. utriusque Linguae,* pag. 43.

x) *Satyr.* V. 62.

y) Lib. II. *de Cauſſ. et Sign. Morb. Chron.* cap. 6. pag. 57.

z) Lib. XX. *Hiſt. Nat.* cap. 14. fine. conf. GREGOR. NAZIANZ. *Orat.* XIV. pag. 217. Tom. I.

a) *Comment.* ad PERSII *Satyr.* I. pag. 61.

b) In BRVTO, ſeu *de Claris Orat.* Sect. XLVI. pag. 609. Vol. II. Opp. per VERBVRG. conf. et pag. 606. et ſeqq. item Lib. III. *de Orat.* cap. 52. pag. 514. et ſeqq.

NECA c) facete et acute dixit, *in ſole excoctos*, ſignificanter inde olim vocatos fuiſſe *Colorarios* ac *chromatiarios*, poſt veterem PERSII *ſcholiaſten* d), docte et eximie pro more, docet DESIDERIVS HERALDVS e) ut et laudatus modo CASAVBONVS f). Sed de his nunc ſatis, imo plus, quam ſatis, ad emendationem, illuſtrationem et confirmationem praeclari illius, ſi per ſupinos ſcribas licuiſſet, loci Ciceroniani. Nunc autem tempus profecto tandem eſt, ut poſt tam ſpatioſum diverticulum, in conſuetam iterum orbitam quantocyus recurramus.

§. XCIII.

Qui igitur, ut nunc in penſo noſtro, pergamus, ex nimia *ebrietate repente obmutuerunt*, ita, ut tanquam apoplectico fulmine ſubito contacti et proſtrati, in ſummo Vitae periturae diſcrimine verſarentur; illis inquam, Miſeris ſequentia circa *Lectum* et *Lucem* exactiſſime obſervanda, praecepit ipſe noſter HIPPOCRATES g): ἔπειτα ἀλείψας αὐτὸν ἐκ θωρήξιος ἄφωνον ἀλείφατι πολλῷ, κατακλῖναι ἐς ϛρώματα μαλθακῶς, καὶ ἐπιβάλλειν ἱμάτια καὶ μήτε λύχνον καίειν παρ' αὐτῷ, μήτε φθέγγεσθαι. ὡς γὰρ ἐπιτοπουλὺ ἐκ τοῦ λουτροῦ κατακοιμᾶται, καὶ, ἢν κοιμηθῇ, ὑγιὴς γίνεται: *Ipſum ex ſumma vinolentia derepente mutum factum, multo oleo illitum, ad ſtragula molliter reclinato, et veſtimentis contegito; ac neque lucernam apud ipſum ardere, neque loqui permittito. Vt plurimum enim ex Balneo obdormit, et, ſi placide dormierit, ſanus omnino evadit.* Ad quem inſignem Locum diligenter inprimis hic conferen-

c) Lib. *de Brevitate Vitae*, cap. XIII. pag. 313. conf. MERCVRIAL. Lib. VI. *de Arte Gymn.* cap. I. pag. 343. ſeqq.

d) Ad *Satyr.* IV. pag. 15.

e) *Comment.* ad MARTIALIS Lib. I. *Epigr.* 78. pag. 28. 29.

f) *Comment.* ad PERSII *Satyr.* IV. pag. 146. conf. et *Comment.* ad IVVENALIS *Satyr.* XI. 203.

g) Lib. II. *de Morbis*, pag. 53. Tom. II. Opp. per LINDEN.

conferendus Medicus olim praeſtantiſſimus PETRVS SALIVS DIVERSVS [h]). Ceterum, ut id obiter, data commoda occaſione, hic adiiciam, phraſis iſta: ἢν κοιμηθῇ, ὑγιὴς γίνεται, pulchre ſatis et appoſite reſpondet iſti a CHRISTI diſcipulis de LAZARO, quondam prolatae ſententiae [i]): εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται, *ſi obdormiverit, ſervabitur et ſanabitur*: ubi praeter GROTIVM, aliosque Interpretes, videndus inprimis WETSTENIVS [k]); quibus addatur, ſi cuiquam forſan lubeat, noſtra etiam hanc ipſam in rem, *obſervatio Medico-philologica*, apud B. WOLFIVM [l]) et ea denique, quae eadem de re, docte et diligenter, pro more, collegit DIETERICVS [m]). Sed ſatis de ſomno! nunc iterum evigilemus, et alacriter pergamus.

§. XCIV.

Mira vero et paene incredibilia ſunt, quae XENOCRATES olim de *Pulegii* ſingulari virtute *tertianarum febrium* impetum cohibendi ac reprimendi, tradidit; ita enim de hoc novo quaſi miraculo commentatus eſt PLINIVS [n]): XENOCRATES *Pulegii ramum, lana involutum, in Tertianis, ante acceſſionem, olfactandum dari, aut ſtragulis ſubiici, et ita collocari Aegrum, inter Remedia tradit.* Sed prudenter tantum haec ipſa portenta quaſi refert ipſe PLINIVS, non autem diiudicat, multo minus approbat, aut commendat. Interea tamen eandem fere virtutem *Pulegio* tribuit APVLEIVS [o]) his quidem

[h]) In *Comment.* ad iſtos HIPPOCRATIS Libros IV. *de Morbis*, pag. 212. Nihil vero, quod mirum, hic obſervavit PISO: Sed perquam raro Hippocraticorum praeceptorum meminit, ut iam ſupra monui.

[i]) IOANN. Cap. XI. 12.

[k]) In *Not.* ad IO. XI, 12. pag. 915.

[l]) In *Curis philol.* in illum IOANNIS Locum, pag. 916. Tom. I.

[m]) In *Iatreo Hippocratico*, pag. 1278. ſeqq.

[n]) Lib. XX. *Hiſt. Nat.* cap. 14.

[o]) Lib. *de Medicaminibus Herbarum*, Cap. XCII. Sect. 6. pag. 256. cum *Not.* HVMELBERGII.

dem verbis: *Pulegii Ramulos tres lana involutos odoret aeger ante Tertianae acceſſionem;* quod ex ipſo hoc PLINII loco deſumtum videtur, ut et cenſet HARDVINVS [p]). Ceterum autem de ſingulari ſuaveolentis *Pulegii* virtute analeptica, ad recreandos animo defectos, alibi iam paullo curatius egimus [q]); ut id obiter hic adiicere liceat.

§. XCV.

Sed longe probabiliora, atque ipſi rationi et experientiae convenientiora ſunt iſta, quae in febribus illis periculoſis et inſidioſis, *Synocho*, *Cauſo*, *Homotono* et *acmaſtico*, vulgo dictis, circa aegrotorum potiſſimum *Conclavia* ac *cubilia*, ſolerter prudenterque olim ordinarunt PHILVMENVS, et eum ſequutus, AETIVS, item GALENVS, DAMASCENVS, GARIOPONTVS, et alii. Sed praeſtabit omnino, ut arbitramur, cauta nunc illorum conſilia hic audire, atque ipſis Lectoribus diiudicanda proponere. Sic igitur PHILVMENVS [r]): *τὰ πρῶτα τῶν καυσȣμένων βοηθήματά ἐστι, κατάκλισις ἐν τόποις ἀναψύχȣσιν εὐπνόοις, ἀέρι καθαρῷ ἀναπνεομένοις. στρωμνή τε ἁπαλὴ, καὶ πυκνότερον νεαροποιȣμένη. περιβλήματα συνεχῶς ἀλλασσόμενα, καὶ ἱκανῶς ἰσχνὰ καὶ μὴ ῥυπαρὰ κλίνη,* (quod hic deeſt in Graec.) *ἔχȣσα δαψιλὲς πλάτος, πρὸς τὸ ἐπ' ἄλλα καὶ ἄλλα, τῶν πρώτων θερμαινομένων, μετάγειν. τὰ μέλη. ῥιπὶς δὲ κινείτω τὸν σαθηρότερον ἀέρα, κ. τ. λ.* deinde nonnullis interiectis: *ἄλλαι δὲ παρεπιτηδευέσθωσαν ψυχαγωγίαι. Φύλλα ἀμπέλȣ χλωρὰ, καὶ μυρσίνης, καὶ ῥόδων ἐρρίφθω κατὰ τȣ̃ ἐδάφȣς, καὶ τῷ ὕδατι καταραινέσθωσαν συνεχέστερον· Κρȣ́νοι δέ ὕδατος πλησίον ἠχείτωσαν.* Hoc eſt: *prima*

p) Ad PLINII *citat. Loc.* pag. 211. Tom. II. Opp.

q) In *Opuſculis Med. Philol.* Vol. I. pag. 271.

r) Apud AETIVM, Lib. V. cap. 78. pag. 86. *Edit.* ALDIN. ex quo cuncta haec ad verbum tranſcripſit NICOLAVS PISO, ſed ſine ipſius Auctoris nomine, Lib. *de Febribus,* Cap. VI. pag. 733. ſeqq. Tom. II. Opp. *de cognoſcend. et curand. Morbis.* Conf. et antecedens Cap. 74 pag. 85. b. et COEL. AVREL. Lib. II. de *Morb. Acut.* cap. 37. p. 161.

prima auxilia in febribus ardentibus ac continuis, ſunt praeſertim decubitus in locis frigidis, qui ad purum aerem patent ac perflantur: ſtratum ſit molle ac ſaepius renovatum: Amicula et operimenta ſint aſſidue permutata, et ſatis gracilia, tenuia et neutiquam ſordida; Lectus ipſi ſit abunde amplus et latus, quo poſſint ipſa membra iam prius calefacta, ſubinde ad alias atque alias ipſius partes commode transferri: Flabellum vero ſimul blande moveat aerem ignavum quaſi et immobiliorem. Sed et alia animi oblectementa inſuper ſunt procuranda: Folia ergo Vitis viridia, item Myrti ac Roſarum, per pavimentum ſpargantur, et aqua frigida frequentius irrorentur; aquae denique, aut fonticuli in vicinia ſalientes ac iuxta cadentes, blandum ac ſuſurrantem ſonum efficiant. Hactenus PHILVMENVS.

§. XCVI.

Haec autem cuncta, aliquanto quidem diffuſiora, haud tamen lectu iniucunda, in arctius veluti compendium ita contraxit GALENVS [s]): πνευμάτων εἰσόδους ψυχόντων ἐπιτεχνᾶσθαι, καὶ τὸν ἀέρα τοῦ οἴκου, τρέπειν εἰς ψύχουσάν τε καὶ στρυφνὴν ποιότητα, μυρσίναις τε, καὶ ἀμπέλων ἕλιξι, καὶ ῥόδοις καταστρωννῦντα τοὔδαφος: *Aurarum inprimis refrigerantium acceſſus arte quadam procurare oportet, atque ſic ipſius domus, ſeu cubiculi aerem in frigidam ac condenſantem quandam qualitatem convertere, Myrti ſcilicet frondibus, Vitium capreolis, et roſis denique ipſi pavimento ſimul inſtratis.* Quae ipſa ſic ſcite expreſſit IANVS DAMASCENVS [t]): *Decumbat autem, qui laborat, in cubiculo frigido, virentibus foliis ſalicis, Myrto, Mandragora, Roſis recentibus, Violis virentibus, floribus Nymphaeae, et pampinis, cum aqua frigida inſtrato, quae ſane, quoties incaluerunt, ſubinde permutentur.* Contra ferocem vero febrem illam *Homotonon* dictam, diverſam fere medendi rationem hic propoſuit

[s]) Lib. I. *de Method. Med.* ad GLAVCON. cap. 15. pag. 361. Tom. X. Opp. et Lib. II. *de Febrium different.* cap. 2.

[t]) Lib. II. cap. 13. pag. 39.

poſuit GARIOPONTVS [w]), quae apud ipſum, ſi cui volupe fuerit, legatur.

§. XCVII.

Sed regrediamur potius, ſi lubet, ad ipſum AETIVM AMIDENVM, qui contra *febres illas ſubdolas et* miſeros aegros *tacite macerantes et extorrentes,* quae in calidis potiſſimum ac ſiccis et bilioſis temperaturis, citra ſummam tamen inflammationem ac putrefactionem, frequentius oriri ſolent, eadem fere circa aegrorum cubicula et cubilia inſtruenda ac temperanda, caute praecepit, quae ſupra iam ex PHILVMENO retulerat et approbaverat. Licet igitur haec ipſa eiusdem repetitio forſan ſupervacua nonnullis Lectoribus morae impatientioribus, videri hic poſſet; noluimus tamen pace eorum, periturae parcere chartae; quin potius ipſum hunc locum ob ſingularem inprimis elegantiam, dignum utique cenſuimus, quem integrum huc transferremus; praeſertim, quum ipſum Graecum AETII exemplar rarius omnino occurrat, et pauciſſimis Medicorum doctiorum hucusque ſit viſum. Sic igitur ipſe AETIVS [x]): *εἰ ὁ ἀὴρ θερμὸς ὑπάρχει ἱκανῶς, τοὐναντίον ἐπιτεχνᾶσθαι, καταγείους οἴκους, ψυχεινούς τε καὶ εὐπνουστάτους, ἐξευρίσκοντες πρὸς ἄρκτους ἐστραμμένους· αὔρας τέ τινας αὐ-*

τοῖς

[w]) Lib. VI. *de Febribus,* cap. 17. pag. 134. b.

[x]) Lib. V. cap. 91. pag. 90. conf. huc GALEN. Lib. X. *de Method. Med.* cap. 8. pag. 234 Tom V. ut ſupra iam notatum: add. CELS. Lib. III. cap. 18. et ibi *Not. Noſtr.* pag. 775. COEL. AVRELIAN. Lib. I. *de Morb. Chron.* cap. 5. pag. 332. THEODORET. *Orat.* VI. *de provident.* pag. 203. et CASAVBON. ad SVETONII *Auguſt.* cap. 82. pag 418. nempe de *aquarum Euripis,* ſive *Silanis,* artificioſis: ubi et nosmet ipſi plura in *Commentar.* hac de re, dicturi aliquando ſumus: add. PISON. Cap. VI. Lib. *de Febr.* pag. 733. Tom. II. Opp. et Cap. VIII. *ibid.* p. 749. ubi cuncta haec AETII ad verbum, repetuntur, nulla tamen ipſius Auctoris facta mentione, pro conſueto potius, quam conſulto PISONIS more, uti ſaepius iam a nobis merito notatum.

τοῖς ἰδίας μηχανωμένους· ἐνίοτε μὲν ἐξ εὐρίπων, εἰς οὓς καταῤῥήσσουσιν κρουνοὶ πλείους. ἐνίοτε δὲ ἐξ ἀγγείων εἰς ἀγγεῖα μεταῤῥέοντος τοῦ ὕδατος ψυχροῦ. ῥαίνειν δὲ συνεχῶς τὸν οἶκον ἀκραιφνεῖ ψυχρῷ, καὶ ῥόδα πολλὰ, ἢ ἀμπέλων ἕλικας, ἢ μυῤῥίνας, κατὰ τῆς γῆς ἐπιστρωννύειν, ἢ τι τῶν ἄλλων φυτῶν, ὅσα ψύχει. εἴργειν δὲ πλῆθος ἀνθρώπων εἰσιέναι. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο θερμαίνει τὸν οἶκον. *Si Aer nimis calidus fuerit; contrarium arte quadam efficiendum et inducendum erit: Quaerendae nimirum et inveniendae ſunt domus ſubterraneae frigidiuſculae, a ventis probe perflatae, et ad ſeptentrionem inprimis converſae. Auras quoque quasdam proprias ipſis arte parabimus, aliquando ex Euripis, in quos plures aquae ſalientes ſeſe praecipitant: aliquando autem ipſa aqua frigida ex Vaſis in Vaſa blande transfluente. Reſpergenda etiam eſt ipſa domus aſſidue aqua gelida puriſſima, et Roſae inſuper multae, aut Vitium pampini, aut Myrti, per terram inſternantur; aut aliae quaedam plantae, quae refrigerandi vim habent, inſpergantur. Arcenda quoque ab ingreſſu eſt nimia hominum multitudo; nam etiam hoc ipſum domum, ſeu Cubiculum calore implet, in quo aeger decumbit.* Haec igitur cuncta ita perquam ſcienter ac prudenter excogitata atque propoſita eſſe, nemo non, opinor, harum rerum gnarus, ultro fatebitur. Inde, ut ſpes quidem benignior affulget, ipſos forſan humaniores Lectores haec ipſa, tametſi paullo diffuſiora, legiſſe, haud poenitebit; ſicut nos eadem omnia patienter deſcripſiſſe, atque huc transtuliſſe, nondum poenituit, nec unquam poenitebit.

§. XCVIII.

Frigidis contra, humidisque nimium *Hydropicis* plerumque magis conveniunt *cubilia* veluti *calida*, imo *fervida*, dura, imo et ſordida, foetidaque, ſi dicere quidem liceat. Nimirum *ex Arena littoris ſole ignita, torrenda eſſe Hydropicorum corpora, vel etiam pellibus ſole fervefactis involvenda*, ad ſudorem nempe copioſiſſimum ſic fortiter provocandum, graviter hic praecipit COELIVS AVRELIANVS[y])

 imo

[y]) Lib. III. *de Morb. Chron.* cap. 8. pag. 473. ex quo haec ipſa, etſi ſuppreſſo

imo omnes fere Medici Veteres ſic praeceperunt, ut GALENVS [*]); AETIVS [a]), CELSVS [b]), THEODORVS PRISCIANVS [c]), GARIOPONTVS [d]), IANVS DAMASCENVS [e]), DIOSCORIDES [f]), PLINIVS [g]), SERENVS SAMONICVS [h]) atque alii plures, partim iam alibi a me laudati [i]), partim et hic infra, rurſus laudandi: ex quibus tamen potiſſimum eminent HERODOTVS, apud ORIBASIVM [k]) et ANTYLLVS, apud AETIVM [l]) cuius eximium de his ipſis arenoſis quaſi ac fervidis hydropicorum Lectis, locum huc transferre haud pigrabor. Sic autem ipſe ANTYLLVS: *ἐπὶ δέρματος πυριώμενοι, μεγάλως ὠφελοῦνται οἱ μὲν ὑδρωπικοί. δεῖ δὲ εὐμέγεθες εἶναι τὸ δέρμα, καὶ ἐλαίῳ ἠλεῖφθαι αὐτὸ καὶ ἐστρῶσθαι ἐπὶ ψάμμου λεπτῆς σεσησμένης, καὶ προθερμανθέντι τῷ δέρματι κατακλίνειν τὸν πάσχοντα, ἐσκεπασμένον τὴν κεφαλὴν ὠμῷ λίνῳ, μείναντα δὲ ἐφ᾽ ἑνὶ σχήματι, ἐπὶ πολύ: ἐπειδὰν ἱκανῶς ἐκπυρωθῇ τὸ σῶμα, στρέφεσθαι κελεύειν κυλιόμενον, καὶ πάλιν ἐπὶ τὸ ἄλλο πλευρὸν ἐκταθέντα ἡσυχάζειν, καὶ τοῦτο ποιεῖν πλεονάκις. ὁ αὐτὸς δὲ τρόπος καὶ ἐπὶ ψάμμου παραλαμβανέσθω, ἀλλασσομένου τοῦ τόπου συνεχῶς. δεῖ δὲ ὑπηρέτην παρεῖναι, καὶ θερμοτάτην ψάμμον ἀναλέγοντα ἐπιβάλλειν τῷ σώματι τοῦ κεχωσμένου, κ. τ. λ.* *Qui ſuper*

preſſo nomine, ut ſolet, repetit NICOL. PISO Lib. III. cap. 32. p. 367. Tom. II. Opp. *de cognoſcend. et curand. Morbis*, conf. 10. RHODII, *Analect.* ad SEPTAL. p. 444.

*) Lib. IX. *de ſimpl. Med. Facult.*

a) *Tetrabibl.* II. *Serm.* IV. cap. 27. pag. 542. et 543.

b) Lib. III. cap. 21. pag. 162. et Lib. II. cap. 17. pag. 93.

c) Lib II. cap. 32. pag. 125. d) Lib. V. cap. XI. pag. 95.

e) Lib. VI. cap. 7. pag. 333. ſeqq. cuius ipſum locum cit. infra in ſqq.

f) Lib. V, cap. 167. g) Lib. XXXI, cap. 6. et ibi copioſe HARDVINVS, pag. 558. Tom. II Opp.

h) Sect. XXVI. pag. 17. et ibi KEVCHEN. pag. 192. item HVMELBERG, pag. 150 et *Not Varior.* apud BVRMANN. Tom. II. *Poet. Latinor. minor.* pag 288.

i) Tom. I. *Opuſcul. Med. philol.* pag. 319. ſeqq. copioſe.

k) Lib. X. *Collect.* cap. 8. pag 444. ſeqq.

l) Lib. III. cap. 9. pag. 49. conf. SCHNEIDER. de *Iſchiagra*, p. 919.

ſuper corio ſeſe ſoli exponunt, magnam utique utilitatem conſequuntur, praeſertim autem ipſi Hydropici. Oportet autem magnum eſſe corium, et oleo prius perunctum, et ſuper tenuem arenam cribratam extentum: et ubi praecalefactum eſt Corium; tum demum ipſum aegrum ſuper id decumbere, capite cum crudo linteo velato: permanendum autem diutius eſt in eadem decubitus figura. Poſtquam autem corpus ipſum ita multum fuerit fervefactum; tum vertere illud iubendum ac devolvendum; et poſtea rurſus in alterum latus revolvendum, et ſic extentum, placidae quieti dandum: Atque hoc ipſum ſaepius facere convenit. Idem vero modus in ipſa Arena eſt obſervandus, loco nempe aſſidue permutato. Oportet autem ſemper Miniſtrum adeſſe, qui fervidiſſimam Arenam diligenter colligat, atque ipſi corpori defoſſi ſic et obruti arenis aegroti, perpetuo ſuperingerat: Eadem fere, imo et plura etiam, de iſta *arenoſa* quaſi *Medicina externa*, et *cubilibus arenaceis*, pariter leguntur apud ſupra laudatum HERODOTVM: ſed quoniam locus iuſto diffuſior, praetereaque ipſum exemplar graecum iam deficiat: illum huc tranſcribere haud placet. Potius, ſi quidem lubet, adhuc audiamus hanc ipſam in rem, iam ſupra laudatum IANVM DVMASCENVM [m]): *Ceterum in eo loco, in quo ſedent Hydropici in ipſo ſole, non, ut Ventus flet, oportet: Et calfaciendi ad ſolem, tempus eſto, ſolis curſu ſupra caput exiſtente, et oportet, ut Caput ſit totum tectum, et dimittantur reliqua membra nuda, detecta. Et oportet, ut fiat illud ſemper ſuper Arenam Maris; et iaceat Infirmus ſuper eam, et cooperiatur reliquum eius corpus, quia Arena, quando calefit caliditate ſolis, exſiccat et exſugit, ſicut ſpongia humiditates. Quum ergo currit ex eis ſudor, ex calefactione, tunc convenit, ut inungantur vice una, cum oleo* etc. et quae ibi plura ſequuntur, quae omnia nimis anxie exſcribere iam non vacat.

m) Lib. VI. cap. 7. pag. 333. conf. et huc AESCVLAP. cap. XXXVII. pag. 59. ubi haec brevius enarrantur: item PISO, loc. citato, p. 367. Tom. II. Opp.

§. CXIX.

Forſan vero urbaniori Lectori hic non penitus diſplicebit, uti ſpero, ſerius ille ingenioſi PVBLII SYRI iocus, beneficio atque induſtria MACROBII [n]) nobis adhuc in oblectamentum, ita ſervatus: *Quum Dominus forte ſervum ſuum hydropicum iacentem in Area vidiſſet, increpuiſſetque, quid in ſole faceret? ioculari tum facetia protinus reſpondit ipſe* PVBLIVS ille SYRVS: *Aquam calefacit:* ubi quidem vox iſta *Area,* aliquo modo, non nego prorſus, defendi ac ſuſtineri poſſet; rectius tamen atque opportunius, ipſique loco longe accommodatius, mea certe opinione, forſan hic legeretur *Arena,* ita ut ad illam ipſam cognitiſſimam *hydropicorum* per *arenas ſole fervefactas, curationem,* ſic aptiſſime et commodiſſime reſpiceretur. Sed de hac levi et forte arenoſa, ut ſic dicam, coniectura, ipſi nunc libere candideque arbitrentur Lectores humaniores, ac Critici acutiores. Interea poſſem nunc his addere ſimilia plura ex AVL. GELLIO [o]) SYMMACHO [p]) aliisque, de hac notiſſima olim apud Veteres, *ἀμμοχωσίᾳ, ψαμμισμῷ, παροπτήσει, πυριήσει, ἀφιδρώσει, διὰ ψάμμου, καὶ ἀλινδήσει ἐν ταῖς ψάμμοις,* ſeu *de ſiccatione, ſudatione, inſolatione, volutatione per arenas, ſole ipſo fervefactas, procurata:* niſi de hoc ipſo fervido quaſi argumento, iam dudum calide, copioſe ac ſolerter tractaſſent MERCVRIALIS [q]), REINESIVS [r]), BACCIVS [s]), GREENIVS [t]), CASAVBONVS [u]), IOVBER-

n) Lib. II. *Saturnal.* cap. 7. pag. 288.

o) *Noct. Att.* Lib. XIX. cap. 8.

p) *Epiſt.* 45. Lib. VIII. ad quem locum conf. A. D. Exercit. *de uſu Arenae externo,* ad DRESIGIVM, Lipſ. 1734. ubi plura, praeſertim vid. pag. 8. ſeqq. item B. SCHVLZII Diſſert. *de Hydropis curationibus antiquis,* pag. 13. ſeqq. Conf. hic etiam Viros magnos, BOERHAAVIVM, *Aph.* 1248. pag. 306. et *Prax. Med.* Tom. V. pag. 186. ſeqq. item ibid. VAN SWIETEN, Tom. IV. *Comment.* pag. 266. ſeqq. et GAVBIVM, *de Methodo concinandi Formul. Med.* pag 261.

q) Lib. V. *de Arte Gymnaſt.* cap. 12. pag. 325.

r) Lib. II. *Var. Lect.* cap. 18. pag. 291. ſeqq. et Lib. III. cap. 18. p. 669.

BERTVS [x]) aliique plures, quos eximie laudat praeſtantiſſimus noſter SCHNEIDERVS [y]) qui ipſe de hoc arenoſo remedio externo, ſaepe efficaciſſimo, quam diligentiſſime, pro more ſuo ſolito, egit; quibus cunctis, niſi forſan diſplicear, ea denique addantur, quae quondam nosmet ipſi de eodem quidem argumento commentati ſumus [z]), quum *Arenas Suetonianas*, forſan haud plane infeliciter, in *Habenas* mutaremus, ſolido potius, ac ſaxeo, niſi fallamur, quam arenoſo, aut araneoſo fluxoque fundamento, firmius innixi. Sed haec in tranſitu, data nempe occaſione.

§. C.

Licet igitur arenoſa iſta operimenta ac ſubſtragula miſerandis illis Hydropicis iam per ſe, ſat gravia, oneroſa ac taedii et faſtidii plena omnino eſſent; alterum tamen Remedium iſtud, ſive Retrimentum potius, longe tetrius, foedius ac deteſtabilius utique erat, quum iſti aqua intercute turgidi et oppreſſi, *ſtercore bubulo* ſordidiſſimo, per omne quidem corpus, undique largiter obliti obrutique, et in vivas quaſi Mumias, ſed nigro, coenoſo olidoque Balſamo conditas, permutati, fervidiſſimis ſolis radiis, in ſubſtrata arena, exponerentur, ut ſic putridi et inutiles humores ſenſim excoquerentur,

[s]) Lib. II. *de Thermis*, cap. 17 et 18.

[t]) Lib. *de Ruſticat. Vett. Romanor.* cap. 8. pag. 713. Tom. I. *Theſaur. Not. Antiquit. Rom.* per SALLENGRE.

[u]) *Comment.* ad SVETONII *Auguſt.* cap. 8. in quod et ſingulari *programma* ſcripſit Celeb. FRANCKENAV.

[x]) Lib. *de Gymnaſ.* cap. 2. pag. 347. ſeqq. apud eundem SALLENGRE, Tom. I. Theſ.

[y]) Lib. V. cap. 8. *de Diaeta Catarrhoſor.* pag. 318. ſqq. et Lib. de *Iſchiagra*, pag. 9 8. ſeqq. item Lib. *de Paralyſi*, cap. 8. pag. 1193. ſeqq.

[z]) *Opuſcul. Med. Philol.* Vol, I. pag. 319. ſeqq. ut iam ſupra adnotatum; add. his IO. RHODII *Analecta*, in LVDOVICI SEPTALII *Animadverſiones et Cautiones Medicas*, pag. 672. et quos ibi laudat Auctores.

tur, corpusque ipſum reſeratis undique oſtiis, et apertis rivis, in copioſiſſimos ſudores reſolveretur. Nec tamen puduit olim Medicos etiam praeſtantiſſimos, quod ſane mirum, in curandis Hydropicis, ſic, ſine nauſea aut verecundia, *ſordidum tractare ſimum, quem Bucula fudit,* ut ita cum SERENO SAMONICO [a]) loquar, uti luculentis ſane exemplis manifeſto conſtat ARCHIGENIS, apud GALENVM [b]), AEGINETAE [c]), ORIBASII [d]), COELII AVRELIANI [e]) et aliorum: praeſertim vero ipſius AETII, iam ſaepius laudati [f]), cuius ipſa verba notatu certe digna pace Lectorum, huc transferre lubet: Ἰατρὸς τις φαρμάκων ἔμπειρος, τοὺς ὑδερικοὺς βολβίτῳ καταχρίων, ἐν ἡλίῳ κατέκλινε, καὶ πολλοὺς ὠφέλησεν: *Medicus quidam, rei medicamentariae perquam peritus, Hydropicos ſtercore bubulo prius probe oblitos, ad ſolem poſtea reclinatos exponebat, atque ſic multis auxilium attulit.* Quae ipſa ex GALENO [g]) ad verbum fere, more conſueto, petita, ubi laudatus ille Medicus, qui aquam ſic coeno feliciter ſaepe expurgaſſe credebatur, ex Myſia minore, ſeu Helleſpontiaca, oriundus fuiſſe dicitur, licet, quod mirum quidem, verum ipſius nomen reticuerit ipſe GALENVS: qui ceterum tamen de hac ipſa medendi ratione ſordida omnino ac violenta, hoc prudentiſſimum quidem interpoſuit iudicium: εἰδέναι μέντοι χρὴ, πάντα τοιαῦτα φάρμακα κοπρικὰ σκληροῖς σώμασιν ἀγροίκων ἀνθρώπων ἁρμόττειν, σκαπανέων τε καὶ θεριστῶν, καὶ τῶν ἰσχυρὸν οὕτως ἔργον διαπραττομένων: *Scire tamen probe oportet, omnia id*

[a]) *De Medicina,* cap. VII. pag. 3.

[b]) Lib. IX. *de Compoſ. Medicament. ſecundum Loc.* cap. 3. pag. 606. Tom. XIII. Opp.

[c]) Lib. III. cap. 48. p. 48. b. [d]) Lib. II. *de Virtut. Simpl.* pag. 75.

[e]) Lib. III. *Morb. Chron.* cap. 8. pag. 474. et pag. 475. ubi et *de ſtercore caprino,* et apud ARET. p. 134. conf. et PISON. Lib. III. cap. 32. p. 375.

[f]) Lib. II. cap. 115. pag. 34. b. conf. huc et AESCVLAP. cap. XXXVII. pag. 60. item et PISONIS modo laudati Lib. III. cap. 32. p. 375. T. II.

[g]) Lib. X. *de ſimpl. Med. Facult.* cap. II. ſect. 23. pag. 291. Tom. XIII. Opp.

id quidem genus, Medicamenta ſtercoraria duris agreſtium hominum corporibus potiſſimum aptius convenire, nimirum foſſorum, et meſſorum, et reliquorum denique omnium, qui ſimili modo, opus validum ac laborioſum aſſidue tractant. Illis nempe dura de ſtirpe natis, duroque labore educatis et perpetim occupatis, dura quoque et aſpera conducunt omnino remedia, atque ſic, ut tritum tenet proverbium, Malo duroque Nodo malus durusque quaerendus eſt cuneus, *καὶ χολὴν πικρὰν κλύζειν δεῖ φαρμάκῳ πικρῷ, ἢ κοπρίῳ, ἢ κόπρον κόπρῳ ἐκκοπρίζειν καὶ ἐκκαθαίρειν*, ut pariter Graeci acute dicunt: uti nuper admodum oſtendimus, Tom. III. *Opuſculor. Med. philol.* pag. 42. in *Notis.*

§. CI.

Quum igitur iſta tantum corpora ſolida, dura, aut veluti ſilicea, aut ilicea, ut SENECA fere ait [h]) eiusmodi rudes, ancipites et aerumnoſas, per foeda boum ſtercora impoſita, curationes ſuſceptas, impune perferre, atque aliquam interdum opem exinde perſentire poſſint: Inde profecto non mirum, Philoſophum illum, *clarum ob obſcuram linguam,* ut LVCRETIVS [i]) ipſum vocat, et in continuos aniles fere et indecoros fletus intempeſtive ſolutum, puta HERACLITVM, per ſuperimpoſitas ſibi illas vaccarum ſordes, fatalem mortalitatis ſortem ſubito expertum fuiſſe, quum ex continuo olerum montanorum humidiorum et inſalubrium eſu et uſu, dirum durumque hydropem ſibi contraxiſſet, et a Medicis, ab ipſo prius deriſis, merito forſan, deſertus eſſet. Hinc ergo proprio auſu ſuaſuque, *ſiccitatem nempe ex inundatione facturus,* ut quidem ipſe per aenigma obſcurum, iocabatur, fimo bubulo ſeſe totum undique perlitum et perunctum, in arena fervidiſſima, (quod SVIDAS hic addit) ſoli flagrantiſſimo patienter expoſuit, ſicque probe, aut improbe, percoctus et peraſſatus, medio veluti in ſterquilinio, (ſit venia dicto!) glorioſe, ac philoſophice ſcilicet, expiravit, ſive, ut cum TERTVLLIANO

h) Lib. III. *de Ira,* cap. 8. i) Lib. I. 640.

LIANO [k]) loquar, *ſeſe bubulo ſtercore oblitum exuſſit:* flebile illud flentis ſemper philoſophi fatum accuratius diſertiusque referentibus DIOGENE LAERTIO [l]) et HERMIPPO, apud ipſum, MARCO ANTONINO [m]) TATIANO [n]) SVIDA [o]), et aliis, a B. BRVCKERO [p]), iam laudatis.

§. CII.

Sed quidquid demum horum ſit: non defuere tamen, vel recentiore aetate, etiam ex doctioribus, quod mirum, Medicis, qui haec ipſa ſordida Medicorum veterum veſtigia nimis religioſe, aut ſuperſtitioſe, ſequerentur, et plus iuſto et aequo, profuſi eſſent in laudando luto, ac coeno celebrando, dum non Boum ſolum; ſed et aliorum brutorum, imo et hominum adeo ipſorum, foeda recrementa, tum in hydrope ipſo, quam multis etiam aliis morbis, chronicis praeſertim, ac pertinacioribus, auſpicato ſanandis, eximia plane ac praeſtantiſſima Medicamenta praebere, praefidenter traderent. Quorum praeclariſſimorum Auctorum alias Acutorum, foedo tamen Stercutio foetidaeque Cloacinae veluti impenſe nimis faventium ac litantium, ingentem catalogum contexuit quondam diligentiſſimus

k) *Ad Martyras,* cap. IV. pag. 138. Edit. RIGALT. ubi vid. *Not.* PAMELII.

l) Lib. IX. init. pag. 550. Edit. MEIBOM. ubi vid. maxime MENAGII *Obſervat.* pag. 394. Conf. PETRI PETITI *comment.* in ARETAEVM, pag. 159. et IOANNIS DAVISII *Not.* ad MAXIMI TYRII *Diſſert.* XIX. pag. 571.

m) Lib. III. *de Rebus ſuis,* ſect. 3. pag. 66. ubi conf. GATAKERI *Notas.*

n) *Orat. ad Graecos* apud MENAG.

o) *Lexic.* Tom. II. pag. 73. per KÜSTER.

p) *Hiſt. Crit. Philoſophiae,* Tom. I. pag. 1210. Conf. BOERHAAVII *prax. Med.* Tom. V. pag. 186. et *van* SWIETEN, *Comment.* Tom. IV. pag. 267.

gentiſſimus noſter et longe doctiſſimus SCHNEIDERVS [q]). Quibus noſtro inprimis tempore, addendi adhuc omnino ſunt RVLANDVS, atque inprimis PAVLLINI, qui ſplendidam ſcilicet atque ſuaveolentem *Apothecam* ſic dictam *ſtercorariam* nobis liberali nimis manu, in communes, ſi dicere quidem fas ſit, uſus, aperuit, nec gratam tamen oculis, nec iucundam naribus, nec denique acceptam ac tractabilem manibus. Interea tamen, ut iam dudum alibi candide monuimus atque ingenue profeſſi ſumus [r]), vere doctum, politum ac peritum Medicum haud quaquam decet, experimenta ſic facere per excrementa, nec famam quaerere per fimum, aut aurum colligere ex ſtercore: ſed his ſit Venia tandem dictis, atque honos auribus. Σοφὸν γὰρ καὶ ἔμπειρον ἰητρὸν ἅπαν δεῖ καθαρῶς δρᾶν, καὶ μηδὲν βδελυκτὸν, ἢ μιαρὸν πράττειν, ut ita fere loquuntur ipſe HIPPOCRATES, eumque ſequutus ARETAEVS, ut alibi a nobis demonſtratum. Sed de his nunc hactenus.

§. CIII.

Libenter ergo relictis his ipſis *Hydropicorum Lectis,* partim ex arido calidoque *ſabulo,* gravibus ac moleſtis; partim vero ex olido ſordidoque *ſcybalo,* tetris ac nauſeoſis; iam ad alios potius, ſi lubet, tranſeamus Lectos, et decubitus, nimirum *Coeliacorum*: de quibus in hunc quidem modum, diſſeruit COELIVS AVRELIANVS [s]): *Quum adhuc nova, vel emergens fuerit paſſio; nec plurimi temporis; ſed in ſuperpoſitione conſtituta; erit eo tempore, locandus aegrotans*

V 2

q) Lib. ſpecialiſſ. *de Catarrhis,* Lib. II. *de Arthritid. et Podagra,* cap. 5. pag. 788. ſeqq. Conf. GERHARD. FELTMANNI Lib. *de Dea Podagra,* Cap. XXVIII. pag. 147. ſeqq. ubi praeſertim ex PLINIO, varia huiusmodi ſpurca remedia nimis diligenter collecta exhibet.

r) Tom. III. *Opuſcul. Med. philol.* pag. 47. ſeqq. et pag. 97. item *Tract. de pleuritide,* Cap III. pag. 47. et *poem. phyſ. eth. contra diram Variolar. Inſitionem,* pag. 7. in *Notis*, et alibi paſſim.

s) Lib. IV. *de Morb. Chron.* cap. 3. pag. 500.

tans conſtrictiva ratione, adhibita requie: et quantum vires permiſerint, abſtinentia. Et poſt multa interiecta alia, tandem ſic clarius et luculentius [t]): *Si ſolutio fuerit urgentior, vel ſola, frigidus convenit Locus aegrotanti, et ſupina iacendi poſitio, paullo levatius capite locato, et ſuppoſitione Lanarum, clunes, vel inferiores Longoanis partes ſublevandae. Adhibenda etiam Requies, et impreſſus articulis manuum amplexus, vel ligatio paullo tenacior. Deponenda etiam omnis animi intentio, et magis cogitatio paſſionis avertenda*, etc. et quae ibi ſequuntur plura hanc in rem, lectu ſi non iucunda, tamen omnino digna et utilia. De ipſa vero ſupina iacendi poſitione, item et de cubatione erecta et acclini, pro ipſa morborum diverſitate, nunc noxia, nunc contra innoxia, quin et proficua, iam ſupra, paſſim diverſis locis, egimus [u]), qui, ſi lubet, videantur. Plenius autem, ſolidius et uberius, pro more, de hac ipſa controverſia, contra MERCVRIALEM, et alios plures clariſſimos Medicos, diſputavit olim praeſtantiſſimus noſter SCHNEIDERVS [x]). De ipſo denique *Morbo Coeliaco,* iam alibi a nobismet ipſis accuratius tractatum eſt [y]), ubi et contra ipſum CELSVM, ingentem illam differentiam liquidiſſime, opinor, oſtendimus, inter *Coeliacum* atque *Colicum* affectum, ad quem nunc quidem ordine velut naturali, tranſire animus eſt.

§. CIV.

t) *Ibidem,* pag. 510. Conf. ARETAEI Lib. I. *de Morb. Chron. Curat.* Cap. XI. pag. 133. et ex eo NICOL. PISO, Lib. III. cap. 12. p. 114. ſq. Tom. II. Opp. ubi tamen ipſius Auctoris, pro ſolito more, haud meminit, nec omnia ex eodem refert.

u) E. c. §. §. IV. XIII. XIV. XVI. XVII. item e contrario, §. XXII. XXVIII. XXXVII. LV. LXXIV. LXXVII. atque ſic paſſim alibi per hoc opus, ut infra, §. CIX. CXXI. et CXXVI.

x) Lib. V. *de Catarrhoſorum Diaeta,* Sect. I. cap. 6. pag. 235. ſeqq. 241. 243. ſeqq. 245. ſeqq. 253. ſeqq. et pag. 260. uſque ad finem.

y) *Opuſcul. Med. Philol.* Tom. I. pag. 281. ſeqq.

§. CIV.

Audiamus igitur, ſi placet, hic iterum, eundem COELIVM AVRELIANVM [z]) ſequentia quidem caute monentem circa cubilia ipſorum acerba illa *paſſione colica* gravius afflictorum, probe obſervanda: *Si acuta,* inquit ille, *vel celer fuerit paſſio, vel in ſuperpoſitione conſtituta, convenit aegrum iacere Loco calido, contectis partibus, in paſſione conſtitutis, lana limpida, atque calida. Adhibendus etiam fotus olei dulcis calidi, et ſaepe memoratae vaporationes.* Deinde, nonnullis interiectis, ibidem iſta prudenter ſubiungit [a]): *Convenit praeterea, quum totius paſſionis fuerit ſtatus, ſolio oleo calido pleno aegros dare, et firmata declinatione, Geſtationem adhibere, aucta moderatione ciborum.* Eadem fere hic ſuadent ALEXANDER TRALLIANVS [b]), GARIOPONTVS [c]) AETIVS [d]), AEGINETA [e]) et alii, quorum ipſorum loci huc quidem apprime facientes per otium, conferri poſſunt ab ipſis Lectoribus harum antiquarum curationum cognitionis accuratioris cupidis et amantibus. Nos interea nunc pergamus, et ad *Iſchiadicos* et

[z]) Lib. IV. *de Morb. Chron.* cap. 7. pag. 528. ſeqq. Conf. huc PISONIS Lib. III. cap. 20. pag. 230. et pag. 238. Tom. II. et IOANNIS RHODII *Analecta* ad LVDOV. SEPTALII *Animadverſ. et Cautiones Medicas,* pag. 459. Ceterum ibidem, pag. 238. obſervavit idem PISO quosdam colicorum in medelam torminum, *ſtragula* atque *operimenta* ex *pelle* praeſertim *lupina,* ſibi parare conſueviſſe. Conf. AESCVLAP. Cap. XXIV. pag. 41. quod quidem *lupinum Remedium,* cum ipſo Auctore, in medio iam relinquimus, credentes interim potius, pelles bovinas ovinas, caninas, felinas, et quascunque alias, ſic colicis ſuperpoſitas, aut ſuppoſitas, propter ipſum, quem praebent fotum et calorem, idem prorſus praeſtare poſſe, ſed haec obiter.

[a]) *Loc. cit.* pag. 531.

[b]) Lib. X. cap. 1. pag. 587. ſeqq. [c]) Lib. V. cap. 15. et 16. p. 100. ſq.

[d]) *Tetrabibl.* III. Serm. cap. 30. pag. 472. ſeqq. Tom. II.

[e]) Lib. III. cap. 43. pag. 45. b. [f]) Lib. V. *de Morb. Chronic.* cap. I. pag. 550.

et *Pſoadicos*, cum noſtro COELIO AVRELIANO f) protinus progrediamur.

§. CV.

Sic igitur ille ſat luculenter et exquiſite: *In Ordine itaque Curationis, haec erunt intuenda, ut cum recens fuerit paſſio, vel veterata; ſed in ſuperpoſitionis tempore conſtituta, iacere faciamus aegrotantem mollioribus ſtramentis, calido in loco, adhibita abſtinentia, et requie, uſque ad primam diatriton. Tunc lanis mollibus ac limpidis oleo calido dulci praetinctis, dolentia loca contegenda.* Deinde vero, quibusdam interpoſitis g), ibidem, ita ſapienter pergit: *At ſi paſſio fuerit tarditate inveterata, et plurimo tempore perſeverans, et in lenimento conſtituta, ſi hoc limpidum viderimus lenimentum, erit pro modo permanentis doloris, curationis facienda moderatio. Tunc enim convenit motus quidem; ſed fertorio Lecto, dehinc Cathedra, vel Sella.* Huius autem fertorii Lecti non noſter ſolum COELIVS AVRELIANVS paſſim alibi, ſingulari cum laude, meminit; ſed et omnes propemodum Medici veteres inſignem ipſius uſum, non ſolum in hoc iſchiadico et pſoadico Malo; verum etiam in multis aliis atrocioribus ac pertinacioribus Morbis mitigandis, certatim fere, impenſe praedicant, et eximie commendant, ceu liquidiſſime patet ex GALENO h), ARETAEO i), AETIO k), AEGINETA,

g) *Loc. cit.* pag. 552. conf. huc ex parte, NICOL. PISONIS Lib. III. Cap. 61. pag. 642. Tom. II. ubi tamen pauca tantum excerpta ex eo Auctore ſunt.

h) Lib. II. *de ſanitate Tuenda*, cap. XI. Tom. VI. Opp. pag. 88. et Lib. *de Method. Med.* Tom. X. paſſim. Conf. ipſum HIPPOCRATEM Lib. I. de *Morb. Mulier.* pag. 481. Tom. II. et FOES.

i) Lib. I. de *Morb. Acut. Curat.* cap. 2. pag. 77. ſeqq. et cap. 4. pag. 82. et paſſim alibi ut pag. 103. 104. 109. 110. aliisque locis.

k) Lib. III. cap. 6. pag. 48. et alibi.

TA [l]), CELSO [m]) et aliis, iam ſupra [n]) a nobis laudatis, praeſertim autem ex HERODOTO, apud ORIBASIVM [o]). Si quis vero plura de his ipſis *Lectis fertoriis,* aut *portatilibus,* ſcire aveat; is evolvat, ſi lubet, MERCVRIALEM [p]), ALSTORPHIVM [q]), CHIMENTELLIVM [r]), GREENIVM [s]), SCHNEIDERVM noſtrum [t]), et alios, iam ſupra a nobis citatos [u]); quibus denique omnibus nunc inprimis addenda iſta IO. IAC. BOSII Diſſertatio Epiſtolaris, *de Geſtatione Romanorum,* quae prodiit Lipſiae, 1738. Sed de his nunc ſatis, et forſan, plus quam ſatis.

§. CVI.

Praemiſſis autem illis *Iſchiadicis* et *Pſoadicis,* ſeu *Pſoalgicis,* propter proximam ſcilicet affinitatem, merito nunc ſuccedant, niſi lente ſubrepant, potius, *Arthritici* atque *Podagrici,* quibus proinde COELIVS noſter AVRELIANVS [x]) eadem fere cubilia dura, arenoſa, fervida et ignitis pellibus inſtrata, aſſignat; qualia ſupra [y]) *Hydropicis*

l) Lib. III. cap. 9. pag. 28. b. et cap. 18. pag. 31. et paſſim in ſqq.
m) Lib. II. cap. 15. pag. 91. item Lib. III. cap. 18. pag. 153. et Lib. V. cap. 27. pag. 179.
n) Sect. II. §. XXIV. XXVII. XXVIII. etc.
o) Lib. VI. *Collect,* cap. 25. pag. 226.
p) Lib. VI. *de Arte Gymnaſt.* cap. XI. add. Lib. III. cap. XII. p. 231. ſq. pag. 378. ſeqq.
q) Lib. *de Lectis Veterum,* cap. 17. pag. 139. ſeqq.
r) Lib. *de Honore Biſellii,* cap. 24. pag. 125.
s) Tract. *de Ruſticatione Romanor. Vett.* Cap. 4. pag. 705. apud SALLENGRE in *Novo Antiquit. Roman. Theſauro,* Tom. I.
t) Lib. *de Apoplexia,* cap. XXII. pag. 804. ſeqq, item pag. 816. et praeſertim Lib. *de Paralyſi,* cap. IX. pag. 1196. ſeqq.
u) *Sect.* II. iam citat.
x) Lib. V. *de Morb. Chron,* cap. 2. pag. 562.
y) Vid. §. XCVIII. ubi locus iſte productus extat ex Lib. III. *de Morb. Chron.* cap. 8. pag. 473.

picis ordinaverat. Sic enim ille: *Adhibenda paroptesis ex igni, vel ex ſole, atque pellibus fervefactis, et ex Arena litoris: tum aſpergines, quas Graeci συμπάσματα vocant, ex nitro, adarce, et euphorbio.* Similia fere in iisdem affectibus moleſtis commendata, quoque leguntur apud GARIOPONTVM [z]), et vetuſtum illum Medicum, iam ſupra citatum, qui ſub ficto vetuſtiſſimi illius AESCVLAPII [a]) nomine latet, COELIVM vero AVRELIANVM, et ipſum inprimis GARIOPONTVM ac THEODORVM PRISCIANVM preſſe nimis ſequitur, imo ſaepius exſcribit, aliosque plures, quos operoſe, pro more, citat diligentiſſimus SCHNEIDERVS noſter [b]) item KOLREVTERVS [c]) LIBERATVS DE LIBERATIS [d]) et alii, qui certatim quaſi de *Arthritide*, atque *Podagra* ſcripſere, ab eo ipſo laudatiſſimo SCHNEIDERO laudati.

§. CVII.

Non ſolum autem Arenas iſtas ferventes, pellesque calefactas in *Podagra* praeſertim frigida, atque ipſa *Arthritide* mitiganda, impenſe laudarunt iſti Auctores; ſed et, pudet fere referre, pariter, ut ſupra, in Hydropicis factum, variorum quoque animalium ac volucrium ſordida *ſtercora* calentia, praeſertim vero *caprarum fimum*, in utroque hoc pertinaci affectu debellando, enixe commendarunt, ut liquido

z) Lib. V. cap. 30. pag. 108. b.

a) Lib. *de Morborum Origine, deſcript. et Cura*, Cap. XLVI. pag. 76. ſq. et Cap. XLVII. pag. 77. ſeqq. conf. et PISONIS Lib. III. cap. 62. pag. 655. et pag. 658. Tom. II. ubi nonnulla ex his, ut ſolet.

b) Tract. *de Iſchiagra*, pag. 917. ſeqq. et ibidem Lib. V. *de Catarrhoſorum diaeta*, cap. 8. pag. 319. ſeqq. Conf. huc et IO. RHODII *Analecta*, in LVDOVICI SEPTALII *Animadverſ. et Caut. Med.* pag. 571. ubi de podagricorum et arthriticorum decubitu.

c) Tract. *de Arthritide, eiusque differentiis et ſpeciebus*, prope finem.

d) Tract. *de Podagra politica*, cum *Append, de Arthritide et dolore coxendico*, circa finem.

liquido apparet ex utroque PLINIO, illo nempe Veteri [e]) atque altero ſic nominato VALERIANO [f]) MARCELLO EMPIRICO [g]) ſic dicto AESCVLAPIO [h]), item ipſo GALENO [i]), AETIO [k]), AEGINETA [l]), ARETAEO [m]), ORIBASIO [n]), LVCIANO [o]), et aliis, partim iam ſupra allegatis, partim magna copia, olim citatis a SCHNEIDERO noſtro [p]), FELTMANNO [q]) et aliis pluribus, qui de *Podagra,* atque *Arthritide,* fuſius ac diligentius quondam commentati fuerunt. Verum cuncta haec ſordida, et alia puriora quoque et ſpecioſiora remedia externa, ſive topica dicta, atopa ſaepius, periculoſa ac funeſta eſſe, dum nempe plerumque repellunt, ſiſtunt, refrigerant, dolores ſubito obtundunt, et malum ab ipſa corporis peripheria, ad interiora viſcera vitalia, ſummo cum ipſius Vitae diſcrimine, ſubito retrudunt, alibi iam per multa moeſta et exitioſa exempla, liquidius et curatius oſtendimus [r]). Quare iam haec ſufficiant.

§. CVIII.

e) Lib. XXX. *Hiſt. Nat.* cap. 9. ubi vid. HARDVIN.

f) Lib. III. *de Re Med.* cap. 15. pag. 70. b. et cap. 13. pag. 67. b. et paſſim alibi.

g) Lib. *de Medicament.* cap. XXXV. pag. 240. et alibi.

h) Lib. *de Morbor. cauſſ. et curat.* cap. XLVI. pag. 76.

i) Lib. X. *de ſimplic. Med. Facult.* cap. 11. ſect. 22. pag. 290. ſeqq. ubi ipſe ſimul ad ſuam experientiam provocat. Tom. XIII. Opp.

k) Lib. II. cap. 114. pag. 34. b. et ſeqq.

l) Lib. III. cap. 77. pag. 56. b. et ſeqq. et praecipue, Lib. VII. pag. 111.

m) Lib. II. *de Curat. Morb. Chronicor.* cap. 12. pag. 134.

n) Lib. IX. *Collect.* cap. 24. pag. 413. et Lib. II. *de Virtut. Simplic.* pag. 74. 75.

o) In *Tragopodagra,* pag. 812. Tom. II. Conf. huc DIOSCORID. Lib. II. cap. 98. pag. 119.

p) Lib. II. *de Arthritide et Podagra,* cap. 5. pag. 789. ſqq. vid. et antecedent. pag. 788. Conf. huc et ſaepius iam citati PISONIS Lib. III. cap. 62. pag. 663. Tom. II.

q) Lib. *de Dea Podagra,* Cap. XXVIII. pag. 147. ſeqq.

r) Tom. I. *Opuſcul. Med. Philol.* pag. 153. ſeqq. conf. SCHNEIDERI

§. CVIII.

Nunc autem ordine ac Natura ipſa iubente, ad miſerandos illos aegrotos pergamus, qui inſidioſum ſuum Vitae ipſius hoſtem ac tortorem ſaeviſſimum, acutum ſcilicet aſperumque *calculum,* in renibus, aut veſica abſconditum geſtant, et ſemper ſere ſub imminente ictu fatali, anxie trepidant, hinc longe infeliciores noto iſto e Fabulis, Tantalo, qui ſaxi tantum ipſius capiti proxime impendentis caſum ſubitum metuebat, ut id obiter hic adiicere liceat. Quibus proinde, nec Lectos molles, nec plumeis inprimis culcitis inſtructos apprime convenire, ita perite ac ſapienter docet ALEXANDER TRALLIANVS [s]): παραιτεῖσθαι δεῖ τὸ ἐπὶ στρωμνῆς καθεύδειν, ἐχούσης πτερὰ τῶν χηνῶν· πάνυ γὰρ ἐκθερμαίνει ταῦτα τοὺς νεφροὺς, καὶ τὸ ἱστάσθαι ἐπὶ πολὺ, φυλάττεσθαι δεῖ: *Cavendum utique eſt, ne aegri calculoſi culcitis indormiant ex mollibus anſerum plumis confectis: hae ſiquidem renes nimium calefaciunt: praeterea quoque illud maxime prohibendum, ne multum diuque ſtent; ſed potius praecipiendum, ut vel leniter moveantur, vel placide conſideant:* uti mox ibi ſequitur pluribus. Quo et haud dubie reſpexit SALMASIVS [t]) quum ita ſcriberet: *praeterea, et ipſe decubitus in plumea culcita, ac renibus calorem nativo maiorem concilians, plurimis etiam cauſſa calculi fuit, in illis partibus gignundo.* Quam ipſam proinde medendi rationem Alexandrinam, ut ita dicam, enixe quoque poſtea commendavit PETRVS FORESTVS [u]) alteri PETRO ZEGERO,

L. I. *de Arthritid. et Podagra,* cap. 15. pag. 700. ſeqq. et praecipue Lib. II. cap. 4. pag. 770. ſqq. item B. *van* SWIETEN, *Comment.* Tom. IV. pag. 357. ſeqq. et pag. 364. ſeqq. et RHOD. ad SEPTAL. *Caut. Med.* p. 562. ſqq. ac WELSCHII *Obſ. Med.* XI. *Hecatoſt.* II. pag. 7.

s) Lib. IX. cap. 4. pag. 537. Conf. ſupra, *Sect.* II. §. XVI. ut et PISONIS Lib. III. cap. 35. pag. 412. Tom. II. ubi haec omnia ex TRALLIANO tranſcripta, Auctore tamen ipſo praeterito.

t) Lib. *de Calculo,* ad BEVEROVIC. pag. 77.

u) *Obſ. Med.* 18. Lib. XXIV. pag. 80. ſeqq. in *Schol.*

ZEGERO, venerando quondam Canonico Hagano, ex iuſto latentis intus calculi metu, perterrito; nec ſine omni fructu, ut ibi pluribus legere licet. De noxis vero atque incommodis, ex nimio culcitarum, plumis fartarum uſu, in calculo aliisque morbis, hinc inde metuendo, poſt CLEMENTEM ALEXANDRINVM [x]) COELIVM AVRELIANVM [y]) aliosque iam ſupra [z]) a nobis hanc in rem, citatos, conferendus inprimis, ipſe noſter iam ſaepius merito laudatus SCHNEIDERVS [a]). Quomodo vero iſti in Lecto collocandi ſint, quibus exſcindendus eſt durior et grandior Lapis; praeclare oſtendunt et accurate ordinant AETIVS [b]) CELSVS [c]) inprimis, COEL. AVRELIANVS [d]) aliique plures Lithotomi.

§. CIX.

Iſtis porro calculoſis nunc propter arctiſſimam ſcilicet coniunctionem, merito adiungantur ipſi *Nephritici,* ſive variis *paſſionibus renalibus* affecti et excruciati. Renum igitur phlegmone, ſeu inflammatione correptis potiſſimum ſuadet RVFVS EPHESIVS [e]) κατακλίνειν μὲν τὸν νεφριτικὸν ὡς μαλακώτατα, καὶ σίτου τὴν πρώτην ἀπέχειν, *Aegrotum in Lecto quam molliſſime eſſe reponendum, et per primum diem a cibo cohibendum,* quae totidem verbis ex RVFO laudato, pro more, poſtea retulit AETIVS AMIDENVS [f]). Neque diverſum ab

X 2 his

x) Lib. II. *Paedagog.* cap. 9. pag. 184.

y) Lib. II. *de Morb. Acut.* cap. 37. pag. 161.

z) *Sect.* II. §. §. XV. et XXVII.

a) Lib. V. *de Catarrhoſorum Diaeta,* Sect. I. cap. 6. pag. 253. 254.

b) *Tetrabibl.* IV. *Serm.* II. cap. 5. pag. 551. ſeqq.

c) Lib. VII. cap. 26. pag. 4-6. Conf. ibi HEISTERI Diſſert. *de Lithotomiae* CELSIANAE *praeſtantia.*

d) Lib V. *de Morb. Chron.* cap. 4. pag. 570.

e) Lib. *de Veſicae Renumque Affectibus,* Cap. III. init.

f) *Tetrabibl.* I. I. *Serm.* III. cap. 16. pag. 559. Tom. II. Collect. *Vett. Med.* STEPHAN.

his conſilium ſuppeditat hic CORNELIVS noſter CELSVS [g]) *oportet*, inquit, *conquieſcere: cubare molliter: ſolvere alvum, ſi aliter non reſpondet* cet. Decubitum vero, praeſertim ſupinum, huiusmodi aegrotis magis convenire, quam quemcunque alium, recte ac perite ſic iudicat idem RVFVS EPHESIVS [h]): ἐπὶ γαστέρα μὲν κλινόμενοι οὐκ ἀνέχονται· ὕπτιοι δὲ ἀνέχονται μένειν· (vel μόνον, vel ἄμεινον)· κεῖνται γὰρ πρὸς τοῖς κενεῶσιν οἱ νεφροί· παντὶ δὲ τοιούτῳ ἀλγουμένῳ εὐφορώτερον κειμένῳ ἀτρεμίζειν: *In Ventrem inclinati iſti non ſufferunt: Reſupini vero iacentes magis perferunt, et melius habere videntur: Renes enim lumbis proxime adiacent. Porro cuivis hunc quidem in modum, miſere affecto tolerabilius et conducibilius eſt, placide iacere atque quieſcere.* Idem denique doctiſſimus et rei anatomicae peritiſſimus Auctor [i]) illi, qui ipſa renum exulceratione acutiſſima, et ſummo cum dolore coniuncta, anxie laborat, ſaluberrimo et convenientiſſimo conſilio ſuadet: ξυμφέρει ἀτρεμοῦντα ἀνακομίζειν ἐν εὐπαθείᾳ πάσῃ, τρίψεσί τε ὡς λιπαρωτάταις, καὶ λουτροῖς, καὶ σκέπῃ: *Conducit utique talem aegrotum quietum reficere ac recreare omni Vitae mollitie voluptuaria, frictionibus quam leniſſimis, balneis etiam, et blandis denique integumentis.* Sed de his hactenus.

§. CX.

Huc vero etiam vel maxime pertinet moleſtiſſima illa ac moeſtiſſima Renum et Veſicae paſſio, *Thromboſis*, ἀπὸ τῶν θρόμβων τοῦ πεπηγότος αἵματος, dicta, de qua ita ſat accurate diſſerit GARIOPONTVS [k]): *Thromboſis Veſicae fit poſt ſanguinis eruptionem, ut ſanguinis noſi*

doſi

g) Lib. IV. cap. 10. pag. 217. h) Lib. cit. Cap. II.

i) *Ibidem*, Cap. XV. pag. 12. *Edit.* CLINCH. conf. PISONIS Lib. III. cap. 35. pag. 403. et cap. 36. pag. 419. et cap. 37. pag. 429. Tom. II. ſed tantum pauciſſimis, nec de RVFO EPHES. quidquam ibi: conf. et huc, ex parte, IO. RHODII *Analecta*, in LVDOVICI SEPTALII *Animadverſ. et Cautiones Medicas*, pag. 507.

k) Lib. III. cap. 52. pag. 73.

doſi fruſta proiiciantur, cum impedimento mictus. Quae pari fere modo ut ſolet nempe, repetit perſonatus ille AESCVLAPIVS [l]). Qui ipſe mox haec ſubiungit, ad ipſum horum aegrorum ſitum ac decubitum apprime ſpectantia: *Iacere debent immobiles, et ſilentium habeant, ut corpora non moveant, et non cancellent.* Quae ita brevius expreſſerat ipſe GARIOPONTVS: *Iacere debent immobiles, et ſilentium habeant, ut corpora non moveantur.* Ceterum autem de hac ipſa renum et *mictualium Viarum thromboſi ſanguinea,* ut cum COELIO AVRELIANO ſic loqui liceat, conferatur inprimis, ſi lubet, DIETERICVS [m]) item FOESIVS [n]) GORRAEVS [o]) ut alios iam taceam; quibus ea, ſi placeat, adiungantur, quae iam ſupra [p]), de renum ac Veſicae fluore cruento, ex ipſo laudato modo COELIO AVRELIANO, aliisque, in medium a nobis allata fuerunt, quum de varii generis *Haemorrhagiis*, aliquanto curatius et diſertius, ni fallor, tractaremus.

§. CXI.

Similem autem quietum et immobilem decubitum, modo id per frequentes deſidendi cupiditates, commode ſemper fieri poſſit, ipſis etiam *dyſentericis,* ac moleſto aſperoque illo dyſenteriae comite, nempe *Teneſmo,* inquietatis, ita pariter commendat CORNELIVS CELSVS [q]): *Oportet inprimis conquieſcere; ſiquidem omnis agitatio exulcerat.* Eundem quoque tranquillum ſitum ſerio ſuadet AETIVS [r]): *principium curationis dyſentericorum a quiete potiſſimum et modico Cibo fiat.* Nec diſſentit hic THEODORVS PRISCIANVS [s]),

 qui

l) Lib. *de Morbor. Orig. et Curat.* Cap. XLI. pag. 67. conf. et PISONIS Lib. III. cap. 34. pag. 392. Tom. II. quanquam paucis tantum, et quaſi obiter.

m) *Iatr. Hippocrat.* pag. 526.

n) *Oecon. Hippocrat.* pag. 167.

o) *Definit. Med.* pag. 184.

p) Scil. §. LVI.

q) Lib. IV. cap. 15. pag. 224.

r) *Tetrabibl.* III. *Serm.* I. cap. 45. pag. 496. Tom. II. *Collect.* STEPHAN. unde

qui et, inſuper, ad tam ſalutarem finem tanto facilius obtinendum, mitiora ſimul Hypnotica, parcius et cautius nempe adhibita, haud penitus improbat, de quibus tamen videantur ſi placet, alibi a nobis monita [t]). Statim vero ibidem, Locus ille obſcuriſſimus et difficillimus occurrit, quem iam bis alibi [u]) attigimus, et emendare tentavimus; neque hic rurſus tertium, oblata ſic commode ſponteque occaſione, intactum plane, praeterire poſſumus. Sic autem vulgo ille legitur, in prima ſcilicet Editione *Geleniana* Baſileenſi: *Iniiciendi ſunt dyſenterici aliquando oleo roſeo, vel myrteo, et in continenti, Lemniſcus ſupponendus eſt in Baſilicon, infuſam cerotario, ex oleo plumbato, confecto.*

§. CXII.

Iſtum igitur corruptiſſimum quidem Locum mitiore nunc manu, ſic emendari poſſe, arbitramur, voce nempe illa *Lemniſcus,* ambigua praeſertim et ſubobſcura, integra ſervata ac defenſa: *Iniiciendi ſunt aliquando oleo roſeo, vel myrteo; et in continenti, Lemniſcus ſupponendus eſt in Embaſin, infuſam Cerotario, ex oleo plumbato, confecto.* Perquam probabilem vero eſſe hanc ipſam noſtram novam coniecturam; ex ſequenti praeſertim loco ſingulari Medici illius veteris, ſub ſplendido iſtius vetuſtiſſimi AESCVLAPII nomine, latentis, veriſimiliter ſane colligere licet; qui quippe more iſtius Auctoris conſueto, ex hoc ipſo THEODORI loco, modo producto, utique depromtus eſſe videtur. En autem ipſa nunc verba [x]): *Et Lemniſcum ungito ex Tetrapharmaco medicamine, aut ex vaporato iniicito: aut ſimum*

unde ſua tranſumſit PISO, Lib. III. cap. 15. pag. 166. Tom. II. Auctore tamen non nominato.

[s]) Lib. II. cap. 31. pag. 122.

[t]) *Opuſcul. Med. phil.* Tom. III. pag. 164. ſeqq. quibus add. IO. RHODII *Analecta* in LVDOVICI SEPTALII *Animadverſiones et Cautiones Medicas,* pag. 481. ut de aliis pluribus iam taceamus.

[u]) Vol. eodem III, *Opuſcul. Med. Philol.* pag. 103. ſeqq. et pag. 176.

ſimum palumbinum, ex roſaceo, et modica cera alba, unge Lemniſcum, vel Inclunium: et iniice Inteſtino Longaoni, per anum.

§. CXIII.

Suadet igitur hic et THEODORVS PRISCIANVS, et ex eo AESCVLAPIVS, ut dyſentericus, aut acerrimis Teneſmi ſtimulis exagitatus, ſuppoſito prius ipſis dolentibus clunibus, et afflictis inteſtinis craſſioribus *Lemniſco* pingui, blando, anodyno ac paregorico, in calentem *Embaſin,* ſeu ſolium, aut balneum placide demittatur, ibique foveatur ac vaporetur. Quem opportunum *Lemniſci*, ſeu penicilli, lenientibus ſuccis, et praeſertim *Baſilico,* ſeu *Tetrapharmaco,* imbuti et obliti uſum, in ſaevo illo Teneſmo ſenſim mitigando, pariter, ita penitus approbat ALEXANDER TRALLIANVS [y]) item SCRIBONIVS LARGVS [z]) et ex eo, pro more ſolito, MARCELLVS EMPIRICVS [a]); uterque una eademque ſententia; licet mutatis nonnihil verbis, unde ipſius THEODORI PRISCIANI, ac ſic dicti ESCVLAPII auctoritati, in proponendo illo Remedio paregorico, topico et externo, tanto maius graviusque pondus merito adiicitur. En autem nunc ipſa utriusque, aut unius potius, Auctoris, SCRIBONII nempe, atque MARCELLI, verba: *Quin etiam penicillum tinctum eo liquore, ex Verbenae nempe, Myrti, et Olivae ramulis iunctis, ſimul decoctis, parato, et non nimis expreſſum; atque ſic ano adpoſitum, proderit, vel eodem modo, glomus ſtaminis adpoſitus, iuvat, diutius enim vaporem continet.* Hic ergo, ut quivis artis peritus ſtatim videt, *Penicillum* idem eſt, ac ſupra, *Lemniſcus* THEODORI, et AESCVLAPII, hoc eſt Linamentum,

x) Lib. *de Morbor. Origin. et Curat.* cap. XXX. pag. 46.

y) Lib. VIII. cap. 6. pag. 422.

z) Cap. XXXVII. *compoſ.* CXLII. pag. 81. ubi conf. IO. RHODII *Notas,* pag. 215.

a) Lib. *de Medicament. Empiric.* cap. XXVIII. pag. 198.

namentum, ceu dudum ex ipſo CELSO[b]) AEGINETA[c]), AETIO[d]) VEGETIO[e]), MARCELLO EMPIRICO[f]) et aliis[g]), cuivis notiſſimum: ſive etiam aliis, ſed idem fere ſignificantibus, nominibus, *Licinium,* item *Turunda,* et barbare *Tenta,* Graecis vero, praeſertim HIPPOCRATI ipſi[h]) Μοτὸς ac Μοτάριον, dictum; quae nempe cuncta mera concerpta linteorum teneriorum fila erant, in figuram plerumque oblongam, blande compreſſa, et apte efformata, prius autem pro ipſa cauſſarum, rationum ac conditionum praeſentium diverſitate, ac neceſſitate, variis liquoribus, aut decoctis, balſamicis, travmaticis, antiſepticis, anodynis et paregoricis, probe imbuta, et leviter expreſſa, poſtea ipſis corporis affecti cavitatibus immundis, inflammatis, vel exulceratis, ac vehementius dolentibus, in mitius ſaeviorum dolorum lenimen, ſenſim immittebantur, vel et imponebantur, unde et Graecis ἐπιθετά, ἐνθετά, et ὑποθετά, apte ac convenienter vocabantur, ut inprimis luculenter patet ex ipſo ALEXANDRO TRALLIANO[i]) qui plura eiusmodi Hypotheta, ſeu penicilla

b) Lib. VII. cap. 28. pag. 489. et Lib. V. cap. 26. pag. 299. et paſſim.

c) Lib. VI. cap. 34. pag. 85. b. et cap. 72. pag. 91. ut et cap. 73. p. 92.

d) *Tetrabibl.* III. *Serm.* I. cap. 49. pag. 504. ſeqq. *Collect.* STEPH. et alibi.

e) Lib. II. *Art. Veterinar.* cap. 14. pag. 1082. *Edit.* GESNER. et c. 48. pag. 1096. ut et Lib. III. cap. 18. pag. 1122. et alibi paſſim.

f) *de Medicament. Empir.* cap. 28. pag. 198. et aliis quoque locis.

g) Conf. huc HIERON. MERCVRIALIS Lib. III. *Var. Lect.* cap. 9. pag. 64. et PETR. FORESTI *Obſ. Chirurg.* 14. Lib. VI. ERVNON. *Lex.* et alios plures.

h) Vid. FOES. *Oecon.* DIETERIC. *Iat. Hipp.* GORRAEI *Defin. Med.* REINES. *Var. Lect.* Lib. III. cap. XI. pag. 515. et maxime DAN. CLERICI *Hiſt. Med.* part. II. Lib. IV. cap. 5. pag. 242. et Part. III. Lib. II. cap. I. pag. 63. copioſe, et parcius, Part. I. Lib. III. cap. 27. pag. 216.

i) Lib. VIII. cap. 9. pag. 461. ſeqq. et cap. 8. pag. 450. conf. et huc ex parte, NICOLAI PISONIS Lib. III. cap. 16. pag. 188. ſq. Tom. II.

nicilla ac Linamenta, acerbis illis ſordidae dyſenteriae doloribus ac moleſtiſſimis lancinantis Teneſmi vellicationibus mitigandis et perdomandis, fortiter prudenterque oppoſita; quorum concinnam ſelectamque compoſitionem ibidem pluribus docet.

§. CXIV.

Praeſertim vero ibi, in antecedentibus [k]), ut iam ſupra indicatum, idem TRALLIANVS ſuadet, ut penicillus, ſeu *Lemniſcus iſto Tetrapharmaco, ſive Baſilico*, ex oleo roſaceo ſoluto, illitus, aut plumbi pulvere, ex oleo roſaceo, trito, cum modico cerae, et lentiſcino oleo calido, imbutus, dolentibus Teneſmo excruciatorum natibus blande indatur. Quum igitur *Tetrapharmacum* illud emplaſtrum, ſive ceratum, ob praeſtantiam ſingularem, etiam *Baſilicon*, ſeu *Regium*, olim dictum ſit, ut ſcilicet notum ſatis eſt ex laudato iam ALEXANDRO TRALLIANO [l]), AETIO [m]), ORIBASIO [n]), et aliis, a IO. RHODIO [o]), laudatis, praeſertim vero ex AEGINETA [p]) qui cum AETIO τὸ βασιλικὸν τετραφάρμακον ibi coniungit: Inde forſan nonnullis probabile videri poſſet, etiam in ſuperiore THEODORI PRISCIANI loco vexatiſſimo, vocem iſtam *Baſilicon*, ibi ſic occurrentem, nempe pro ipſo *Tetrapharmaco*, ſumtam, ſervari ac defendi poſſe, tumque locum iſtum ita eſſe legendum: *Lemniſcus ſupponendus eſt in Baſilicon, infuſum cerotario; ex oleo plumbato confecto:* ſenſu quidem haud plane inepto; duro tamen nonnihil, ſubobſcuro, et non ſatis diſtincto,

k) Lib. VIII. cap. 6. pag. 422.
l) Lib. III. cap. 2. pag. 175.
m) *Tetrabibl.* IV. *Serm.* III. cap. 21. pag. 772. apud. STEPH. Tom. II.
n) Lib. III. *Synopſ.* pag. 35. init. et Lib. IV. *de Loc. affect. Curat.* c. 122. pag 673. apud STEPHAN. Tom. I.
o) *Not.* ad SCRIBON. LARGVM, pag. 295.
p) Lib. VII. cap. 17. pag. 129. Conf. et *Theſauri noſtri Pharmacevt. univerſal.* Tom. II. pag. 811. ubi dudum id obſervatum.

diſtincto, ut clare patet, *Lemniſcus* enim in *Baſilicon infuſus*, mox iterum *infunditur Cerotario*, ex oleo plumbato confecto; quae tamen ab ipſo ALEXANDRO TRALLIANO manifeſte diſtinguuntur, et ſibi tantum invicem, pro neceſſitate, aut indicationum ratione, ſubſtituuntur.

§. CXV.

Accedit huc vel maxime, non *infuſum*, ſed *infuſam* potius legi, in ipſo illo THEODORI loco controverſo: quo ipſo, manu quaſi deducimur, ni fallor, ad noſtram coniecturam illam, iam ſuperius propoſitam: *Lemniſcus ſupponendus eſt in Embaſin, infuſam cerotario, ex oleo plumbato, confecto.* Ceterum, quid *oleum* illud *plumbatum* hic proprie ſit; optime ſic explicat ipſe TRALLIANVS, per τρίμμα μολίβδȣ, διὰ ῥοδίνȣ κοπτόμενον, hoc eſt, *plumbi pulverem, ex oleo roſaceo probe tritum:* de cuius varia praeparatione, infuſione et uſu denique paregorico, ſeu mitigatorio, refrigerante, leniter adſtringente, ulceraque ſordida emundante et emendante, praeſertim vero in ipſa foeda dyſenteria, ac ſaeviſſimis Teneſmi tormentis pacandis ac ſopiendis, conferendi huc quoque inprimis; ſunt GALENVS [q]) DIOSCORIDES [r]) AETIVS [s]) AEGINETA [t]) atque alii plures, qui de ipſo Metallorum in Medicina, uſu, data quidem opera, tractarunt. Sed de his ipſis iam hic non agimus. Ideo haec nunc ſufficiant, veluti in tranſitu dicta. Hinc ad ipſum potius inſtitutum noſtrum priſcum illico revertamur, et quae de hoc quidem arduo PRISCIANI Loco monenda et obſervanda adhuc reſtant, ſine mora, proſequamur.

§. CXVI.

q) Lib. IX. *de ſimplic. Medic. Facultat.* cap. 3. Sect. 23. pag. 267, Tom. XIII. Opp.

r) Lib. V. cap. 95. pag. 359. ſeqq.

s) Lib. II. cap. 66. pag. 30.

t) Lib. VII. cap. 3. pag. 113. b.

§. CXVI.

Nimirum, quod ſane notatu dignum, in duabus illis ipſius THEODORI PRISCIANI Editionibus *Argentinenſibus* [u]) idem hic Locus, de quo hactenus actum, ſic alio plane modo, legitur: *iniiciendi ſunt aliquando, oleo roſeo, vel myrteo: et in continenti, luminoſo ſupponendi ſunt in baſilicon; infuſi cerotario, ex oleo plumbeo, confecto.* Quae tamen ipſa, quum etiam ex parte, mendoſa ſint, ut liquido, putem, apparet; ita quondam, coniectura forſan haud plane improbabili, emendare conati ſumus [x]): *In continenti, aluminoſo ſupponendi ſunt Embaſio*, vel et; *aluminoſae ſupponendi ſunt Embaſi*, vel denique, quod nempe idem ſenſu: *aluminoſam ſupponendi ſunt in Embaſin*, unde nunc ſat clarum, ni fallor, lumen huic ipſi perquam caliginoſo loco illuſtrando, immiſſum eſſe videtur; uti ex illis clarius et manifeſtius, opinor, apparebit, quae in uberiorem huius noſtrae coniecturae confirmationem, in ipſis *opuſculis* noſtris, citato modo loco, haud parca, ſed larga potius, manu, attuleramus.

§. CXVII.

Quaeritur ergo nunc merito, unde tam diverſa plane unius eiusdemque Loci Lectio ſit derivanda, quae certe imperito prorſus rerum medicarum Librario neutiquam adſcribi poſſit? cui quippe nec de *Lemniſco*, nec de *Baſilico*, ſive *Tetrapharmaco*, nec de *Embaſi*, denique *aluminoſa*; neque etiam de omnium horum Remediorum externorum diverſo uſu opportuno, diverſoque effectu, quidquam cognitum fuerit, nec propter ſummam ignorantiam, compertum eſſe potuerit. Arbitror igitur, imo fere perſuaſus ſum, ipſum noſtrum THEODORVM duplicem olim ἔκδοσιν ſui illius operis ſcriptam evulgaſſe, atque nunc in hac, nunc in illa, pro ratione, neceſſitate

[u]) Nempe de Ann. 1532. cum Opuſcul. HILDEGARD. TROTVLAE, ORIBAS. et AESCVLAPII ſic dicti, etc.

[x]) Tom. III. *Opuſcul. Med. Philol.* pag. 103. ſeqq. et pag. 176.

ſitate, aut ipſa experientia ſic exigente, varia ſubinde mutaſſe, addidiſſe, demſiſſe, correxiſſe, atque clarius illuſtraſſe. Quod ipſum liquidiſſime ſane, ni fallor, exinde pateſcere videtur; ſi quis modo ambas illas diverſas plane Editiones, primam nempe *Baſileenſem*, et alteram *Argentinenſem*, vel obiter tantum, inter ſeſe conferre voluerit. Tum enim protinus deprehendet, poſtremam iſtam *Argentoratenſem*, non ſolum *Libro* II. *quinque novis capitibus* auctiorem; ſed et *Libro* adeo *integro Quarto*, grandi, et pulchrarum ſcituque dignarum rerum hinc inde pleno, locupletiorem eſſe; praeterea quoque paſſim correctiorem, dilucidiorem, et ipſo ſenſu meliorem prae prima illa *Geleniana*, inveniri: licet, quod penitus negandum haud eſt, et ibi, mendae quaedam nunc leviores, nunc graviores, ſubinde occurrant. Quod et probe obſervavit ſummus REINESIVS [y]) quamvis, pace tamen, ipſius manium, paullo inclementius ibi iudicet, *ſcatere illam Editionem audaciſſimis depravationibus Recenſitoris non nimium continentis et imparati.* Quod iudicium ſeverius ex eo repetit DAN. CLERICVS [z]), negante quamquam fruſtra KESTNERO [a]).

§. CXVIII.

Interea autem vehementer miror, praeſtantiſſimos illos Viros, REINESIVM puta, CLERICVM, atque ipſum noſtrum denique magnum FABRICIVM [b]) ex hac ipſa ingenti inſignique utriusque illius Editionis diverſitate, ab ipſis alioqui probe perſpecta, non illico, pro mira ſua ſagacitate, deprehendiſſe, atque concluſiſſe, *duo* omnino fuiſſe illius operis *exemplaria*, diverſo quidem ac ſucceſſivo

y) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 17. pag. 643.

z) *Hiſtor. Med.* Part. II. Lib. IV. Sect. I. cap. 13. pag. 198.

a) *Lex. Medic.* pag. 841. in *Not.* conf. FABRICII *Bibl. Lat.* Vol. I. Lib. IV. cap. 12. pag. 886. ubi idem obſervat.

b) Ibidem, *Bibl. Lat.* loco modo cit. pag. 866.

ſucceſſivo tempore, ab ipſo Auctore quondam publicata: idque tanto magis ſane credibile, quum nec novum, nec inobſervatum ſit, nonnullos Veteres Auctores duplices eiusmodi operum ſuorum ἐκδόσεις, multum ſaepe a ſe invicem diverſas, auctiores ſubinde ac correctiores, foras dediſſe, quale inprimis feciſſe ſat liquido conſtat SOLINVM, ACHILLEM TATIVM, atque MAXIMVM TYRIVM, uti ſolidiſſimis rationibus et exemplis manifeſtiſſimis, uberrime probarunt accutiſſimi illi Critici, SALMASIVS [c]) nempe, atque MARKLANDVS [d]). Sed miſſis nunc demum Lemniſcis illis ac

c) In *Prolegomenis* ad *Exercitat. Plinian.* et ubique fere per vaſtum illud opus. De ACHILLE vero TATIO idem docte obſervavit in *praefatione* ipſius *Eroticis* praefixa.

d) In erudita *praefatione*, praeclaris ſuis et acutis in MAXIMVM TYRIVM, *Annotationibus* praemiſſa, pag. 648. ſeqq. ſplendidiſſimae illius *Editionis Londinenſis*, 1740. Cuius exemplum magnifice exterius ornatum, quondam, ad me miſit Vir iſte maximus et aeternum mihi deverandus, RICHARDVS MEAD, cum hac quidem Inſcriptione, ſummam ipſius humanitatem erga me, tam eximio honore plane indignum, declarante: V. C. D. W. T. *Hoc obſequii ſui ſignum dono mittit* RICHARDVS MEAD. Sed hoc fortuita hac occaſione, non eum quidem in finem, hic commemoravi, ut inde vanam gloriolam arroganter forte captarem; quamvis magnam utique gloriam hinc merito captare poſſem, quod a tanto et undique celebratiſſimo Viro tam inuſitata plane comitate ac benevolentia acceptus fuerim: ſed ut potius exinde pateat, quantum ille pretium etiam perexiguis meis meritis, et mediocribus admodum ſtudiis benigniſſime ſtatuerit: adeo ut inde illius immortalis Viri memoria ſanctiſſima ex hoc animo meo grato et acceptorum beneficiorum literariorum vivide memori, nunquam ſit diſceſſura; quin potius ſemper ibi manſura, quousque adhuc vixero, donec ſummo iſti meo amico ac fautori in Coelis, proxime forſan, aeternum adiunctus fuero. Haec vero ipſa pietas ſummaque obſervantia ac reverentia in tantum virum, hic dictavit: quare tanto facilius, ſpero, aequi Lectores huic digreſſioni ignoſcent.

ac linamentis, Lineas potius noſtras, a quibus hactenus aliquantum excidimus, iam ocyus repetamus, quo tandem feliciter extremam lineam ducere, ipſique huic opuſculo in ipſa ultima provectiſſimae ſenectutis linea, haud ſegniter forſan, elaborato, ſupremum ex more, Lemniſcum, ſive Coronidem, laeti gaudentesque, imponere queamus [e]).

§. CXIX.

Iam igitur ad illos aegros accedamus, qui *facultatem odoratus laeſam habent*, aut colatorios meatus obſtructos moleſte ſentiunt: quibus proinde ARCHIGENES apud AETIVM [f]) ſequentes ſalutares regulas, circa cubicula ac cubilia, ſeu Lectos, et cervicalia, diligenter obſervandas, convenienter et appoſite praeſcripſit: οἶκος δὲ, ἐν ᾧ διάγουσι οἱ τὴν ὀσφρητικὴν δύναμιν βλαβέντες, συμμέτρως ἔστω θερμὸς πρὸς τὴν ὥραν τοῦ ἔτους· ὕπνος δὲ ἡμερινὸς ἀνοίκειος αὐτοῖς· ὑπνοῦντες δὲ, μετέωρα ἐχέτωσαν τὰ προσκεφάλαια· καὶ ἐπὶ πλευρὰν κατακλινέσθωσαν, καὶ μὴ κατὰ τὸ πεπονθὸς μέρος, οἷον εἰ τύχῃ ἕνα τῶν μυξωτήρων ἐμπεφράχθαι: *Domus illa, ſeu cubiculum, in quo illi degunt, qui laeſam olfaciendi facultatem habent, moderate calidum ſit, pro ipſius nempe anni temporis ratione. Somnus diuturnus ipſis eſt incommodus. Dum autem dormiunt, cervicalia ſublimia habeant; et in latus ipſi reclinentur, non vero ſecundum ipſam partem affectam; velut, ſi forte contingat, unum ex colatoriis narium meatibus*

e) Sic quidem, tum ſani adhuc, vegetique, ac futuri plane ignari, pie vovebamus: ſed paullo poſt, dolor acerbiſſimus, derepente obortus, non huic ſolum operi noſtro; ſed et ipſi adeo Vitae noſtrae moeſtum pene funeſtumque colophonem, et Lemniſcum veluti Lemnium, ſeu fatalem, impoſuiſſet: niſi Deus ipſe, pro immenſa ſua gratia, poſt duos integros pene menſes, intolerandis fere doloribus iſtis acutiſſimis potentiſſima ſua dextra tandem inducias feciſſet. Quod maximum ipſius beneficium maximas quoque gratias nobis merito expreſſit: de quo plura vid. in *Prolegomenis*.

f) Lib. VI. cap. 96, pag. 122.

tibus eſſe obſtructum et impervium factum. Hucuſque igitur ARCHIGENES: Et ex eo NICOL. PISO, Lib. I. cap. 44. pag. 471. qui omnia haec ibi exſcripſit, non nominatis tamen Auctoribus, ex quibus profecerat, ut ſemper fere ſolet, ceu ſaepius iam monitum, ſed non ad imitandum.

§. CXX.

Nevrotrotis, ſive ex *Nervo ſauciato graviter dolentibus,* Lectos inprimis molliſſimos apprime conducere, ita ſapienter cauteque monuit GALENVS [g]): ἐν ἡσυχίᾳ τε καὶ στρωμνῇ μαλακῇ συνέχειν τὸν ἄνθρωπον: *In quiete omnino, ac Lectulo perquam molli hominem talem, nervis nempe ſaucium, continere oportet.* Quod ipſum pro ſolito nimirum more, ex illo, repetit PAVLLVS AEGINETA [h]), item AETIVS [i]), ut et ORIBASIVS [k]). Neque ſane aliud aut ipſa ſana ratio hic dictat, aut fida crebraque experientia iubet ac exigit: ἀτερπὲς γὰρ τοῖσι νεύροισι ἡ σκληρὴ κοίτη, διόπερ ἐν στρώμασι μαλθακοῖσι κατακεῖσθαι δεῖ: *Durum enim cubile ipſis Nervis perquam ingratum et incommodum eſt: Quapropter tales aegrotos, nervis ſcilicet male affectis laborantes in mollibus praeſertim ſtratis decumbere decet:* ex ſapientiſſimo nimirum magni ARETAEI [l]) conſilio. Quare demum et ipſe *Locus, in quo cubat Nevrotrotus, tepidus eſſe debet,* ut opportune monuit CORNELIVS CELSVS [m]): καὶ γὰρ τὸ ψυχρὸν πολέμιον Νεύροις, τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον: *Etenim frigidum Nervis eſt inimicum, Calidum vero, aut tepidum illis amicum et utile,* ut dudum veridico veluti oraculo, ipſe noſter pronunciavit HIPPOCRATES [n]). Inde igitur magnus ille IOANNES

g) Lib. VI. *de Method. Med.* cap. 3. pag. 137. Tom. X. Opp.
h) Lib. IV. cap. 54. pag. 71. b.
i) *Tetrabibl.* IV. *Serm.* II. cap. 28. pag. 701. Tom. II. *Syllog.* STEPH.
k) Lib. III. *de Morbor. Curat.* cap. 38. pag. 632.
l) Lib. I. *de Morbor. Acutor. Curat.* Cap. I. pag. 73.
m) Lib. V. cap. 26. §. 28. pag. 298.
n) *Aph.* 18. Sect. V. et Lib. *de Humidor. uſu,* pag. 601. Conf. POLLVCIS

NES CHRYSOSTOMVS [o]) tametſi animarum potius, quam corporum, eſſet Medicus, ita tamen medice prorſus ac perite, aureo ſuo ore effatus eſt: τὰ ἕλκη γυμνέμενα, καὶ ἀέρι ψυχρῷ συνεχῶς ὁμιλῦντα, χαλεπώτερα γίνονται: *Vulnera, aut ulcera aperta et denudatā, aerique frigido nimis diu ac frequenter expoſita, eo ipſo tanto acerbiora et curatu difficiliora redduntur.* Sed de his nunc hactenus.

§. CXXI.

Illis autem aegrotis, quibus *Lingua nimium arida et aſpera eſt,* quod nempe frequentiſſime, et ſemper fere, maxima cum moleſtia, praeſertim in febribus, accidere ſolet, ceu ubivis notum; ſequentem quidem decubitum prudenter ſuadet PAVLLVS AEGINETA [p]): ἐπὶ πλευρὸν κατακείσθωσαν, ξυραίνει γὰρ ἡ ὑπτία κατάκλισις, καὶ τὸ ςόμα μυέτωσαν· τὸ κεχηνέναι γὰρ ἐξικμάζει: *Decumbant iſti potiſſimum in Latus: ſupinus enim recubitus magis exſiccat, et os ipſum inprimis claudant: Hiare enim humorem citius retrahit et maiorem ſiccitatem inducit.* Ceterum de hoc ipſo diverſo plane ſitu, nunc laterali, nunc autem reſupino; quando nempe illorum alteruter, pro ipſa indicantium praeſentium ratione, aut ſymptomatum urgentium neceſſitate, modo ſit vetandus, modo contra imperandus; de eo quidem iam ſupra, paſſim, diſtinctius et accuratius, ni fallor, egimus [q]), ideo nec opus, nec tempus iam eheu! eſt, ut ea plus ſemel iam dicta, hic denuo faſtidioſius repetantur.

§. CXXII.

CIS *Onomaſt.* Lib. IX. cap. 6. ſegm. 69. pag. 1039. ſeqq. ibique *Not.* CELS. Lib. I. cap. 9. pag. 39. EVRIPID. in *Excerpt. Trag.* GROTII pag. 429. CIC. *Epiſt. ad Famil.* 16. Lib. VIII. SCHOTTI *Obſervat. Hum.* Lib. V. cap. 28. pag. 240. et DIETERICI *Iatr. Hippocrat.* pag. 1462.

o) *Serm.* LX. *de peccatis non evulgandis,* Tom. V. Opp. in *Vet. Teſtament.* pag 676.

p) Lib. II. cap. 53. pag. 23. b.

q) Conf. ſupra §. CIII. ibique *Notata,* et mox infra §. CXXVI.

§. CXXII.

In *Variolis maturis,* et iam ruptis, exſiccandis ac mitigandis, ipſisque foedis ulceribus mundandis et ſanandis, ſequentes culcitas opportune adhibet ſic dictus SYNESIVS [r]): *ὅταν ἄρξωνται αἱ φλυκταίναι διαῤῥαγῆναι, καὶ ἀνεωχθῆναι, μετὰ τὸ πέπαυσθαι, καὶ ῥέπουσιν ψυγῆναι, χρὴ τοῦ στρῶσαι τὸν ἄῤῥωστον στρωμνὴν ἐμπεπλησμένην ἄλευρον ὀρύζης, ἵνα ξήρεναι τὴν ὑγρότητα, καὶ ταῦτα στεγνῶσαι, καὶ ῥάνε κατὰ τῶν τραυμάτων, τὸ ἄλευρον τῆς ὀρύζης, καὶ τῶν ὀρόβων, καὶ ὀλίγον ἅλατος, μετὰ ὀλίγον κρόκου, καὶ ῥοδοστάγματος.* *Quando incipiunt puſtulae varioloſae crepare, et aperiri, poſt ceſſationem, atque ad refrigerium perveniunt; tum decumbat ipſe aeger in ſtrato, farina oryzae repleto, ad exſiccandam humiditatem, ulceribusque ipſis inſperge eandem oryzae farinam, item et ervi, ut et pauxillum ſalis, cum exigua denique quantitate croci et Rhodoſtagmatis,* Quod ipſum ſalutare medendi conſilium omnino depromtum eſſe videtur ex ipſis Medicorum arabicorum ſcriptis, qui omnium optime et accuratiſſime, de ipſa Variolarum curatione commentati ſunt, ceu cuivis notiſſimum: adeo, ut inde nova operoſa quidem, ſed forte ſupervacua, commentatione haud opus eſſe videatur, illud ipſum denuo quidem; forte tamen nimis ſero, docte licet, et laborioſe, publico demonſtrare: Sed haec obiter. Sic autem aperte IANVS DAMASCENVS [ſ]): *Decumbat aeger ſupra Grabatum Milio inſtratum, quoniam id ulcera illico arefacit et exſiccat; ſicut farina Oryzae perſicae,* de qua in antecedentibus. Sed clarius adhuc CONSTANTINVS AFRICANVS [t]): *Puſtulis effluentibus, et deſiccari incipientibus, impleatur culcitra, ubi iaceat infirmus, de Oryzae farina: ſuperponatur etiam ipſis vulneribus eadem farina Oryzae, vel*

r) Lib. *de Febribus,* cap. X. pag. 307. *Edit. prim.* Cl. BERNARDI, cuius et vid. *Praefat.*

ſ) Lib. II. cap. 20. pag. 41. eadem fere et RHASES habet, de quo mox.

t) Lib. VII. *de Morbor. Cognit. et Curat.* cap. 8. pag. 153.

vel Milii, *cum Croco.* Eadem vero in puſtulis deſiccandis, prudenter ſuadent RHAZES, AVICENNA, HALY ALBAS, et reliqui Arabes, qui de Variolis curandis, praecepta et conſilia ſaluberrima quondam poſteritati tradiderunt, quorum ipſos locos huc operoſe nimis, transferre, nunc nec otium eſt, nec neceſſitas exigit. Quodſi vero omnes iſti probi ac ſolertes Medici ſuo quidem aevo, propius noviſſent novam illam ac coeleſtem, dicam? an forte rectius, ſceleſtam, Artem, ſanis ſcilicet corporibus tetras diraſque variolas, inſano prorſus conſilio, inſerendi, ſeu inoculandi, quae noſtro demum feliciore, aut verius, infeliciore, ſaeculo, inaudita profecto audacia, ubivis fere gentium, introducta fuit: tum ſane veteres illi Arabum Medici omni iſto operoſo et moleſto apparatu, variolas diligenter curandi, et prudenter denique exſiccandi; quin et, quod tanto mirabilius, ipſa fere ſimul ſana ratione, iudicio practico et peritia denique medica facile carere potuiſſent. Interim his ipſis hoc unicum adhuc paucis hic commode addere liceat: SYNESIVM ſcilicet hic ipſas *Variolas* generali voce graeca dixiſſe φλυκταίνας: Quae quum ſaepius quoque ita occurrat apud ipſum HIPPOCRATEM, GALENVM, AEGINETAM, inprimis AETIVM, alioſque veteres, ceu notum: Inde credibile ſatis, imo perquam probabile videtur, ſub hac ipſa generali φλυκταίνων voce, ſpeciales etiam Variolas, more Veterum ſolito, comprehenſas fuiſſe, deficiente nempe vocabulo ſingulari ac proprio, quod ipſas Variolas accurate ſatis ac diſtincte ab aliis ſcilicet puſtulis et exanthematis, exprimeret. De quo ipſo argumento valde adhuc dubio, nec ad liquidum penitus perducto, nec forte unquam perducendo, iam dudum alibi [u]) diſertius, ni fallor, ac ſtudioſius egimus, quum placidae iſti ac modeſtae concertationi HAHNIVM inter atque WERLHOFIVM, Medicos illos praeſtantiſſimos, amicos olim meos chariſſimos, nunc eheu! deſideratiſſimos, acriter quidem, ſed humaniter tamen ſimul, ut nempe decebat, agitatae, invitati, tametſi inviti, immiſceremur.

Neque

[u]) *Opuſcul. Med.* Tom. II. pag. 3. ſeqq. et pag. 13. ſeqq.

Neque ſane, ut verbo dicam, res ipſa tanti videtur, ut tamquam pro aris et focis, acerrime depugnetur, Graecisne Medicis prius, aut ſimul, cognitae fuerint Variolae, an Arabicis ſolis? Sed verbo quaſi gravem iſtam, aut forſan rectius, levem, nunc ita dirimam litem: Graeci Variolas viderant quidem ac cognoverant: ſed non exacte ſatis ac diſtincte deſcripſerant: Arabes contra easdem et probe cognoverant, et accuratiſſime ſimul deſcripſere, ſic igitur utrique parti, ut equidem credo, erit ſatisfactum. Sed haec veluti in tranſitu, et oblata commode occaſione, hic pace quidem Lectorum, adiecta a nobis ſunto.

§. CXXIII.

Ad *Nauſeam* avertendam moleſtosque vomendi conatus compeſcendos, ita poſt ipſum GALENVM, Lectos caute et appoſite inſtruit AETIVS [x]): *Decubitus ſurſum vergens, in omnibus quomodocunque nauſeantibus et vomentibus, adornetur, in convenienti et ipſi affectioni contraria domo. Quae frigida quidem ſit, affectione exiſtente calida: Contra vero calida, ubi frigida affectio extat. Extremae corporis partes fricentur, manibusque calefactis palpentur, quin et violentius adſtringantur: deinde pedes et manus in aquam ſolito calidiorem demittantur.* Nec diſſimilem prorſus decubitum idem ex eodem GALENO, ſuadet iis, qui *faſtidioſa ipſius Ventriculi cruditate* ex male digeſtis et putridis fere cibis, laborant: ſic enim nonnullis interiectis, ibidem [y]), ſcribit: *Erectior inprimis decubitus apparetur, ut ea, quae capiti ſubiiciuntur, ſublimius inſternantur, et reclinatio ipſa in ſiniſtrum latus fiat: atque, ſi quis vigiliis infeſtetur, citra corporis vexationem, permaneat eandemque decubitus formam*

x) *Tetrabibl.* III. *Serm.* I. cap. 10. pag. 448. Tom. II. *Collect.* STEPH. Conf. PISONIS Lib. III. cap. 8. pag. 73. Tom. II. unde pleraque hauſta, non indicato fonte.

y) Cap. nempe XXIV. pag. 460. et ex eo rurſus PISO, Lib. III. cap. 10. pag. 95. ſeqq. Tom. II. ubi tamen AETIVM ipſum ſemel, gratus, laudat.

formam obſervet. Frequentes enim agitationes cibos perturbant, inteſtinaque inflata reddunt: flatus autem cibum ſurſum vergere facit. Hactenus AETIVS, cuius ipſius exemplum hic ſequuti, nos quoque *Nauſeam*, Vomendi conatus et ipſam *Cruditatem*, propter arctiſſimam, ſcil. affinitatem, ſedemque in Ventriculo et inteſtinis, communem, iure meritoque, coniunximus. Ceterum vero hanc ipſam AETII Medendi Methodum, et curam circa Lectos, ad cruditatem praeſertim temperandam ac tandem tollendam, pariter enixe quoque commendat praeſtantiſſimus PETRVS FORESTVS [z]).

§. CXXIV.

Neque vero adhuc plane dimittere placet laudatum ſaepius AETIVM: Mox enim in ſequentibus [a]) ex eodem GALENO, praeclare monet, quae in *alvo nimis adſtricta*, circa ipſos afflictorum aegrotorum decubitus, in blandum tormentorum lenimen, diligenter ſint obſervanda, his quidem verbis: *Ex ipſius decubitus figuris, erectior eis convenit, et ad ſiniſtrum latus reclinatio: et ſilentium quidem et quies Ventrem cohibent; motus autem et deambulatio impellunt.* Quod poſtremum adiectum hic Monitum nec ratione, nec experientia caret, ut paucis hac commoda certe occaſione, ſi liceat, hic docebimus. Ipſum enim crebrum corporis motum et frequentem deambulationem, nudis praeſertim pedibus, in duro frigidoque ſolo, aliquandiu, patienter peractam, alvum, etiam pertinaciſſime occluſam, feliciter demum recludere, vel illud perquam memorabile et ſcriptis ſatis celebratum exemplum *Ducis Ferrarienſium*, BORSII, affatim confirmat: qui nempe ſurdae et ignavae alvi contumaciam, per integrum iam triduum, acerbiſſime perpeſſus, quum nec clyſmatum, nec aliorum remediorum congruorum uſum neceſſarium, more principum non inſolito, admittere vellet; a celeberrimo tandem

z) *Obſ. Med.* 35. Lib. XVIII. pag. 179.
a) *Tetrabibl.* III. *Serm.* I. cap. 26. pag. 465.

tandem, tum temporis Medico, MICHAELE SAVONAROLA, blande perſuaſus fuit, ut pavimentum ſuum frigidum, ſolidum ac marmoreum, gelidiſſima aqua prius largiſſime reſperſum, nudatis prorſus pedibus, aliquandiu ſtrenue perambularet vel atque ſic invitus, *Nudipedalia*, perageret, ut ita cum TERTVLLIANO, quanquam ibi alia de re ſermo, ceu notum, ita loqui liceat. Quo facto, vix quinquaginta paſſibus ſic patienter peractis, pigra hactenus et moroſa alvus, nunc rurſus morigera, ad conſuetum officium protinus ſua ſponte, rediit, atque moleſtum illud onus copioſe depoſuit, cum inſigni afflicti Ducis levamine. Qui et hoc ipſo frigido quaſi conſilio, calido tamen et ſalutari effectu haud deſtituto, mire delectatus, in luculentum generoſi gratique animi ſignum, mox Medico illi pro ſoluto ſic feliciter ventre, ſolvi iuſſit centum aureos pulchre nitentes; ceu ipſe gratus laetusque, refert idem ille, qui auream illam meſſem ex ſordido ſtercore retulerat, ſit venia dicto! SAVONAROLA [b]) et ex ipſo, SCHENCKIVS [c]), BONETVS, et alii plures paſſim, praeſertim autem BRACHELIVS [d]) cuius en ipſa verba, notatu certe digna: *Hoc veluti arcanum iam dudum novit Ruſticorum experientia, qui nudis pedibus humi obambulant, ut ventrem pertinacem infirment.* Sed de his hactenus; quae ipſa quidem aequioribus et humanioribus Lectoribus, tam ob varietatem opportunius hic interiectam, quam ob ipſam praeſertim utilitatem, in futuros uſus, exinde forſan capiendam, haud prorſus ingrata et faſtidita fore, utique ſperamus; quin imo propemodum confidimus.

§. CXXV.

Oculis lippientibus, tumentibus, inflammatis, ſuffuſis, aut quocunque alio modo male affectis, minus convenire loca lucida: magis

 gis

b) Tractat. *de Medicinis purgantibus*, Cap. VI.
c) *Obſ. Med.* 285. Lib. III. de *Excrement.* pag. 737. ſeqq. Tom. I.
d) *Commentar.* ad HIPPOCRATIS *Aphoriſ.* 20. Sect. II. apud laudatum SCHENCKIVM pag. 738.

giſ vero conducere cubicula obſcuriora, et cubilia a ſplendidis irruentis lucis radiis averſa, atque aulaeis circumvelata, et ipſa ſana ratio rerumque conditio ſevere ſuadet, et unanimis inſuper Medicorum oculariorum conſenſus affatim confirmat. Sic enim recte CORNELIVS CELSVS [e]): *In eiusmodi caſu, prima omnium ſunt quies et abſtinentia. Ergo primo die, Loco obſcuro cubare debet ſic, ut a ſermone quoque abſtineat.* Sed plenius adhuc et accuratius in hunc quidem ſenſum magnus ille ophthalmiater, DEMOSTHENES, apud AETIVM [f]): περιπατεῖν τὸν ὀφθαλμιῶντα κέλευε ἐν τόπῳ σκοτεινῷ καὶ ἀνηνέμῳ, (ita enim haud dubie legendum, pro illo male vulgato ἀνέμῳ) χωρὶς λαλιᾶς, καὶ τῆς ἄλλης διατάσεως· μὸ σείοντα τὴν κεφαλὴν, καθόσον οἷόντε. Πλείονι δὲ χρώμενον καὶ ἠρεμαίῳ περιπάτῳ, ἔπειτα εἰσελθόντα εἰς οἴκημα σκοτεινὸν, καὶ μὴ ἄγαν φωτεινὸν, πάλιν ἀλείφειν δὶ ἑτέρε, τὸ σῶμα, χωρὶς κεφαλῆς, τριβέντα: *Deambulare iubeto aegrum oculis affectum in tenebroſo et non ventoſo loco, cum ſilentio, et absque alia diſtentione, ita, ut neque ipſum caput agitet, quantum eius fieri poſſit. Poſtquam autem ampliore et lenta tranquillaque deambulatione uſus fuerit, ad domicilium tenebricoſum et non valde lucidum ſeſe recipiat, et rurſus ab alio, ipſius corpus illinatur, excepto tamen capite.* Hactenus ille.

§. CXXVI.

e) Lib. VI. cap. 6. pag. 348. quae inde repetit PISO, Lib. I. cap. 26. pag. 341. ſq. Tom. I. non indicato tamen, ut ſemper fere ſolet, ipſo Auctore, unde hauſerat, ut ſaepe iam monitum, conf. IO. RHODII *Analecta* in SEPTALII *Caut. Med.* pag. 301. ſeqq. et alios.

f) Lib. VII. cap. 33. pag. 129. quo celeberrimo Medico ophthalmico tum BARTHIVS ipſe vel maxime indigere videbatur, ut acutius nempe cerneret, quum lippus fere, in *Adverſariis,* ſcriberet, hunc ipſum DEMOSTHENEM fictum tantum eſſe nomen et ab otioſo quodam Monacho, ſic temere excogitatum: quare iuſtam acutiſſimi REINESII cenſuram omnino meruit, quae videatur in ipſius *Varii Lectionibus,* Lib. I. cap. 2. pag. 9. Sed haec obiter, et cum venia B. BARTHII manium.

§. CXXVI.

Sed dudum ante hunc oculatum inprimis Ocularium, ſcilicet DEMOSTHENEM, tenebras ſic indixerat lippientibus, atque induxerat ſplendidiſſimum illud noſtrae Artis lumen, nempe HIPPOCRATES ipſe [g]), quum haec graviſſime praeciperet: κατακεῖσθαι τὸν ὀφθαλμιῶντα ἐν σκότῳ, ἀπὸ τοῦ καπνοῦ, καὶ πυρὸς, καὶ τῶν ἄλλων λαμπρῶν, πλάγιον, ἄλλοτε ἐπὶ τὰ δεξιὰ, ἄλλοτε ἐπ' ἀριστερά: *Decumbat oculis aeger in tenebris, procul a fumo et igne, et aliis ſplendidis; atque hoc in obliquum, modo in dextram, modo in ſiniſtram partem.* Quae ipſa ita expreſſit AEGINETA [h]), HIPPOCRATEM tacite ſequutus: φυλάσσεσθαι δὲ δεῖ καὶ κατάκλισιν ὑπτίαν ἐπὶ μακρὸν, καὶ κρύος, καὶ ἀνέμους, τοὺς ἐναντίους, καὶ καπνὸν, καὶ κόνιν: *Aegrum ipſum vitare etiam quam maxime oportet decubitum ſupinum diuturniorem, item frigus, et ventos contrarios, ut et fumum ac pulverem.* Cuncta enim haec non poſſunt commode, aut impune perferre oculis male affecti, ut ſupra iam adnotatum. Inde igitur de Dionyſio iuniore, ſaevo illo Siciliae Tyranno, et humani generis flagello ac flagitio, qui ex nimia luxuria, oculorum tandem valetudinem ſibi contraxerat, haec recte ac perite obſervavit IVSTINVS [i]): *Non ſolem, non pulverem, non denique ſplendorem ferre lucis ipſius poterat.* Decubitus igitur, ut ſuperiora repetamus, lippientium non ſit ὕπτιος, ſive *reſupinus,* ſed potius πλάγιος, ſeu *obliquus,* partim in *dextrum,* partim autem in *ſiniſtrum* ipſius corporis *latus.* Quae cautio certe ratione haud caret, ut experientia ipſa ſatis docet, et ipſis Medicis ocularriis notiſſimum eſt.

§. CXXVII.

g) Lib. *de Viſu,* pag. 354. Tom. II. Opp. per LINDEN. quae et GALENVS ex ipſo repetit, obſervante VOLATERRANO Lib. XXIV. *Hiſtor.* pag. 894.

h) Lib. I. cap. 31. pag. 5. conf. et huc PLVTARCH. Lib. *de Fraterno Amore,* pag. 490. Tom. II. ubi idem.

i) Lib. XXI. *Commentar. Vrban.* cap. 2. conf. IANI DAMASCENI Lib. IV. cap. I. pag. 164.

§. CXXVII.

Eadem igitur omnia ex illo Veterum Medicorum modo laudatorum ſalutari conſilio, opportune, nec ſine fauſto ſucceſſu, ſuaſerat quoque CORNVTVS PLINIO, collegae ſuo coniunctiſſimo; qui tum quidem oculis mentis magis valebat, quam ipſius corporis, quos quippe eo tempore, debiles admodum hebetesque habebat. Ita enim ipſi ſuo CORNVTO elegantiſſime et acutiſſime, pro ſolito ſcilicet more, reſpondebat [k]): *Porro, Collega cariſſime, et infirmitati oculorum, ut iubes, conſulo. Nam et huc, tecto vehiculo undique incluſus, quaſi in cubiculo, perveni, et non ſtilo modo, verum etiam lectionibus, difficulter, ſed abſtineo, ſolisque auribus ſtudeo. Cubicula obductis velis opaca, nec tamen obſcura facio. Cryptoporticus quoque, adopertis inferioribus feneſtris, tantum umbrae, quantum luminis habet. Sic paulatim lucem ferre condiſco. Gallinam, ut a te miſſam libenter accepi, quam ſatis acribus oculis, quanquam adhuc lippus, pinguiſſimam vidi.* Hactenus ille. Haec vero cuncta et propter proximam ipſius argumenti praeſentis affinitatem, et propter miram ſimul venuſtatem, huc tranſcribere nos non piguit; nec taedebit proinde, ut certior, nobis ſpes eſt, humaniores quidem Lectores, eadem hic commode legiſſe. Interea vero vehementer miramur, ex tanta interpretum turba, neminem tamen, quantum nobis quidem conſtat, huc quidquam ad ipſum huius loci memorabilis illuſtrationem, ex priſcorum medicorum monumentis, opportune contuliſſe, praeter unum tantum CATANAEVM, qui nempe ſolus ni fallor, ad illum CORNELII CELSI locum, ſuperius laudatum, ſat appoſite provocavit. Ceterum autem, ut haec opportune hic adiiciam, illa Pliniana modo producta, egregie quoque confirmari et illuſtrari queunt ex iſtis SENECAE [l]). *Oculos quoque aegros Medicus non tantum curat, ſed etiam monet*

k) PLINIVS, *Epiſt.* 21. Lib. VII.

l) *Epiſt.* XCIV. pag. 346. Conf. Lib. de *Vita Beata,* cap. XXI. et alibi paſſim.

monet. Non eſt, inquit, quod protinus imbecillam aciem committas improbo lumini: a tenebris primo, ad umbroſa procede; deinde plus aude, et paullatim claram lucem pati aſſueſce.

§. CXXVIII.

Quorſum et ſpectare omnino videtur obſcurum illud et obſcoenum ſimul *Graecorum proverbium, quod lippis et luminis hinc impatientibus,* frigido, intempeſtivo et ſordido plane ioco, a ſcurris haud dubie, ruſticis ac rupicibus, vulgo *acclamabatur*: εἰς κυνὸς πυγὴν, ἢ πρωκτὸν βλέπε, ἢ ὁρᾷ, cuius ſi non ipſe inventor; laudator tamen ac commendator haberi merito debet ille omnium ſpurciſſimarum obſcoenitatum promus condus undique inſtructiſſimus, nimirum ARISTOPHANES [q]) ex cuius impuriſſimo fonte illud hauſtum, deinde in ſuas proverbiorum collectiones tranſtulerunt noti illi paroemiographi MICHAEL APOSTOLIVS [r]), TARRHAEVS, DIDYMVS, atque alii, apud ALDVM [s]) quorum en ipſa verba: εἰς κυνὸς πυγὴν ὁρᾷν, ἐπὶ τῶν λημώντων τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἤτοι ὀφθαλμιώντων ἐπέλεγον, εἰς κυνὸς πυγὴν ὁρᾷν, καὶ τριῶν ἀλωπέκων: et mox ibidem: εἰς πρωκτὸν κυνὸς βλέπε· τοῦτο ἔλεγον τοῖς ὀφθαλμιῶσιν: Quae ipſa Latine convertere, non tam ipſius Romani ſermonis egeſtas vetat; quam potius ipſa morum puriorum honeſtas. Quare et ipſe ERASMVS ROTERODAMVS [t]) poſtquam hoc ipſum vetus proverbium foedum, inuitus paene, ſuo loco, retulerat, ſequentia non minus verecunde, quam prudenter, ibidem, mox ſubiungit: *Obſcoenius hoc eſt, quam ut vertere libeat. Has profecto nugas pigeret adſcribere, ni propoſitum eſſet, operi ſuſcepto*

q) *Eccleſiazuſ.* pag. 731. ubi vid. *Schol.* et ibidem TANAQVILL. FABRI *Not.* pag. 1006. *Edit. Amſtel.* de Ann. 1670. item STEPH. BERGLERI *Obſerv.* et ibidem, pag. 935. et ad *Acharnenſ.* pag. 536.
r) *Proverb.* 90. Cent. VII. pag. 88.
s) *Collect. proverb. varior. Graec.* pag. 75. et pag. 76.
t) *Adag.* 36. Cent. I. Chil. II. pag. 444. ſeqq.

ſuſcepto per omnia ſatisfacere, καὶ ἣν ἔλαχον σπάρτην, κοσμεῖν. Quae ipſa mihimet quoque ipſi ſatis praeſidii atque excuſationis, ut ſpes quidem eſt, apud aequiores Lectores praeſtabunt atque etiam impetrabunt. Interim vero iterum paucis hic monere liceat, hoc ipſo canino et immundo plane proverbio, haud dubie, ut quidem videtur, reſpici ad illud ipſum Veterum Medicorum praeceptum, iam ſupra relatum, aegros videlicet oculis quocunque modo male affectos ab omni clara nimis luce ſolicite eſſe abſtinendos, atque contra, *loco potius caliginoſo diligenter continendos.* Quanquam nemo forſan aegrorum deſiderio facile flagrabit, obſcuram iſtam Cameram aut Camarinam caninam aut vulpinam, attentius ac diutius inſpiciendi. Sed ſit venia ioco, in re nimis ſeria.

§. CXXIX.

Sed his cunctis hoc unicum denique ſub finem, hic adnectere commode liceat: Nimirum hanc ipſam ſententiam medicam de tenebris inducendis, et lucis contra radiis excludendis, plurimum olim placuiſſe philoſophis, hiſtoricis, Oratoribus, et patribus quoque eccleſiaſticis, praeſertim graecis, atque proinde in varios uſus, ethicos, politicos, didacticos atque theologicos, perquam appoſite, acute atque opportune ab iisdem fuiſſe traductam. Sic igitur, ut pauca tantum, ex perquam multis, exempla producamus, facundiſſimus ille aureo veluti ore DIO CHRYSOSTOMVS [q]): τὸ μὲν ἀληθὲς πικρόν ἐστι καὶ ἀηδὲς τοῖς ἀνοήτοις· τὸ δὲ ψεῦδος γλυκὺ καὶ προσηνές. ὥσπερ γε, οἶμαι, καὶ τοῖς νοσοῦσι τὰ ὄμματα, τὸ μὲν φῶς, ἀνιαρὸν ὁρᾷν. τὸ δὲ σκότος ἄλυπον καὶ φίλον, οὐκ ἐῶν βλέπειν. *Veritas quidem amara eſt, te iniucunda ipſis ſtultis: Mendacium autem contra, dulce ac blandum. Quemadmodum opinor, illis, quibus oculi dolent, ipſum lumen videre, perquam moleſtum eſt: Tenebrae autem nullam moleſtiam, aut dolorem inferunt;*

[q]) *Orat.* XI. pag. 151. ſeqq. conf. et *Orat.* IV. pag. 61. ubi haec ipſa brevius dicta.

runt; quin potius amicae et gratae ſunt, ideo potiſſimum, quod non ſinant quidquam clare ac diſtincte perſpicere. Sed pari quoque lepore ac venuſtate PLVTARCHVS [x]): ἐπεὶ δὲ οὔτε φῶς λαμπρὸν ὄμματι φλεγμαίνοντι προσοιστέον, οὔτ' ἐμπαθὴς ψυχὴ παῤῥησίαν ἀναδέχεται καὶ νουθεσίαν ἄκρατον: *Quoniam autem neque lumen nimis clarum inflammato oculo debet obiici; neque affectu concitatus animus loquendi libertatem meramque ac rudem obiurgationem facile admittit.* Neque minus acute ac lepide idem ille alibi [y]): ὥσπερ οἱ τοὺς ὀφθαλμιῶντας ἐνοχλεῖν φυλαττόμενοι, τοῖς ἄγαν λαμπροῖς σκιάν τινα παραμιγνύουσι· οὕτως ἔνιοι τοὺς αὐτῶν ἐπαίνους μὴ παντελῶς λαμπροὺς, μηδὲ ἀκράτους προσφέροντες· ἀλλὰ τινας ἐλλείψεις, ἢ ἀποτεύξεις, ἢ ἁμαρτίας ἐλαφρὰς ἐμβάλλοντες, ἀφαιροῦσι τὸ ἐπαχθὲς αὐτῶν καὶ νεμεσητόν: *Quemadmodum, qui oculorum debilitate affectis prudenter cavent, ne moleſtiam exhibeant; ii ſplendidis nimium obiectis umbrae aliquid admiſcent: Ita etiam ſunt nonnulli, qui ſuas laudes non omnino ſplendidas ac puras proferunt; ſed defectus quoſdam et errata, aut levia peccata ſimul iniiciendo, importunitatem et invidiam ſic caute et aſtute declinant.* Sed ſtudio nunc omitto plura, apud ipſum, in hunc quidem ſenſum, paſſim hinc inde, occurrentia; praecipue enim bella iſta ſimilitudine *de oculis aegris, in umbra potius, quam luce, continendis,* frequentiſſime delectatur PLVTARCHVS, non obſcura umbra, ſed ſplendidiſſima potius, luce ob ſummam praeſtantiam, digniſſimus [z]).

§. CXXX.

Sed, ut pergamus, et tandem finiamus, huc etiam maxime pertinet pium iſtud et praeclarum PROCLI, *Epiſcopi* quondam *Conſtantinopolitani*

x) Lib. *de Adulat. et Amici Diſcrimine*, pag. 72. Opp. Tom. II. conf. et eiusdem Lib. *de Fraterno Amore*, pag. 490. iam ſupra citat. Tom. eodem II.

y) Lib. *de ſui Laude*, pag. 543. Tom. II.

z) Conf. ille in *Vita* DEMOSTHENIS pag. 856. Tom. I. Opp. et exinde PHOTIVS in *Bibl.* pag. 643. et paſſim aliis locis, ut dictum.

tinopolitani, dictum [a]): λημῶν ὀφθαλμὸς ἡλίου ἀκτῖνας καθαρῶς οὐ δέχεται· καὶ ἀσθενοῦσα διάνοια πίστεως οὐ προσίεται ὕψος: *Lippus oculus ſolare iubar inoffenſe pureque non admittit; nec imbecilla Mens ſummum fidei faſtigium facile capit.* Qualia in hunc ipſum ſenſum, paene innumera, quoque leguntur apud reliquos patres ſic dictos Graecos, praeſertim autem IOANNEM CHRYSOSTOMVM [b]), BASILIVM MAGNVM [c]), GREGORIVM NYSSENVM [d]), ISIDORVM PELVSIOTAM, et alios, item et apud PHILONEM IVD. [e]). Quorum tamen loca huc quidem apprime ſpectantia, nunc, Lectorum faſtidio conſulturi, digito veluti indicare maluimus; quam operoſe tranſcribere; praeſertim, quum haec ipſa hactenus hanc quidem in rem, dicta et prolata, ſatis omnino, imo plus ſatis, merito eſſe poſſint intelligentibus, et in Veterum ſcriptorum aſſidua lectione probe verſatis, quippe quibus haec omnia ignota eſſe haud poterunt.

§. CXXXI.

Sed ab illis aegris ac dolentibus oculis, oculos nunc noſtros, per Dei gratiam, adhuc ſanos, verecunde potius convertamus ad alios *ſuaviores* quidem, interdum tamen etiam *ſaeviores oculorum dolores,* nempe ad ipſas amabiles foeminas. Sic enim ἀλγηδόνας τῶν ὀφθαλμῶν, *oculorem dolores* acute vocabant olim Perſae venuſtas foemellas Macedonicas [f]), et ipſe Alexander Magnus, hinc Perſicas

Mulieres

[a]) Vid. HADRIANI IVNII *Adag.* 63. Cent. VI. pag. 1319. *Append.* ad ERASMI ROTEROD. *Adagia.*

[b]) Tom. II. in *Vet. Teſt.* pag. 66. et Tom. III. in V. T. pag. 521. item Tom. V. in *Nov. Teſt.* pag. 594. et ita paſſim alibi.

[c]) Tom. I. *Opp. Pariſ.* pag. 313. et Tom. III. pag. 538. et ſaepius alibi.

[d]) *Orat. de Mortuis,* pag. 618. et pag. 636. Tom. III. *Opp. Pariſ.*

[e]) Lib. *de Monarchia,* I. pag. 630. et paſſim alibi.

[f]) Apud HERODOTVM, *Terpſichore,* ſeu Lib. V. pag. 379. ubi vid. WESSELING. in *Notis.* Conf. et inprimis PETRI VICTORII Lib. II. *Var. Lect.* cap. 5. pag. 19. et GOTHOFRED. OLEARII *Obſervat.* ad PHILOSTRATI *Vitas Sophiſtar.* Lib. I. pag. 513.

Mulieres [g]) proceras illas atque formoſas, hoc quaſi γλυκυπίκρῳ, ſeu *dulcamaro* elogio, pariter ornabat, quod ſcilicet iſtae ſic non ſolum eſſent τῶν ὀφθαλμῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν καρδιῶν ἀλγηδόνες, *non oculorum tantum, ſed et cordium ipſorum dolores.* Sed haec in tranſitu: inde abſit malus ac moroſus Interpres! Nos interim hic conſideremus venuſtiorem illum et molliorem, utinam et ſemper ſimul modeſtiorem, ac meliorem, ſexum muliebrem, qui nempe foecundiſſimum illum amoris et amaroris ſimul, fontem ac fundum, uterum ſcilicet, reconditum in ſe habet, unde tot graviſſimi et pertinaciſſimi Morbi ſubinde enaſcuntur, poſt ipſum noſtrum HIPPOCRATEM, qui omnium accuratiſſime et copioſiſſime de iis commentatus eſt, ceu notum, aliosque veteres, multis magnisque Voluminibus uberrime deſcripti, et explicati, ceu cognitum: Quibus proinde, ſecundum diverſam ipſorum cauſſam, indolem et originem, diverſos quoque *Lectos*, ſcilicet nunc altiores, nunc humiliores, durioresve convenire, nemo profecto Medicorum peritiorum ac prudentiorum facile, credo, in dubium vocabit. Inde igitur, quales praeſertim Lecti in nimio *Menſium profluvio*, aut etiam eorundem *ſtillicidio*, ſint proprie ordinandi et inſtruendi, iam ſupra [h]) ex AETIO, data tum occaſione, docuimus, quum nempe ibi, de variis *Haemorrhagiis*, curatius nonnihil ageremus. Quorſum et illa MOSCHIONIS [i]) adhuc pertinent, caſu, ibidem omiſſa: γυνὴ ἀνακλιντέα ἐν τῷ κοιτῶνι μετρίως θερμῷ καὶ φωτεινῷ, ἐστρωμένῳ δηλαδὴ μαλακῶς· σκεπαστέα στρωμναῖς καιναῖς καὶ τριχώδεσιν. κ. τ. λ. *Recumbat iſta Mulier in cubiculo mediocriter calido, et lucido, ſtrato ſcilicet molli: tum cooperienda eſt ſtramentis novis et floccoſis.* Haec quidem de *Menſium ſtillicidio*, acuto cum dolore, coniuncto. De *nimio* autem eorundem *profluvio* periculoſo, ſenſim compeſcendo, haec circa cubilia et ſtragula, ſalutaria praecepta in ſequentibus

Aa 3

g) In *Vita* ALEXANDRI. pag. 676. Tom. I. Opp.
h) Scilicet §. LVII. pag. 102. ſeqq.
i) *Gynaec.* cap. 126. pag. 11. *Collect. Gynaec.* SPACHII.

quentibus[k]), proponit idem MOSCHION: κεῖσθαι δεῖ ἐν κοιτῶνι σμι-κρῷ καὶ σκοτεινῷ, (ita enim legendum probabiliter videtur pro vul-gato et male repetito κοιτῶνι, *cubiculo* enim *obſcuro,* vertebat Lat. In-terpres) καὶ ἐν τῇ κλίνῃ δηλαδὴ τὴν ἄῤῥωστον τὰ τελευταῖα τῶν ποδῶν ὑψη-λότερα ἔχειν σὺν πάσῃ ἡσυχίᾳ τοῦ σώματος, καὶ ἀναπαύσει, (πᾶσα γὰρ κί-νησις ῥεῦσιν προτρέπει) οὕτως, ἵνα τοὺς πόδας ἐστραμμένους ἔχῃ, καὶ οὕτως κεῖσ-θω. κ. τ. λ. *Iacere talem ſoeminam oportet in cubiculo parvo et obſcuro; In ipſo autem Lecto ſcilicet, habeat iſta aegrota pedum extremitates ipſo quidem capite altiores, cum omni corporis quiete ac tranquillitate, (omnis enim motus ipſum fluxum magis provocat,) ita, ut pedes contortos ſupra ſe invicem habeat, atque ſic immota iaceat.* Hactenus MOSCHIO. Nunc ergo reliqua, quae forſan de aliis Morbis muliebribus, ibi tum ſtu-dio, praeteritis, dicenda ac monenda, adhuc reſtant, ex eodem prae-ſertim AETIO, ſed non neglectis ſimul aliis Medicis priſcis prae-ſtantiſſimis, qui idem argumentum ſedulo tractarunt, ſtrenue iam atque alacriter, pro ſenilibus nempe viribus, proſequamur. Forſan enim omnis nondum

Sanguis hebet, frigentque effoetae in corpore Vires.

§. CXXXII.

Igitur contra frequentiſſimum illud, ſed et atrociſſimum ſimul et minaciſſimum miſerarum Mulierum Malum, *uteri* nempe com-moti nimis ac turbati *ſuffocationem,* ſeu *ſtrangulationem,* ὑστερικὴν πνίγα, Graecis apte dictam [l]) ſequentia circa ſitum ac decubitum eiusmodi afflictae

k) *Ibidem,* cap. 136. pag. 16. et pag. 32. ſeqq.

l) Vnde perquam corrupte et monſtroſe, apud PRISCIANVM Lib. III. ſeu Gynaecior. cap. 2. pag. 139. vulgatum legitur: *Hyſtericam nicam,* nempe pro Graeco: ὑστερικὴν πνίγα, ut clare patet. Conf. huc REI-NESII *Var. Lect.* Lib. III. cap. XI. pag. 512. DIETERICI *Iatr. Hip-pocrat.* pag. 1307. CLAVD. SALMAS. ad EPICTET. ac SIMPLI-CIVM. pag. 286. GORRAEI *Definit. Med.* pag. 485. et alios plures: Res enim ubivis ſat nota.

afflictae foeminae, tum convenientem, monita ſalutaria ac valde congrua nobis reliquit laudatus AETIVS [m]): *Aegra itaque cervice ac ſcapulis acclivis collocetur, femoribus et inguinibus declivibus; et in ipſis exacerbationibus, extremae partes deligentur, et pedes ac crura fricentur. Naribus autem odorata admoveantur* etc. et quae ibi ſequuntur plura. Quae cuncta ita in ſuum praeclarum alias opus tranſtulit ſaepius iam laudatus NICOLAVS PISO [n]) haud indicato tamen fonte, unde undam iſtam hauſerat: more nempe ab ipſo recepto quidem; ſed ipſis Lectoribus haud aeque accepto. Brevius autem, atque gravius, pro ſua adſcita conſuetudine, iſta omnia ſic complexus eſt ipſe HIPPOCRATES [o]): Ἄριϛον δὲ ἐρυγγάνειν, καὶ διανακαθίζειν, ἢ ἐλλέβορον προσίσχειν πρὸς τὰς ῥῖνας, καὶ πταρμὸν ποιέειν: *Optimum vero eſt, illam ructus emittere, et ſedentem collocare, et elleborum (album) admovere naribus, atque ſic ſternutationem inducere.* In quibus tamen paucis verbis Hippocraticis, illud ipſum verbum ſingularis plane compoſitionis, et rarius alias obvium, διανακαθίζειν, nonnihil ſuſpectum mihi videtur, ſicut et inde pariter viſum eſt ipſi FOESIO [p]). Quare forte ſcribendum fuerit: ἰθεῖαν ἀνακαθίζειν, *oportet illam rectam in Lecto collocare*, aut adhuc probabilius forſan, certe elegantius: ἰθύντατα καθίζειν, *corpore rectiſſime erecto in Lecto locare:* ſenſu ſane optimo, et huic quidem loco convenientiſſimo. Illud ἰθύντατα, vero vox eſt Homerica, ceu doctis notiſſimum; quali etiam alicubi utitur ipſe HIPPOCRATES, ἀνὴρ ὁμηρικώτατος, uti eum hinc recte vocarunt EROTIANVS, GALENVS et alii, quos iam dudum, hanc in rem, alibi laudavimus [q]): ubi ſcilicet, data quidem opera, de ipſo HIPPOCRATIS ſtilo

m) *Tetrabibl.* IV. Serm. IV. cap. LXVIII. pag. 813. *Collect. Vett. Med. Stephan.* Tom II.

n) Lib. III. cap. 51. pag. 558. ſeqq. Tom. II.

o) Lib. II. *de Morb. Mulier.* pag. 603. Tom. II. Opp. per LINDENIVM.

p) In *Oeconomia* HIPPOCRAT. pag. 95.

q) Tomo nempe II. *Opuſculor. noſtror. philol. Med.* pag. 190. ſeqq.

ſtilo Homerico, ſive poetico, tractavimus. Sed haec obiter ac veluti in tranſitu. Nunc vero et MOSCHIONEM [r]) audiamus, de iſtarum miſerarum foeminarum curatione ſic egregie differentem: ὅτε γυνὴ πέσῃ εἰς ἀῤῥώστημα ἀποπνίξεως ὑστερικῆς, καθιδρυέσθω ἐν κοιτῶνι θερμῷ καὶ λαμπρῷ, οὕτως, ἵνα τὰς στρωμνὰς πρὸς τὴν κεφαλὴν ὑψηλοτέρας ἔχῃ, ὥσπερ ὀρθῶς καθεζομένη, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὀρθῶν ὄντων τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν, τῇ αὐτῇ μὲν ἀῤῥωστίᾳ στραβῶται εἰώθασι, κ. τ. λ. *Quum Mulier ceciderit in praeſocationis uterinaê morbum, tum collocanda eſt in cubiculo calido ac lucido, ita, ut ſtramenta altiora fiant ad caput, et quaſi erecta, ſedeat, ac porrectis manibus, et pedibus eius, quae de valetudine torqueri ſolet, mentum eius frequentius moveatur, et voce excitetur*, etc. quae ſcil. hic addidit Vetus Interpres Latinus [s]).

§. CXXXIII.

Ad foedum porro uteri nimium relaxati et extenſi prolapſum apte ac ſcienter reponendum, ſequentia adiutoria et praeſidia, ex SORANO, praeſertim, idem ordinat AETIVS [t]): *Aegram ſupinam collocabimus, coxis, altioribus, reflexis Poplitibus, ac cruribus diſparatis. Deinde prolapſam uteri partem oleo tepido, aut Butyro, vel Betae, Malvae, Althaeae, Foenigraeci, ſeminis Lini, aut ſimilium, decocto fovebimus; et lanam convolutam, figura et craſſitudine, muliebri pudendo apte reſpondentem*

r) *Gynaec.* cap. 129. pag. 14. *Collect. Gyn.* SPACHII.

s) *Harmon. Gynaec.* Part. II. cap. 7. pag. 24. ibid. apud SPACHIVM.

t) *Tetrabibl.* IV. *Serm.* IV. ca. 76. pag. 818. Tom. II. *Collect. Vett. Med.* per HENR. STEPHAN. Conf. huc et maxime *Harmoniae Gynaecior.* Part. II. cap. 30. ex ipſo MOSCHIONE. pag. 36. *Collect. Gynaeciorum Spachianae*, ubi eadem fere omnia, hic quidem propoſita. leguntur, et alia quoque ſcitu digna, inſuper adiecta, conſpiciuntur; quae tamen cuncta huc operoſe transferre, nec tempus fugax iam permittebat, nec neceſſarium inprimis videbatur, iam ſemel dicta, bis, aut ter, iterum dicere, et aures iam feſſas laſſasque denuo fruſtra obtundere. Sed ſatis iam de his.

dentem accipiemus, eamque linteolo involvemus, et Acaciae, aut Hypociſtidis ſucco. Vino diluto intingemus, et utero apponemus, et citra violentiam, totum, quod prolapſum eſt, reprimemus, donec tota moles intra ſinum recipiatur. Poſtea Lanam in pudendum ſubdemus, et alium Lanae hapſum, in Vino adſtringente imbutum ſuperponemus, atque totum pectinem ſpongiis ex poſca expreſſis, integemus, et Mulierem reclinabimus, crura extenſa et coaptata habentem, ita, ut alterum alteri incumbat: tutius tamen fuerit, per faſciam, ad genua uſque, conſtringere. Quae omnia ſatis quidem diffuſe ac copioſe, perite tamen ſimul, et utiliter dicta, una cum antecedentibus ibidem, et ſubſequentibus, paene cunctis, ita rurſus in ſuum praeclarum alias opus ad verbum, ne apice quidem omiſſo, tranſtulit iam ſupra laudatus et una notatus, NICOLAVS PISO [u]): nec enim ibi, nec hic, ullam AETII, aut SORANI, fecit mentionem, ut tamen omnino debuiſſet.

§. CXXXIV.

Nec vero hic ſilentio praeteriri debet eximius ille hanc in rem locus, apud PAVLLVM AEGINETAM [x]) praeſertim, quum ille ipſe haud undique ſanus ſit, atque inde medela quadam critica, ut ita dicam, vel maxime indigeat. Sic autem ille, prout quidem in graeco exemplari Aldino vulgo legitur: *σχηματίζειν ὑπτίαν τὴν κάμνουσαν, ὑψηλότερα ἔχουσα τὰ ἰσχία, καὶ κεκαυμένας τὲ τὰς ἰγνύας, μετὰ τοῦ διεστάναι τὰ σκέλη· ἔπειτα λαβεῖν σύστρεμμα ἐξ ἐρίου, σχήματι καὶ πάχει ἀναλογοῦν τῷ κόλπῳ τῷ γυναικείῳ, περιβαλεῖν τε τοῦτο ἰσχνῶς ὀθονίῳ, καὶ καταβάπτειν εἰς χυλὸν ἀκακίας, κ. τ. λ.* deinde nonnullis interiectis iam ſupra ex SORANO commemoratis, haec adduntur: *κατακλίνειν τὲ τὴν ἄνθρωπον, ἐκτεταμένα καὶ συνηρμοσμένα ἔχουσαν ἀλλήλοις τὰ σκέλη, ὥστε τὸ ἕτερον ἐν θατέρῳ ἐπικεῖσθαι: Ipſam aegrotam ſupinam collocare decet, altiores coxas*

[u]) Lib. III. cap. 52. pag. 568. ſoqq. Tom. II.

[x]) Lib. III. cap. 72. pag. 55.

xas ſic habentem, et poplites incurvatos, cum cruribus diductis. Deinde recipere Hapſum lanae, figura et craſſitudine, ipſi ſinui muliebri reſpondentem, eumque tenui linteolo circumdare, et in ſuccum Acaciae intingere. Tum vero convenit, decumbere facere iſtam hominem, extentis et coaptatis inter ſeſe cruribus, ita, ut alterum alteri incumbat. Nunc vero foedas illas maculas ex hoc ſat venuſto alias loco, protinus tollamus, praeſertim, quum ipſe CORNARIVS in ſuis ad ipſum AEGINETAM, *dolabellis,* mire et nove ſic dictis, nullam *dolabellam criticam* hic adhibuerit, licet in ipſa verſione verum ex parte, ſenſum expreſſiſſe videatur. Nimirum κεκαυμένας ἰγνύας, ſignificat, ceu notum, *peruſtos poplites,* ſenſu hic plane frigido ac ridiculo: κεκαμμένας ergo eſſe legendum, hoc eſt, *inflexos,* ſeu *incurvatos poplites,* dubio ſane omni caret. Deinde in antecedentibus, pro ἔχουσα τὰ ἰσχία, mallem ſcribere ἔχουσαν, quia modo praeceſſit, ὑπτίαν κάμνουσαν, et praeſertim mox ſequitur, συνηρμοσμένα ἔχουσαν τὰ σκέλη: quanquam et vulgatum ἔχουσα, quodammodo tolerari poſſit, quoniam eiusmodi ἀνακόλουθα, apud Auctores non infrequentia ſunt, ut alibi obſervavimus [y]). Denique etiam pro ἰσχνῶς ὀθονίῳ, commodius certe et aptius, me quidem iudice, ſubſtitueretur ἰσχνῷ ὀθονίῳ, quoniam alias ſenſus obſcurus nonnihil et implicitus evadit, velut ἰσχνὸν ὀθόνιον, ſi ita quidem, per honeſtum iocum, dicere liceat. Sed de his ipſis minutiis criticis, et ipſo eximio illo AEGINETAE loco, attentione et explicatione noſtra digniſſimo, haec nunc demum ſufficiant.

§. CXXXV.

Quo verboſior autem et uberior ſupra fuit ex SORANO ſuo AETIVS, et ex parte, quoque PAVLLVS AEGINETA; eo nunc brevior atque parcior, more ſuo ſolito, erit ipſe HIPPOCRATES [z]) noſter

y) In *Obſervat. Crit. et Emendat.* ad ARETAEVM, pag. 518. *Edit.* BOERHAAV.

z) Lib. *de ſterilibus,* pag. 643. Tom. II. Opp.

ſter, ita nimirum de hac ingenti calamitate uterina, iamiam proxime metuenda, paucis commentatus: τὴν κλίνην ὑψηλοτέρην πρὸς ποδῶν κεῖσθαι· ὑποθυμιῆν δὲ, ὑπὸ μὲν τὰ αἰδοῖα, κακώδεα, ὑπὸ δὲ τὰς ῥῖνας, εὐώδεα, κ. τ. λ. καὶ μὴ λȣέσθω, μηδὲ τῷ ἀνδρὶ ξυγκοιμάσθω: *Lectus a pedibus, altior ſit; et graveolentia ſub pudendum ſuffito; ſuaveolentia vero ſub nares: et non lavetur, nec Viro condormiat.* Haec quidem ille, de prono iam ac propenſo in foedum prolapſum utero: quae ipſa, iisdem paene verbis, ter repetit alibi [a]). Nunc vero, hoc ipſo Loco, iam ſupra indicato, contra veram demum ac perfectam inverſi ac relaxati uteri procidentiam, ſtatim ſequentem commodum et convenientem ſitum ac decubitum miſellis illis foeminis ſoler-ter iniungit: κεῖσθαι ὑπτίην, ἄνω τὰ σκέλη ἔχȣσαν ἐκτεταμένην· κάπειτα σπόγγον προσθείς, ἀναδῆσαι ἐκ τῶν ἰξύων: *Eiusmodi foeminam decumbere decet ſupinam, pedesque ſurſum extentos habere: poſtea vero apponenda eſt ſpongia, et ad ipſos lumbos deliganda:* et quae ibi ſequuntur plura: Quae pariter alibi [b]), bis, ita facienda, diligenter commendat: κατακείσθω ὑπτίη, ἄνω τȣ̀ς πόδας ἔχȣσα, ἐκτεταμένη· ἔπειτα σπόγγȣς ἐπιθεὶς, ἀναδῆσαι ἐκ τῶν ἰξύων: *Decumbat autem iſta ſupina, pedes ſurſum extentos habens: poſtea ſpongias imponito, et ex ipſis Lumbis deligato.* Haec ille. Quem magnum, fidum, tutum ac prudentem ducem in hoc etiam prudentiſſimo Conſilio, ſicut et in aliis pluribus, poſtea certatim, alacriter ac confidenter ſequuti ſunt omnis aevi generisque Medici ac Chirurgi praeſtantiſſimi exercitatiſſimique, veluti BOTTONVS [c]), PARAEVS [d]), AKAKIA [e]), MERCATVS [f]) aliique, in

Bb 2 *Collectione*

[a]) Lib. nempe *de Natura Mul.* pag. 360. et Lib. II. *de Morb. Mulier.* pag. 570. Tom. II. ut et Lib. *de Foetus Exſectione,* pag. 664. Tomo eodem.

[b]) Locis nempe citatis, pag. 361. et pag. 570.

[c]) Lib. *de Morb. Mul.* cap. 73. pag. 394. apud SPACHIVM.

[d]) Lib. *de Hominis Generat.* cap. 41. pag. 429. ibidem.

[e]) Lib. I. *de Morb. Mulier.* cap. 10. pag. 763. apud SPACHIVM.

[f]) Lib. II. *de Mulierum affectionibus,* Cap. XI. pag. 930. ſeqq. apud eundem SPACHIVM.

Collectione Spachiana comprehenſi; quibus poſtea merito acceſſerunt PLATERVS, BARTHOLINVS, SCHENCKIVS, BONETVS, ipſe magnus RVYSCHIVS, aliique, item denique diligentiſſimus SCHVRIGIVS, et quos ibi allegat Auctores plures utiliſſimos lectuque digniſſimos. Neque id ſane mirum: Namque et ipſa huius rei Natura, et ſana praeſertim Ratio, et frequens denique conſtansque Experientia nihil aliud quidquam ſuadere, immo imperare hic videntur, quam quidem eiusmodi decubitum ſupinum, et pedibus ſurſum extentis, ſuſpenſum quaſi, immobilem, tranquillum atque quietum, nec ulla denique intempeſtiva ipſius corporis aegri converſione ſubito interturbatum. Sed de his nunc quidem hactenus.

§. CXXXVI.

Nec diſpar ſane conſilium in ipſius Vteri Reclinatione, Averſione ac Recurſu denique caute ſubminiſtravit celebris illa in ardua obſtreticandi arte, et in procurando quoque Abortu, famoſa olim ſatis, ASPASIA, apud eundem AETIVM [s]), his quidem verbis, notatu certe non indignis: *Mulier tum acclivis decumbat capite, et, ſi compoſitus recte uterus rurſum retrahatur, foetida ſtatim naribus admoveantur, et ſternutationes provocentur, et, ſi urina ſupprimatur, fiſtula Veſicae, ad hoc deſtinata, proliciatur, ac, ſi ab his, exacerbatio fuerit exoluta, quieſcendum eſt.* Verum et hic nobis quaſi quieſcendum eſt, quoniam Veteres nempe Medici ac Chirurgi, quantum ſcilicet, nobis quidem conſtat, hic pariter quieſcunt, et de his ipſis adiutoriis tacent. Interea tamen nondum dimittamus plane noſtrum AETIVM AMIDENVM, qui nobis tam pulchra et utilia veterum Medicorum fragmenta, tanquam laceras tabulas, e naufragio, magno gratae poſteritatis commodo, adhuc ſervavit.

§. CXXXVII.

s) *Tetrabibl.* IV. *Serm.* IV. cap. 77. pag. 820. Tom. II. *Collect. Vett. Med.* per HENR. STEPHANVM.

§. CXXXVII.

Quorſum et illud inprimis Caput integrum pertinet, quod ex PHILVMENO totum ibi tranſumtum, potiſſimum agit *de ſubita uteri ipſius inflammatione,* quae HIPPOCRATE ipſo iudice et monitore [h]) miſerrimis foemellis pernicem ſaepius, perniciem adfert, et non obſtante ſummo et ardentiſſimo fervore, gelidae tamen morti illas confeſtim tradit, ita, ut pauciſſimae inevitabile iſtud fatum ſalvae effugiant. Quid igitur circa Cubicula ac cubilia in tanto Vitae diſcrimine conſtitutarum foeminarum, potiſſimum ſit obſervandum, ita laudatus modo PHILVMENVS candide et ſolerter tradidit apud citatum modo AETIVM [i]): *In principio itaque, Curationem adgreſſi, Aegrotam ipſam in domicilio obſcuro et moderate tepido, collocabimus, quietem imperantes, et omni crurum motu interdicentes, deinde artus manuum contrectatione, demulcebimus, et pedum ac manuum iunčturas fovebimus, et irrigabimus, ac lana denique pura integemus.* Haec igitur ita ſapienter et φιλοφρόνως, PHILVMENVS ille, approbante recte, in omnibus, ipſo AETIO, qui ceterum, pluribus ibi tractat de illa ſollicita, difficili ac laborioſa curatione eiusmodi Mulierum miſerandarum, quae ſiniſtro ſuo et infeſto fato, in iſtum ignitum veluti Perilli Taurum repente coniectae fuerunt, et vix ſpem habent reliquam, ex diris iſtis flammis feliciter eluctandi. Interea vero nunc illis Aetianis ſubiungendus omnino eſt ille MOSCHIONIS [k]) ſaepius iam laudati eximius plane locus, qui in omnibus paene, perquam accurate reſpondet ſaluberrimo iſti ac prudentiſſimo PHILV-

h) Lib. *de Natura Mul.* pag. 365. ſeqq. Tom. II. Opp. et fuſius accuratiusque, Lib. II. *de Morbis Mulierum,* pag. 585. ſeqq. et paſſim in iſtis Libris. Conf. huc et HIERONYM. MERCVRIALIS Lib. IV. *de Morb. Mulierum,* cap 18. pag. 291. ſeqq. apud SPACHIVM, in *Gynaec.*

i) *Tetrabibl.* IV. *Serm.* IV. cap. 83. pag. 823. *Collect. Vett. Med.* HENR. STEPHANI, Tom. II.

k) Lib. *de Mulierum Affect.* Cap. CXXVII. pag. 13. *Collect. Gynaeciorum Spachianae.*

MENI conſilio: ſic autem ille: *ταύτας τοίνυν γυναῖκας κελεύομεν ἀνακλινθῆναι ἐν κοιτῶνι μετρίως φωτεινῷ καὶ θερμῷ, ἡσυχίαν ἔχειν, καὶ ἔτως, ὡς ἐπὶ δυσὶν ἡμέραις, τροφὴν μὴ λαμβανέτωσαν· χερσὶ τοίνυν θερμαῖς τὰ ἄκρα αὐτῶν διακατατεθείτωσαν, καὶ ἐρίοις σκεπαθήτωσαν, κ. τ. κ. Huiusmodi igitur foeminas iubemus iacere in cubiculo mediocriter calido ac lucido, ſilentiumque habere, et ita quidem, ut biduo, cibum non accipiant. Manibus etiam calidis extrema earum contineantur, et lanis contegantur.* Haec ita ſat bene vertebat vetus ille Interpres Latinus [l]). Ceterum eadem fere conſilia et adiumenta iam ſupra ſubminiſtraverat MOSCHIO noſter, quum de nimio Menſium profluvio, item et de moleſtiſſimo ac moeſtiſſimo eorundem ſtillicidio, tractaret; quemadmodum luculentius ex illis patebit, quae ſuperius, in antecedentibus [m]) de utroque iſto diro duroque mollium nimis foeminarum affectu, data quidem occaſione, diximus, ubi et illa ipſa eximia ipſius MOSCHIONIS hanc in rem, loca diligenter ac fideliter a nobis producta fuerunt. Verum de his nunc hactenus.

§. CXXXVIII.

Quo et propter proximam nempe viciniam, pertinet omnino ſordida illa ipſius *ſedis relaxatae procidentia,* ſeu *prominentia,* frequens quoque ac moleſtum, valde Malum foeminis praeſertim gravidis ac puerperis, inprimis poſt longum, difficilem ac laborioſum valde partum, multosque clamores, niſus, anhelitus, et alvi uterique compreſſiones; item etiam in Viris, poſt longam diarrhoeam, dyſenteriam ac Teneſmum, item poſt diuturnas Haemorrhoidas, praeſertim caecas, aliaque infimi Ventris praegreſſa mala et incommoda: ceu Medicis omnibus, putem, dudum notiſſimum. Tali igitur foedo et ingrato ani inverecundi prolapſu laborantibus ſequentem potiſſimum

l) *Harmoniae Gynaecior.* Part. II. cap. 3. pag. 23. eiusdem *Sylloge Spachianae.*

m) Scilicet §. CXXXI.

ſimum decubitum prudenter praeſcripſit ſic dictus AESCVLAPIVS [n]), iam ſaepius ſupra, citatus: *Ergo uti diligentia debent, pro cauſſa ani, operatione Medicinae, et vaporationem ſpongiarum apponendo, ad caſum, vel tumorem eius: ut ſupini iaceant in Lectulo, patientes; ex ſpongia tenera, et lana molli, poſt vaporationem, ex calda, ubi coxerit, aut malva, aut lini ſemen, aut ſoenugraeci vaporando: et poſt hoc, apponendo, ut dixi, ſpongiam teneram, vel lanam mollem, et ſuperligando.* Hactenus perſonatus ille AESCVLAPIVS.

§. CXXXIX.

Quae cuncta, pauciſſimis tantum exceptis, ad verbum paene, ſic pariter repetuntur apud GARIOPONTVM [o]), quare eadem huc iterum ex ipſo, operoſe transferre, ſupervacaneum omnino atque praepoſterum videtur. Hoc unicum tamen pace Lectorum, hic mihi paucis, animadvertere liceat: Miram ſcilicet ibi eſſe Inſcriptionem: *de ſignis Ficteris,* atque mox ibidem, Capite ſequenti XXXI. *de Paralyſi Ficteris.* Quid vero barbara illa et ignota *Ficteris* Vox ſignificet? ipſum quidem Anum eam denotare, ipſe indicat GARIOPONTVS, item et CANGIVS [p]) ſed neuter tamen veram mirae huius denominationis originem ac rationem certam perſpicue tradidit: Nobis interim, donec meliora forſan ab aliis promantur, haud plane improbabile videtur, detortum eſſe illud barbarum et inauditum fere *Ficter* apud GARIOPONTVM, ex Graeca illa voce Σφιγκτὴρ *ſphincter.* Quid vero Ani ſit ſphincter, nemo non Medicorum et Anatomicorum probe ſatis novit, quare longam eius explicationem hic inani et ſupervacua plane opera, tradere nolo, praeſertim, quum iam alibi [q]) breviter de iſto ſphinctere egerim. Ceterum

n) Lib. *de Morborum Origine et Curat.* Cap. XLIII, pag. 73.
o) Lib. III. cap. XXX. pag. 65. b. et pag. 66.
p) Tom. III. *Gloſſar. Mediae et Infimae Latinitatis,* pag. 467.
q) Tom. II. *Opuſculor. Med. Philol.* pag. 285.

terum autem tales vocum graecarum horridas, barbaras ac ſaepe ridiculas diſtortiones, corruptiones et mutationes monſtroſas, paene innumeras apud GARIOPONTVM hunc ubique occurrere, ſatis notum eſt, et dudum quoque obſervatum, magno THOMAE REINESIO r) quin et a nobismet ipſis, iam ſupra s) aliquoties animadverſum. Sed de his nunc hactenus.

§. CXL.

Verum relictis nunc demum *Vteris illis aegris*, ſtrangulationem minantibus, foede propendentibus, et deformen veluti ſcroti muliebris

r) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 4. pag. 406. ſeqq. et cap. 11. pag. 514. ſqq. et denique cap. 12. pag. 548. ſeqq.

s) Scil. pag. 71. pag. 100. pag. 103. et paſſim alibi. Sed tales enormes et ridiculae graecarum vocum depravationes ubique, ingenti copia, apud ipſum occurrunt, ut exempli cauſſa, *Eclipſis*, pro *Thlipſis*, *Affixia*, pro *Aſphyxia*, *Oregmos*, pro *Rhogmos*, *Iusquiamus*, pro *Hyoſcyamus*, atque ita porro, praecipue autem Lib. V. cap. ult. paralyticis ſuadet unguentum, inter alia, ex *Pedaſina*, compoſitum, quae ipſa horrida et ingrata vox utique *aſinini* quid redolere videtur. Quare magnus alias REINESIVS, Lib. III. *Var. Lect.* cap. 12. pag. 548. et pag. 691. iſtam quidem interpretatur de planta *onopordo*, vulgo dicta, a foetido nempe effectu, apud pigros aſinos ea veſcentes, teſte PLINIO, Lib. XXVII. cap. 12. ſed infelici admodum et plane degeneri coniectura, ſit venia dicto! tum enim potius dicenda illa fuiſſet ſecundum analogiae regulas, *Aſinipeda*, et non *Pedaſina*. Inde igitur vix mihi ſupereſt dubium, quin bonus iſte, aut tum malus potius, GARIOPONTVS pro *Thapſia*, quod ſcribere omnino debebat, more ſuo ſolito ac fere ſtolido, ridicule plane et inepte ſcripſerit *Pedaſina*, voce aſino et aſinis utique digniore, quam GARIOPONTO Medico. *Thapſiam* vero, inprimis in ungentis adhibitam, convenire maxime paralyticis, dudum obſervarunt GALENVS, DIOSCORIDES, COELIVS AVRELIANVS, PLINIVS VALER. MARCELLVS EMPIRICVS, AETIVS, ARCHIGENES, et alii plures. Sed de his alibi, ſuo loco, plura. Iam vero haec obiter hic dicta ſufficiant.

liebris formam referentibus, ardentiſſima inflammatione correptis et corruptis, aut quocunque modo alio vitiatis, aut a ſtatu ſuo naturali longius remotis et alienatis; iam e contrario, feliciore omine, conſideremus potius *Vteros ſanos, foecundos*, foetus maturos geſtantes et fauſtam inde Lucinam proxime expectantes, et implorantes. Quibus proinde, ad arduum illud Naturae negotium aptius, facilius ac felicius expediendum, ac commodius abſolvendum, neceſſario requiruntur *Lecti* quidem, aut *Sellae Lochiaeae,* aut *obſtetriciae,* in quibus aut iacentes, aut ſedentes, laborantes illae puerperae, partu tandem feliciter exolvuntur, ceu nemini non notiſſimum. Hic vero mirum quantum inter ſeſe diſſident, praeſtantiſſimi cetera, arduae illius Artis obſtetriciae Magiſtri. Nonnulli enim illorum, praeſertim antiquiorum, ipſas *Sellas* longiſſime praeferunt *Lectis:* alii rurſus, maxime recentiorum, e contrario, *Lectis Sellas* poſtponunt: Nec ſane utrique diſcordantium parti ſua deſunt argumenta, ſat ſpecioſa, quibus muniant ac defendant ſuas diverſas quidem opiniones: ceu pluribus videre licet in editis de puerperio caute ac perite tractando, Libris utiliſſimis, MAVRICAEI [t]) DIONIS [u]) MOTTAEI [x]) et aliorum recentiorum, qui hucuſque hoc nobile argumentum digne tractarunt, ut ſtudio iam taceam MERCATVM, MERCVRIALEM, PARAEVM, BOTTONVM, RODERICVM a CASTRO, AKAKIAM, aliosque partim in *Sylloge Gynaeciorum Spachiana,* obvios, partim ſeorſum poſtea editos, veluti SCIPIONEM, vel HIERONYMVM MERCVRIVM, ipſiusque interpretem et commentatorem

t) Lib. II. cap. 7. pag. 157. ſeqq. et paſſim.

u) Lib. III, cap. 3. pag. 314. ſeqq. Edit. German. per Cl. IO. TIMMIVM *Bremenſem.*

x) Tract. *de Morbis Gravidarum et Puerperarum,* Lib. II. cap. 12. pag. 283. ſeqq. et paſſim, ex Verſione, et auctiore Editione Cl. et peritiſſimi SCHEIDII.

tatorem WELSCHIVM, utet CORNELIVM SOLINGEN [y]), quia haec omnibus nota eſſe omnino arbitror. Sed

Non noſtrum, inter vos tantas componere lites.

§. CXLI.

Illis vero, qui Sellas tollere vellent, Lectosque contra extollere et introducere mallent, noſtra quoque aetate, acceſſit praeſertim Celeberrimus Medicus ac Profeſſor Patavinus, BERNARDV's ille RAMAZZINI [z]) utpote qui ſuis Italis, Sellarum uſui in puerperio, praecipue dudum aſſuetis, variis ſpecioſis quidem argumentis, blande perſuadere conatur, ut moleſtas illas et parientibus feminis, et ipſis aſſidentibus obſtetricibus ſellas, ſive cathedras tandem prorſus amoveant, et commodos contra molles ac blandos Lectos in poſterum admoveant: quae ibi pluribus legantur, ab harum quidem rerum curioſis.

§. CXLII.

Inter alia vero ſequens ibidem ſingulare dubium proponit, dignum omnino, ut merito quidem videtur, noſtra attentione et obſervatione: *Num apud Veteres, puerperae ſuper Sellas, an in Lectulis, foetus ſuos edere, pro more haberent; mihi non ſatis compertum, utut in hanc diſquiſitionem curioſe incubuerim. Id autem ſatis perſpectum eſſet, cum multis aliis, ſcitu dignis, niſi Vulcanus ſortem hanc Literariae Reipublicae invidiſſet,* THOMAE BARTHOLINI *Bibliothecam concremando, ubi opus elegantiſſimum, ad umbilicum paene deductum,* de puerperio Veterum, *Vir clariſſimus habebat.* Haec ille.

§. CXLIII.

y) Qui Auctores praeſtantiſſimi inprimis commendant uſum *Sellarum obſtetriciarum*, variasque ipſarum formas ac figuras commodiores et utiliores, nitide delineatas, Lectorum oculis proponunt.

z) Diatriba, *de Morbis Artificum*, Cap. XIX. pag. 134. ſeqq.

§. CXLIII.

Quamvis igitur ego pariter, cum univerſo orbe literato, ardentiſſime optaſſem, ut vorax furaxque flamma eximium illud et publica quidem luce ſplendidiſſima digniſſimum opus haud in ſordidos cineres redegiſſet, ſicque puerperium vel in ipſo proximo ac maturo partu, crudeliter enecaſſet, quin potius clementer ipſi perperciſſet, ut ita illud funeſtam Libitinam evitare, et fauſtam contra venuſtamque Lucinam, ac levem facilemque Levanam, felici ſub naſcendi ſidere, experiri potuiſſet: Illud tamen irreparabile fere damnum poſtea quodammodo, non plane infeliciter, reparavit CASPARVS BARTHOLINVS, tanto patre digniſſimus certe Filius, publicato eximio illo, et ad ipſius venerandi parentis mentem, ductum, atque editam quondam *Synopſin*, elaborato Libello, maioris aliquando operis prodromo, (quod tamen pariter nunquam prodiit,) *de Antiquitatibus Puerperii,* ceu notum: In quo etiam inter alia plura, notatu quidem digna [a]), ex CATVLLO, IVVENALE, VARRONE, SERVIO, PRVDENTIO, DIODORO SICVLO, paucisque aliis, veluti obiter, obſervat, in *Lectis genialibus,* ſeu *adverſis,* plerumque olim peperiſſe foeminas quidem gravidas: intactis tamen prorſus ibidem, *Sellis obſtetriciis.* Quo et illa inprimis pertinet PHAEDRI *fabella* [b]) imo rectius, vera Hiſtoria, uti mox ex PLVTARCHO [c]) docebitur: quae quoniam brevis, integra hic legatur:

Inſtante partu, Mulier peractis menſibus,
Humi iacebat, flebiles gemitus ciens:
Vir eſt hortatus, Corpus Lecto reciperet,
Onus Naturae melius quo deponeret:
Minime! inquit, illo poſſe, confido, loco,
Malum finiri; quo conceptum eſt initio.

 Sed

[a]) Vid. pag. 54. ſeqq. *de Puerperio Veterum.*

[b]) Lib. I. *Fabella* XVIII. ubi vid. BVRMANN. et alios Interpretes.

[c]) *Praecept. Nuptial.* pag. 143. Tom. II. Opp. conf. DIODORI SICVLI Lib. IV. pag. 284. Tom. I. Edit. WESSELINGII.

Sed hanc ipſam Veterem Hiſtoriam, quondam notiſſimam, ita ore rotundiore enunciare Muſa Graia dedit PLVTARCHO modo laudato: Γυνή τις ὠδίνουσα καὶ δυσφοροῦσα, πρὸς τοὺς κατακλίνοντας αὐτὴν, ἔλεγε. πῶς δ' ἂν ἡ κλίνη ταῦτα θεραπεύσειεν, οἷς ἐπὶ τῆς κλίνης περιέπεσεν: *Mulier quaedam, quum acerbiſſimis partus inſtantis doloribus urgeretur; illis, qui ipſam in Lectum reclinare vellent, indignata, reſpondit: Et qui quaeſo, diris his Malis Lectus nunc poſſit mederi, in quae in ipſo illo Lecto prius incidi?* Hactenus opulentiſſimus ſcituque digniſſimis rebus abundantiſſimus PLVTARCHVS. Ex quibus huc usque quidem relatis, et alibi quoque in hunc certe ſenſum, paſſim commemoratis, apud Veteres, locis et exemplis, forſan haud obſcure, nunc opinor, colligere licebit, in ſtatu ſcilicet naturali, facilique et expedito partu, electos olim plerumque fuiſſe *Lectos,* ad maturos nempe foetus in iisdem excludendos, ipſasque ſimul puerperas duro arduoque partus moleſti labore feſſas nimium ac viribus paene exhauſtas, molli quiete, ac tranquillitate ſenſim reficiendas et refocillandas. Quies enim, ut poeta vere dixit

Feſſa diurnis
Membra miniſteriis, nutrit, reparatque labori.

§. CXLIV.

Sed etiam aliquando, urgente ſcilicet ſumma neceſſitate, ad Lectum tandem properandum eſt, in adverſo ſcilicet illo ſtatu non naturali, quando nempe ipſe foetus, ob ſitum transverſum, aut alio modo perverſum, aut alio denique quocunque caſu, vitiatum ac diſtortum, vel propter ipſam demum mortem, in ipſis maternis viſceribus, praemature obitam, aliasve cauſſas, Medicis obſtetricantibus ſatis notas, optatum demum exitum moliri nequit; quin potius cum ſummo Vitae ambiguae diſcrimine ipſius miſerandae matris, in arido et arcto iam oſtio conſtrictus, ac coarctatus, veluti pertinaciter haeret fruſtra luctatur, adeo, ut tandem ad ſervandam ipſam puerperam, confugiendum ſit ad ſaevum ferrum, dirumque uncum,

uncum, aut aſperum *Scolopomachaerium*, ut AEGINETA habet, ad Embryulciam nempe protinus ſuſcipiendam, ipſumque lacerum mutilumve foetum, vel fruſtatim extrahendum, quando nimirum, ut iſta poetae commode huc applicare liceat:

Anteit ſaeva Neceſſitas,
Clavos trabales, et Cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeverus
Vncus abeſt, liquidumque plumbum.

Eo inquam, moeſto ac funeſto tempore, confeſtim Lecto apte inſtructo imponenda eſt infelix illa ſine ſperata prole, puerpera, cui nempe alias

Rite maturos aperire partus,
Lenis Ilithya

Immitis potius defuit, et officium obſtetricium ſaeve denegavit.

§. CXLV.

Sic enim clariſſime CORNELIVS noſter CELSVS [d]) ubi diſerte et perite agit, et oſtendit, qua ratione partus emortuus ex utero excutiatur: *Oportet autem ante omnia, reſupinam Mulierem transverſo Lecto ſic collocare, ut feminibus eius ipſius ilia comprimantur: quo ſit, ut et imus Venter in conſpectu Medici ſit, et infans ad os vulvae compellatur; quae, emortuo partu, id comprimit; ex intervallo vero paullatim dehiſcit:* ubi videantur reliqua plura, quae huc omnia integra transferre, non eſt neceſſarium. Neque diſſentit in his, ut par ſcilicet erat, PAVLLVS AEGINETA [e]) paribus paene verbis, a CORNARIO quidem, prius nonnihil emendatis, ita ſcribens: *κατακλιθείσης τοίνυν ἐπὶ κλίνης, ὑπτίας τῆς γυναικὸς, καὶ μᾶλλον κατάῤῥοπον τὰ σκέλη ἐπηρμένα, διακρατήτωσαν ἑκατέρωθεν, γυναῖκες, ἢ ὑπηρέται τινες· εἰ δὲ μὴ παρείησαν, διὰ τινῶν δεσμῶν, τῷ κλινιδίῳ τὸν θώρακα προσκαταλαμβάνειν τῆς γυναικὸς ὥστε μὴ πρὸς τοὺς ἐπισπασμοὺς ἀκολουθοῦν τὸ σῶμα, τῆς ὁλκῆς τὸν τόνον ὑπεκλύει*

d) Lib. VII. cap. 29. pag. 489.
e) Lib. VI. cap. 74. pag. 93.

κλύει, καὶ παραςελλομένων τῶν πτερυγωμάτων, δι ὑπηρέτε, τὴν εὐώνυμον χεῖρα συνηγμένην, μετ' εὐρώςων δακτύλων λελιπασμένην καθιέναι πρὸς τὸ ςόμα τῆς μήτρας, καὶ διευρύνειν αὐτὸ, κ. τ. λ. *Reclinata igitur in Lecto, ſupina Muliere, et magis, ut deorſum vergat, mulieres, aut miniſtrae quaedam, crura elevata utrinque teneant; ſi hae non adſint, per vincula quaedam, thoracem ipſius Mulieris ad Lectum deligato, utne, dum attrahitur Foetus, corpus ipſius ſequens, tractus vigorem exolvat. Deinde pudendi alis per miniſtrum diductis, ſiniſtram manum contractam, cum robuſtis et conſtrictis digitis, prius pinguefactam, in uteri oſculum demittito, et ipſum dilatato:* et quae ibi ſequuntur plura, per otium, ſi opus, legenda. Ibidem vero ſimul etiam ad alium locum parilem provocat, ex ſuperioribus quidem Libris petitum [f]) qui ita habet: τὴν δὲ καταπίμελον γυναῖκα ἐν τῇ κλίνῃ πρηνῆ σχηματιςέον, προσυποκλίνασαν τοῖς μηροῖς τὰ γόνατα, διὰ τὸ τὴν ὑςέραν πρὸς ἐπιγάςριον φερομένην, κατ' εὐθὺ τε ςομίε γίνεσθαι κ. τ. λ. *Nimis vero obeſam Mulierem in ipſo Lecto pronam figurare decet, quibus nempe ad femora inclinatis, quo uterus ipſe ſic ad abdomen delatus, e directo ipſius oſculi ſiſtatur.* Quae omnia ſic pariter exhibet EBN. SINA, cuius locum a ſemetipſo accuratius converſum, retulit doctiſſimus WELSCHIVS [g]). Quem ipſium vero egregium alias PAVLLI noſtri Locum, aliquot tamen foedis mendis contaminatum, ita hic Lectorum quidem pace, exhibuimus, quomodo ipſum emendandum eſſe, modeſte cenſebamus: vulgo enim ſine omni fere ſenſu, in ipſa ſplendida alias Editione Aldina, legitur: τῇ δε καταπίμελον ἐν τῇ κλίνῃ πρὶν ἢ σχηματιςέον: quibus ſane, ut quivis manifeſte deprehendet, nullum plane bellum aut venuſtum ſchema ineſt, praeſertim vero in monſtroſis illis verbis πρὶν ἢ, quae ipſa forte ne ſagaciſſimus quidem Haruſpex Tuſcus facile intellexerit, aut explicuerit

f) Lib. III. cap. 76. pag. 56. conf. *Harmon. Gynaec.* Part. I. cap. 12. pag. 11. *Collect. Spach.* et PISONIS Lib. III. cap. 55. pag. 597. ſeqq. Tom. II. ubi haec tranſumſit.

g) *Curat. Med.* II. Decad. VIII. pag. 473. ſeqq. ubi et plura, quae huc ſpectant, ad hoc noſtrum argumentum.

explicuerit: adeo, ut hinc mirum omnino ſit, ipſum IANVN CORNARIVM in ſuis ad AEGINETAM, *Dolabellis* ſic dictis hunc ipſum ſcabrum, nodoſum et deformem plane locum haud concinne ac affabre edolaſſe; qui tamen in ſuperiore ipſius AEGINETAE loco, pariter in nonnullis, vitioſo, in iisdem *Dolabellis* [h]) pro male vulgato συνηγμένων, melius aptiusque ſubſtituerat συνηγμένην, ſcilicet χεῖρα, quod proxime praeceſſit, et pro ſequenti mox ibidem, λελεπτυσμένην, (quod ipſum re vera eſt λελεπτυσμένον, et nullius momenti, aut ſenſus commodi ac perſpicui) rectius pariter, felicius, et quaſi unctius, λελιπασμένην, *manum*, ſcil. *unctam*, ſenſu convenientiſſimo. Sic enim manifeſto CORNELIVS CELSVS [i]) de hoc ipſo arduo foetus extrahendi negotio: *Medicus unctae manus indicem digitum primum debet inſerere:* ut alia taceam, apud AETIVM, GALENVM, MOSCHIONEM inprimis, aliosque Medicos Veteres, de his *manibus unctis*, paſſim occurentia, res enim omnibus chirurgis et obſtetricibus ſatis, opinor, nota. At iam haec ſufficiant.

§. CXLVI.

Sed longe alium *Lectum*, mobilem nempe, exemtilem ac *concuſſibilem*, ut ita cum TERTVLLIANO, loqui liceat, ad excutiendum demum abortum, aut foetum iam mortuum, obſtinate immotum, intus haerentem, nec exire paratum, ita operoſe proponit, ac copioſe deſcribit ipſe noſter HIPPOCRATES [k]): κλίνην λαβεῖν ὑψηλὴν, ῥωμαλέην,

[h]) Inſertis nempe Tomo I. *Collect. Medicor. Vett. Princip.* STEPHAN. pag. 735.

[i]) Lib. VII. cap. 29. pag. 490.

[k]) Lib. I. *de Morbis Mulierum*, pag. 481. Tom. II. Opp. per LINDEN. conf. et ibidem, Lib. *de Articulis*, pag. 796. ſeqq. ubi ſingularis et artificioſa *Scala*, huic ipſi *Lecto* agitabili paene ſimilis, et aeque mobilis, ad ſpinae gibbae, aut incurvatae, aut alio denique modo vitiatae directionem, extenſionem ac repoſitionem, per aequalem, praecautam ac

ἐῤῥωμαλέην, καὶ ὑποστορέσαντα, ἀνακλῖνειν τὴν γυναῖκα ὑπτίην. τὰ δέ γε στήθεα, καὶ τὰς μασχάλας, καὶ τὰς χεῖρας, προσκαταλαμβάνειν ταινίῃ, ἢ ἱμάντι πλατεῖ, μαλθακῷ, πρὸς τὴν κλίνην, καὶ ζωννύειν, καὶ τὰ σκέλεα ξυγκάμψαι, καὶ κατέχειν τοῖν σφυροῖν κ. τ. λ. *Lectum altum, robuſtum, et inſtratum ſumito, et ipſam Mulierem ſupinam reclinato; pectus autem, et axillas, ac manus, faſcia, aut molli, lato loro, ad ipſum Lectum alligato ac cingito, et crura ipſius incurvato, et malleolis apprehenſam, ita firmiter detineto.* Sequuntur ibidem nunc longe plura, de ipſo illo violento et formidabili ipſius concuſſionis actu; quae tamen potius ibi per otium, legantur; quam huc, cum taedio forſan Lectorum, parum commode transferantur. Interea vero ad plenam ac perſpicuam ſatis ipſius huius loci Hippocratici diffuſi ac copioſi explicationem et illuſtrationem, conferri potiſſimum hic meretur doctiſſimus MAVRICIVS CORDAEVS [l]), et hoc doctiſſimo Viro longe adhuc doctior, GEORGIVS HIERONYMVS WELSCHIVS [m]), ut alios plures iam taceam, qui ad hoc ipſum arduum HIPPOCRATIS conſilium reſpexerunt, aut eundem illuſtrarunt, quos inter locum quoque ſuum invenit ipſe PAVLLVS AEGINEYA [n]), licet hanc violentiorem et aſperiorem *concutiendi methodum* in tenera nempe debilique foemina gravida, laborioſo praeſertim, at inani ſimul et ſubventaneo veluti partu, iuſto diutius, iam fruſtra, delaſſata, et omnibus paene viribus vitalibus exhauſta et ſpoliata, audacius praeſidentiusque tentandam ac ſuſcipiendam, nec approbare penitus, nec prorſus reiicere; ſed potius tacite in medio relinquere, prudenter videatur.

§. CXLVII.

ac circumſpectam undique concuſſionem, apte inducendam, operoſe et exacte deſcribitur. Vbi conf. GALENVS, pag. 376. ſeqq. Tom. XII. Opp. Sed haec obiter.

l) *Comment.* in I. HIPPOCRATIS Libr. *de Morb. Mul.* pag. 679. ſeqq. in ISRAEL. SPACHII *Sylloge Gynaeciorum.*

m) *Curat. Med.* II. Decad. VIII. pag. 474.

n) Lib. III. cap. 76. pag. 56. conf. et huc maxime *Harmon. Gynaecior.* Part. I. cap. 12. pag. 11. *Collect. Spachianae citatae.*

§. CXLVII.

Aliam vero aliquando *mitiorem concuſſionem* proponit alibi [o]) idem graviſſimis Auctor, ſcil. HIPPOCRATES, hoc nempe modo: *ἔπειτα δὲ ἐς κλίνην ἀνακλῖναι τὴν γυναῖκα ἐπὶ κεφαλὴν, τὰ δὲ σκέλεα ἄνω ἔχειν, καὶ τὰς γυναῖκας πάσας λαβέσθαι τοῖν σκελέοιν, ἀφείσας τὰς χεῖρας· ἔπειτα σείειν πολλάκις ποιεῖν τὰς γυναῖκας ἐπὶ τοὺς ὤμους, καὶ ποιεῖν ἀναβολὰς ἐπὶ τὴν κλίνην, ὅκως ἐς τὴν εὐρυχωρίην ἐπανασεισθὲν τὸ ἔμβρυον στραφῇ, καὶ δύνηται ἐπὶ φύσιν ἰέναι*: *Poſtea in Lectum reclinetur Mulier in caput, ita, ut crura ſurſum habeat, et Mulieres omnes praeſentes* (nempe *quatuor illae,* quae crura atque manus firmiter apprehenderant, quod ſcilicet praeceſſit) *ipſam pedibus corripiant, manibus demiſſis, ſaepeque concutiant, ac reiectionem in humeros faciant in Lecto, quo ipſe foetus in ſpatioſiorem locum ſic retruſus, commode vertatur, ac naturaliter prodire poſſit.* Sed plura ex antecedentibus, hic rurſus ſtudio, omiſi, ex eadem ſcilicet ratione, quam ſupra, modo, in gratiam Lectoris, morae forſan impatientioris, decenter propoſui: Quare hic nihil amplius addo.

§. CXLVIII.

Hactenus igitur de Lectis puerperarum, et partu difficili laborantium. Nunc vero ad *Sellas* quoque *Obſtetricias* transeamus, quarum aeque frequens mentio facta eſt paſſim apud Veteres Medicos, aliosque Auctores. Ita ipſe modo laudatus, at nunquam ſatis laudandus HIPPOCRATES [p]) de infelici puerpera, cui poſt extractum foetum, ſecundae haud ſecunde facileque ſecedunt, ſed potius adamato nimis utero iuſto arctius ac pertinacius adhaerent: *τὴν λεχὼ προκαθῆσθαι, ὥσπερ ἐπὶ λασάνου· ἔσω δὲ κατεσκευασμένον ὑψηλὸν τι, ἵνα τὸ ἔμβρυον ἐκκρεμαμένον συνεπισπᾶται τῷ βάρει ἔξω, κ. τ. λ.* *Puerpera ipſa, veluti ſuper ſella, ventri exonerando alias vulgo deſtinata, eſt locanda. Sit autem*

[o]) Lib. *de Exſect. Foetus*, pag. 663. Tom. II. Opp.

[p]) Lib. *de Superfoetat.* pag. 644. Tom. II. Opp. Conf. MOSCHIONIS *Gynaec.* Cap. LII. pag. 5. *Collect. Spach.*

autem in altum exſtructa iſta, vel ſimile qaiddam, quo ipſe foetus dependens, gravitate ſua, ſecundam ſimul extrahat. Clarius vero adhuc ac mani-feſtius, ſtatim in ſequentibus [q]): Ἢν δὲ μὴ δύνηται καθῆσθαι ἐπὶ τοῦ λασάνου, ἐπ᾽ ἀνακλίτου δίφρου τετρυπημένου καθήσθω· ἢν δὲ ἀσθενὲς, τὸ σύνολον καθῆσθαι, τὴν κλίνην ὡς ὀρθοτάτην, ἀπὸ τῶν πρὸς τῆς κεφαλῆς μερῶν ἄραντες, ἵνα κάτω ῥέπη ὡς μάλιστα, καὶ ξυνεπισπᾶται τὸ κάτω βάρος· ὑπὸ δὲ τὰς μασχάλας δῆσαι τὴν λεχὼ, ἔξωθεν τῶν ἱματίων, πρὸς τῇ κλίνῃ, τῇ ταινίῃ, ἢ ἵμαντι πλατεῖ, καὶ μαλθακῷ, ὅκως μὴ, ὀρθῆς ἐούσης τῆς κλίνης, κάτω τὸ σῶμα φέρηται: *Si vero ſupra Laſanum puerpera ipſa ſedere nequeat; tum ſuper reclinatam ſellam perforatam collocetur. Quod ſi autem adeo debilis eſt, ut omnino ſedere non poſſit, tunc Lectum quam erectiſſimum a capitis partibus, ſtruemus, ut deorſum declinet, ac repat, et ſic ipſius foetus pondus ac gravitas quam maxime ſimul ipſam ſecundam ſecum protrahat. Verum puerperam ipſam ſub alis, ſuper ſtragula, ad Lectum, faſcia, aut loro lato ac molli, alligare oportet, ne ſcilicet, quum erectus ſit ipſe Lectus, tum ipſius corpus ſimul deorſum feratur.* Ex quo inſigni HIPPOCRATIS noſtri loco ſatis perſpicue, opinor, patebit, in dffiiciliori et diutius reluctante partu, tandem facilius ad exitum optatum impellendo, ipſisque ſimul ſecundis utero nimis quaſi adamato, arctius affixis, felicius protrahendis, *duriores* praeſertim *Sellas*, olim plerumque praelatas fuiſſe *mollioribus* quidem *Lectis;* hosque ipſos tum demum in ſubſidium et adiutorium, urgente ſumma neceſſitate, ad vocatos eſſe; quando nempe ipſae puerperae, diuturno partus moleſti labore, iamiam vehementius defatigatae, et viribus exhauſtae eſſent, ut hinc erectum corporis laſſi laxique ſitum, ſine iuſto periculi et defectionis animi metu, ſuſtinere ac tolerare haud poſſent. Non enim omnes foeminae gravidae ac partui iam vicinae eiusmodi rectam et extenſam corporis poſitionem diutius commode perferre poſſunt; adeo, ut inde ſaepius a ſyncope, aut lipothymia ſubito corripiantur, atque hinc protinus humiliori Lectulo impoſitae, admotis

q) *Ibidem*, pag. 648.

admotis odoramentis, aliiſque adiumentis conſuetis, in Vitam quaſi revocari ac refocillari debeant, ceu notum: quale quid ipſi ſuae Matri uterum tum gerenti, aliquando accidiſſe, commemorat illius doctiſſimus et celeberrimus Filius, PETRVS nempe FORESTVS [r]), ut alia quam plurima eiusmodi exempla notiſſima, iam ſtudio taceam, apud SPACHIVM, MERCVRIALEM, MERCATVM, SCHVRIGIVM et alios, paſſim obvia.

§. CXLIX.

Inde igitur PAVLLVS AEGINETA [s]) poſtquam prius ipſius *Lecti* uſum commendaverat, tandem vero *Sellam* quoque adhibendam praecipit, ad accelerandum nempe atque ſic facilius feliciusque producendum ipſum foetum, iuſto diutius moras nectentem et pertinacius reluctantem: *καιρὸς δὲ τῆς εἰς τὸν δίφρον καθέδρας· ὅτε τὸ ϛόμιον τῆς μήτρας ἀνεωγὸς ὑποπέσῃ τῷ δακτύλῳ, καὶ προκύψῃ τὸ πρόῤῥηγμα:* *Tempus autem deſeſſus in ſellam, tum demum eſt, quum uteri ipſius oſculum apertum digito occurrerit, et praeruptio ſic prominuerit.* Sed multo luculentius adhuc, atque accuratius, hanc ipſam in rem, ille non ignobilis omphalotomus, ſeu Medicus Maeevticus, MOSCHIO ſcilicet [t]): *Ρίπτοντες αὐτὴν γυναῖκα ὑπτίαν, ἐν τῷ κραβάτῳ, τῷ σκληρὰν τὴν ϛρωμνὴν ἔχοντι, συνδεδιπλωμένων* (vel *ἀνηπλωμένων*) *δὲ ἐκεῖσε τῶν ποδῶν καὶ ἀνεωγμένων, ἡνίκα τὸ χορίον εἰς μέγεθος ὠȣ͂, εἰς τὸ ϛόμα τῆς μήτρας εὑρίσκομεν, εἰς τὸν δίφρον αὐτὴν ἐπαίρομεν· εἰ δὲ ȣ̔́τως εἴη κεκμηκυῖα, ὅπως ἐκεῖ τεκεῖν μὴ δυνηθῇ, τεκεῖν ὀφείλει ἐν τῷ κραβάτῳ· ἔνθα δὲ δίφρος μαιευτικὸς ȣ̓κ ἐϛὶ, μὴ τυχὼν τῆς γυναικὸς, ἀπομηρῶσαι δεινῶς ὀφείλει, ὅπως ἐκεῖσε τίκτῃ:* *Coniicientes ipſam Mulierem ſupinam in Lecto, qui durum habet ſtratum, conduplicatis illi ibi pedibus et apertis. Quumque ad ovi magnitudinem, in matricis orificio, chorion invenerimus, tum ad Sellam levamus ipſam foeminam.*

r) *Obſervat. Med.* 14. Lib. VII. pag. 280. in *Scholiis*,
s) Lib. III. cap. 76. pag. 56.
t) Cap. XLIX. pag. 4.

minam. Si vero ita fuerit iam delaſſata ac debilitata, ut ibi, in Sella ſcilicet, foetum eniti haud poſſit; tum in Lecto pariat. Sin autem ipſa illa Sella obſtetricia intus forte non ſatis ſit fortis; tum in ipſius Mulieris ſemoribus ſedere debet, ut ibi nempe ſic pariat. Quae poſtrema paullo obſcuriora ſunt, atque in aliis exemplaribus ſic aliquando melius leguntur: ὐκ ἔστιν ἔνδον, ἐπὶ τῆς γυναικὸς μηρῶν καθέζεσθαι ὀφείλει: Sed haec obiter. In ſuperioribus vero Auctor noſter non ſolum caute ac perite ordinaverat, ut *Sella* ipſa praeſto eſſet, ſed et ut *duplex* quoque *Lectus*, unus nempe *durus*, ad pariendum et patiendum, et alter *mollis* ad quieſcendum, ac vires amiſſas recolligendas, inſtrueretur, prout ſcilicet tum imperioſa neceſſitas exigeret, et ipſa parturientis foeminae natura, conditio, firmitas, aut infirmitas corporis, aliaeque id genus cauſſae ac circumſtantiae plures nunc *Sellae*, nunc vero rurſus *Lecti* uſum perferrent, aut permitterent. Sic autem ille ibi [*]) ὁ εἷς μὲν κράβατος, ὁ ὢν σκληρῶς ἐστρωμένος, ἐν ᾧ τὴν ἐγκυμονοῦσαν κοιτάσαι ὀφείλομεν· πολλάκις γὰρ καὶ κείμεναι τίκτουσιν· ἐν ἐκείνῳ δὲ τῷ μαλακῶς ὄντι ἐστρωμένῳ, μετὰ τὸν κάματον, τὴν λοχεύουσαν κοιτάσομεν: *Vnus quidem Lectus duriter ſit inſtratus, in quo parturientem collocare debemus: Saepius enim vel iacentes in Lecto, pariunt foeminae. In altero vero Lectulo mollius inſtrato, poſt exantlatos demum duros longosque moleſti partus labores ac dolores, reponemus tum ipſam puerperam, ut placide ibi quieſcat, et diſperſas ac diſperditas Vires ſenſim iterum colligat et colliget.* Ipſum vero ſimul *cubiculum* ſubobſcurum potius, quam lucidum ſapienter ordinat, ne ſcil. importuna repente irruentis luminis auſteritate, ut cum COELIO AVRELIANO ſic loquar, oculi vehementius praeſtringantur, et inde ipſa placida quies interturbetur. Sic autem ipſe: ῥιφήτω γυνὴ ἐν τῇ κλίνῃ, ἐν σκοτεινῷ κοιτῶνι, ὀλίγον ἀνεωγμένων τῶν ποδῶν, ὅπως, εἴτι δ᾽ ἂν ἐξ αὐτῆς ἔξω ἐξελθεῖν ἄρξηται, μὴ ἐμποδισθῇ· ἀλλὰ μὴν καὶ αὐτοὶ οἱ τόποι πανίῳ σκεπασθήτωσαν, ἕως τὸ πάνιον (ita forſan legendum pro

*) Cap. XLVIII. pag. 4. Conf. NIC. PISONIS Lib. III. cap. 55. p. 597. ſeqq. Tom. II.

pro male vulgato ὅπων), συνεχῶς ἐκεῖσε ἀλλαχθῇ, κ. τ. λ. *Collocanda eſt in Lectum puerpera, in obſcuro cubiculo, modice patentibus pedibus, ut quidquid ex ea foras exire coeperit, non impediatur: pannis loca ipſa contegantur, ita tamen, ut iſti frequentius ibi mutentur.* Ita Interpres vetus Latinus [x]). Sequuntur autem ibidem, adhuc longe plura apud noſtrum MOSCHIONEM [y]) de arduo ipſius probae et peritae obſtetricis officio, ante partum, in partu, et denique, poſt partum, item de ſedili inprimis illius diverſo, quando nempe nunc in *Sella* partum enixura ſit gravida, vel e contrario in *Lecto,* aliaque plura ad totum illum laborioſum et ambitioſum apparatum lochevticum, ſeu obſtetricalem, apprime ſpectantia. Quae tamen, etſi lectu omnino digna ſunt et iucunda, ibi per otium, commodius legantur, quam huc operoſe nimis transferantur. Iure enim veremur, ne longius ac diutius de puerperio hic ſcribentes, ſi non omnibus, forſan tamen multis, Lectoribus noſtris, ingratum potius taedium pariamus, quam gratam iucundamque voluptatem. Hinc molles nunc quaſi Lectos feſſis noſtris puerperis intactos relinquamus, aliquantulum vero adhuc ad ipſarum *Sellas* conſideamus, ac circa illas pauliſper commoremur.

§. CL.

Licet igitur cuncta haec, hactenus in utramque partem, diligenter conſiderata ac diſputata, ita comparata eſſe videantur, ut ex illis non improbabili prorſus coniectura, forſan concludi poſſet, promiſcui olim omnino fuiſſe uſus in laborioſo parturitionis negotio, *Sellas* aeque ac *Lectos*, nec unum ex iſtis quidem binis inſtrumentis, altero eſſe prius, aut antiquius, aut uſitatius: Sunt tamen, ut inge-

 nue

x) *Gynaec. Harm.* P. 1. cap. 17. pag. 14. apud SPACHIVM. Conf. SIRIONI *Miſcell. Med. Carioſ.* Tract. L. pag. 356. ſeqq.

y) Cap. LII. LIII. ſeqq. pag. 5. ſeqq. Conf. FORESTI *Obſ. Med.* 73. Lib. XXVIII. pag. 503. ſeqq. et IACOBI RVFFII Lib. III. *de Mulieb.* cap. 2. pag. 175. ſeqq. *Collect. Gynaec. Spachianae.*

nue fatear, argumenta quaedam ſat gravia, niſi fallar, ponderoſa, et, ut ita dicam, praegnantia, quae me potiſſimum permovent, ut antiquiſſimis quidem temporibus, ipſas potius *Sellas* Lectis praelatas atque frequentius adhibitas fuiſſe, omnino cenſeam, praeſertim, quum ipſa ſana ratio, ac diuturnior experientia ſaepius manifeſto doceret, ad ipſum partum, praecipue difficilem, et pertinacius adhaerentem, facilius feliciusque excludendum, aptiores et commodiores eſſe *Sellas*, quibus erecto corpore valide inſiderent puerperae, ac tum manibus pedibusque ipſi Sellae fortiter innitendo, ſpiritumque ipſum, quantum pote, arctius comprimendo, ac contra, retro, ad ilia, et partes inferiores, valido niſu protrudendo, ipſius Naturae enixe laborantis intenſos conatus ſic ſua quoque ope et opera, alacriter adiuvarent; quum e contrario, ubi humilioribus tantum et planioribus *Lectis*, eaedem reſupinae, languide incumberent, hinc tanto ſerius tantoque difficilius plerumque, tenacibus ipſius partus moleſti vinculis tandem exſolverentur: ob varias nempe easque graviſſimas rationes, ipſis Medicis maeevticis ſat cognitas, neque vero hic diffuſius commemorandas, quoniam illud argumentum de Arte ardua obſtetricia felicius exercenda, iam non tractamus. Conf. interea huc MOSCHIO inprimis, Cap. LII. pag. 5. et *Harmon. Gynaec.* Part. I. cap. X. pag. 9. et cap. XII. pag. 11. ſeqq.

§. CLI.

Ne igitur fruſtra et intempeſtive ex ſuperioribus, hic denuo repetamus, HIPPOCRATEM ipſum iam olim, in hunc quidem finem meminiſſe *δίφρȣ ἀνακλίτȣ*, item *καθέδρας*, nec non *ἕδȣς θεσσαλικȣ͂*, et denique etiam certo modo ſenſuque commodo, *λασάνȣ*, h. e. *δίφρȣ τετρυπημένȣ*, Sellae perforatae, ut ipſe explicat HIPPOCRATES, de quibus, praeter EROTIANVM, GALENVM, HESYCHIVM, et alios Veteres, videantur potiſſimum FOESIVS[a]) atque Interpretes varii

ad

[a]) *Oecon. Hippocrat.* pag. 30. item pag. 104. et pag. 110. Conf. *Obſerv. noſtr. Crit.* ad ARETAEVM, pag. 522.

ad POLLVCEM [b]): opportunius nunc producamus potius inſignem illum ARTEMIDORI [c]) Locum, ex quo liquidiſſime, ni fallor, patebit, ipſas illas Sellas parturientibus foeminis olim communi fere fuiſſe in uſu ac conſuetudine. Sic autem ille habet: ἔδοξέ τις γυνὴ περὶ τέκνων εὐχομένη, δίφρους ὁρᾷν λοχειαίους, οἷς πρὸς τὸ ἀποτεκεῖν χρῶνται αἱ γυναῖκες, ἐπὶ θαλάσσῃ ἐπιπλέοντας: *Viſa eſt ſibi Mulier quaedam, quae filios ſibi gigni optabat, Sellas videre obſtetricarias, quibus Mulieres in puerperio communiter utuntur, mari innatantes.* Quem eximium quidem Locum SVIDAS [d]) quoque in ſuum Lexicon tranſtulit, ſed non integrum plane, nec ſatis accurate deſcriptum, nec denique ipſo illius Auctore, ſive ARTEMIDORO, ut decebat nempe, nominato, more quidem ipſi ſemper fere conſueto, haud vero laudabili. Ceterum autem haec ipſa verba: οἷς δίφροις πρὸς τὸ ἀποτεκεῖν χρῶνται γυναῖκες, *quibus Sellis in partu excludendo, Mulieres utuntur,* ſatis manifeſte opinor, indicare videntur, ut iam monui, frequentiſſimas olim et communiſſimas iſtas fuiſſe *Sellas Lochiaeas,* ſeriusque demum, *Lectos* in uſum advocatos atque adhibitos. Nuſquam enim alibi, iis etiam

b) Ad Lib. VII. *Onomaſtici* cap. 26. pag. 768. ſeqq. et ad Lib. X. cap. 9. pag. 1194. ſeqq. et cap. XI. pag. 1200. ſeqq. ut et cap. 24. p. 1274. Tom. II. conf. huc et GRAEVII *Lect. Heſiod.* Cap. XVI. pag. 84. ſq. item COEL. RHODIGINI *Lection. Antiq.* Lib. XVI. cap. 9. pag. 727. et CASAVB. ad ATHEN. Lib. I. *Animadverſ.* cap. 22. pag. 65.

c) Lib. V. *Onirocrit.* cap. 73. pag. 265.

d) Tom. II. pag. 461. ubi vid. KÜSTERI *Notas,* conf. huc inprimis EZECHIELIS SPANHEMII *Comment.* in CALLIMACHI *Hymn.* in *Delum,* pag. 452. ubi ſimul ſcite obſervat, exemplo parturientis Latonae apud ipſum CALLIMACHVM, item Anchialae, et aliarum puerperarum, moris fuiſſe parturientibus, proxima quaeque avide arripere, et fortiter tenere, ut ita ſeſe levarent citius ab acerbis partus moleſti doloribus, quemadmodum ipſa Latona ſupra commemorata ſic partum duplicem citius faciliusque enixura, palmam vicinam firmiter apprehenderit arctiusque tenuerit, donec divinos ſuos gemellos felici partu excluſiſſet. Sed haec hactenus; commoda occaſione.

etiam locis, ubi de partu, aut obſtetrice, ſermo habetur, Lectorum obſtetricalium ullam fecit mentionem ARTEMIDORVS, quod ſane, ut coniicere licet, probabiliter feciſſet, ſi tum temporis, Lecti tales, ad partum edendum, electi, cogniti, aut frequentes fuiſſent. Adeo, ut forſan illud poetae locum hic aliquem habere poſſit:

Quaſſus ab impoſito corpore Lectus erat
Nullus,

§. CLII.

Deinde quoque phraſes iſtae de prole a matre ſubito in lucem prolata, frequentiſſime occurrunt apud Veteres Auctores Graecos et Latinos, praeſertim autem poetas, ceu notum: Nimirum, πίπτειν, καταπίπτειν, προκίπτειν εἰς γῆν, vel ἐπὶ γῆν, item χαμαὶ πίπτειν, χαμαιπετεῖν, unde et ἄνθρωποι χαμαιγενεῖς, dicti eſſe videntur, apud HOMERVM et HESIODVM in *Theogonia*, aliosque poetas: idem et ὀλισθεῖν, ἀπολισθεῖν καὶ ἐξολισθεῖν, παρὰ μητρὸς εἰς τὴν γῆν, quo et illud inprimis ſpectat ARTEMIDORI [e]) καὶ τὰ βρέφη χαμαὶ τίθενται, *et Infantes humi deponuntur:* quo ipſo vel ad fortuitum illum foetus ex utero materno, caſum in terram, vel ad notum iſtum Veterum ritum, natos vix infantes humi prius deponendi, dein vero rurſus de terra levandi, reſumendi ac fovendi, forſan reſpexerit ipſe Auctor, de quo mox diſertius, in ſequentibus. Conf. interim et huc NILI *Homil.* apud PHOTIVM [f]) ut ſimilia plura iam taceam ubique nota atque obvia. Quemadmodum itidem Latini dicunt: *Cadere de matre, in Terram, procidere in Tellurem, Accidere in Terram, Effundi ex alvo materna, in Terram, Humi proiectum iacere,* et talia plura. Inde igitur iſta nota ſunt, quae huc reſpiciunt, ex OVIDIO [g]):

Qui

e) Lib. I. *Onirocrit.* cap. 14. pag. 18.
f) *Bibliothec.* pag. 836.
g) *Diris* in *Ibin,* 224. pag. 52. Tom. IV. Opp. OVID. per BVRMANN. ibique DIONYS. SALVAGNIVS BOESSIVS copioſe in *Notis.*

Qui ſimul impurae Matris prolapſus ab alvo,
Cinyphiam foedo corpore preſſit humum.

Nec non illa PAPINII STATII [h]): *Tellure cadentem*
Excepi, et vinctum genitali carmine fovi,

Et alibi [i]) pariter: *Si bene quid merui, ſi me de Matre cadentem*
Foviſti gremio, etc.

Quae ita imitatus poeta ille haud claudicans; Sed compoſito potius pede incedens, CLAVDIANVS [k])
Quem prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio, etc.

Denique et ipſe Imperator IVSTINIANVS [l]) huc reſpexit in iſta Lege: *Sancimus, ſi vivus perfecte natus eſt: licet illico, poſtquam in Terram cecidit, vel in manibus obſtetricis deceſſit; nihilominus Teſtamentum rumpi.* Praeſertim autem hic ſingulari obſervatione digniſſimum eſt, ipſum quoque ſanctum illum et ſapientem *Sapientiae* SALOMONIS ſcriptorem [m]) ad hanc communem naſcendi ſortem, et ſubitum ipſius foetus prolapſum in terram, manifeſte alluſiſſe, eoque mentis acutos oculos retorſiſſe, quum ita candide non minus, quam pie ac devote, ſcriberet: καὶ ἐγὼ δὲ γενόμενος, ἔσπασα τὸν κοινὸν ἀέρα, καὶ ἐπὶ τὴν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσον γῆν: *Ego vero ipſe, quum natus eſſem, communem traxi auram, et in unius eiusdemque indolis, naturae ac proprietatis Terram cecidi.* Qualia et apud PHILONEM inprimis IVDAEVM, aliquoties paſſim leguntur, item et in BASILIO MAGNO, IOANNE

h) Lib. V. *Silvar.* carm. V. 69. 70.

i) Lib. I. *Thebaid.* 60. pag. 123. add. *Genethliacon* LVCANI Lib. II. *Silvar.* Carm. VII. 35. ſeqq. pag. 45.

k) Lib. I. *in Rufin* 92. pag. 86.

l) Lib. 3. Cod. *de Poſthumis Heredibus inſtituendis.* Vbi conf. CVIACII *Obſ. Iur.* L. XI. cap. 30. pag. 579. et DIONYS. GOTHOFRED. in *Not.*

m) Cap. VII. ubi vid. GROTII *Comment.* pag. 51. Tom. III. in V. T. ubi haec ipſa cum iſtis *Statianis* appoſite comparat: conf. et alios Interpretes. et ad *Pſalm.* XXII, 11. ubi verbum שלך, *proiecit:* de quo alibi.

IOANNE CHRYSOSTOMO, NILO, aliisque venerandis Veteris Eccleſiae doctoribus, in hunc ſenſum ſaepe occurrunt, ut ex parte, iam obſervavit RITTERSHVSIVS [n]), item WEITZIVS [o]) BRODAEVS [p]) BERNARTIVS [q]) BARTHIVS [r]) praeſertim vero SALVAGNIVS [s]), item et FESSELIVS noſter [t]), aliique plures, qui de hac communi, et ſordida quaſi infantum de Matre in Terram cadentium ſorte, data quidem opera, egerunt.

§. CLIII.

Ex his igitur cunctis, de foetu ex matre, in Terram prolapſo, hactenus commemoratis, haud obſcure colligi opinor, atque intelligi poteſt; ſecundum conſuetas ipſius Naturae et Mechanices regulas atque leges, longe quidem facilius, promtius citiusque partum ipſum in Terram procidere poſſe, a Matre in ſella corpore erecto collocata, quam in humili Lecto, plano pronoque corporis ſitu repoſita. Id quod etiam praeterea, clariſſime ſane patet ex his MOSCHIONIS verbis [u]): ὁ μαιευτικὸς δίφρος ἔςω, καθάπερ ἐςὶν ἡ καθέδρα

n) *Comment.* in Lib. I. *Halievt.* OPPIANI, pag. 217. ſeqq. copioſe.

o) *Commnet.* in TERENTII *Andriam,* pag. 69. ſeqq. ubi eadem fere habet omnia, quae apud SALVAGNIVM diligenter collecta leguntur. Sed haec obiter, procul a foedo plagii obiecti crimine.

p) Lib. IV. *Miſcellan. Crit.* cap. 3. pag. 511. in *Theſauro Critico* IANI GRVTERI Tom. II.

q) *Comment.* ad Lib. I. *Thebaid.* STATII copioſe.

r) *Comment.* in CLAVDIANI Lib. I. in RVFINVM, pag. 111.

s) Luculento commentario in *Ibin Ovidianam,* iam ſupra merito laudato; ſed nunc poſt FESSELIVM, laudando.

t) Lib. I. *Adverſariorum Sacrorum,* cap. 10. pag. 59. ſeqq. ubi reliquorum fere omnium, hactenus laudatorum, operoſam licet induſtriam in hoc quidem argumento tractando, longiſſime tamen vicit ac ſuperavit.

u) *Gynaec.* Cap. XLVII. pag. 4 ſqq. *Collect. Gynaec. Spach.* vid. et pag. 8. ibidem. Conf. huc inprimis PETRI FORESTI *Obſ. Med.* 73. Lib. XXVIII.

καθέδρα τȣ͂ κȣρέως, ἐν ᾧ καθέζεται ὅτως, ἵνα χῆ ὑπὸ τὴν φύσιν, ὁμοίωμα σελήνης, τρώγλην τετμημένην, ὅπως ἐκεῖσε τὸ ἔμβρυον πεσεῖν δυνηθῆ: *Sit ergo Sella obſtetricalis, ſicut ſella tonſoria, in qua ſedetur, ita, ut habeat ſub ipſo ſexu, ſive ſub muliebris membri loco, ſimilitudine Lunae, foramen inciſum, ut illuc ſcilicet ipſe Infans ex utero cadere poſſit.* Qualem eiusmodi Sellae tonſoriae, ſive et obſtetricalis, lunatae ac perforatae figuram affabre delineatam exhibuit IOANNES RHODIVS [x]) cuique ſimiles nonnullas Sellas poſtea Romae vidit WELSCHIVS [y]). Tum vero facile interdum accidere poterat, ut validiore ipſius robuſtioris puerperae nixu, increbreſcentibus inprimis et invaleſcentibus ſubito ſpaſmis illis naturalibus ac ſalutaribus, ut ita forte non inepte dicam, ſive partus doloribus ingruentibus, ſpe atque expectatione citius, foetus ipſe confeſtim excluderetur, atque non animadvertente obſtetrice praeſidente, ac praeſtolante, ita praecipiti caſu, in terram caderet, hincque in ſolido ſolo, aut tenerum adhuc laxumque caput vehementius laederet, aut morbum inde difficilem contraheret, aut mortem denique ipſam mox in primo vix inchoatae Vitae limine, acerbe ac praemature oppeteret. Inde opportune monetur in Harmon. Gynaec. Cap. X. Sect. 6. ex MOSCHIONE [z]): *Obſervandum iſt, ne Infans ſubito ſimul cadat, ne quaſſatio capiti et cervici Infantis adducantur.* Atque ad huiusmodi moeſtum ac funeſtum caſum praeſertim reſpexiſſe videtur ipſe Imperator IVSTINIANVS, quando in iſta *Lege,* ſuperius modo producta, ita ſcriberet: *Si vivus perfecte natus eſt; licet illico, poſtquam in Terram cecidit, vel in manibus obſtetricis deceſſit.* Nimirum, ibi mihi de tali infelici foetu loquutus eſſe videtur Imperator, qui vivido Naturae operantis ac laborantis

XXVIII. pag. 503 ſeqq. in *Scholiis,* et IACOB. RVFFII Lib. III. *de Mul.* Cap. 2. pag. 175. *Collect. Gynaec. Spach.* item SCIP. MERCVRII *Obſtetric.* ibique WELSCH. in *Not.*

x) In *Notis,* ad SCRIBON. LARG. Compoſ. CXCIII. pag. 281.

y) *Curat. Med.* II. Decad. VIII. pag. 472.

z) Cap. X, Sect. 6. pag. 9. *Collect. Gynaec. Spach.*

tis impetu, ocyſſime in Terram duram praecipitatus, caput hinc praeceps graviter alliſiſſet, graviusque inde laeſiſſet, adeo, ut paullo poſt, ab obſtetrice perterrita et in nimis feros queſtus gemitusque ſoluta, de fatali illa terra ſublatus, in tremulis ipſius manibus confeſtim expiraſſet. His vero unum hoc adhuc hic adiicere opportune liceat: Hebraeos nempe vocem illam ambiguam האבנים *Exod.* I. 16. interpretari per מקום נפילת הולד, ſive *Locum caſus infantis,* hoc eſt, Locum eum, in quem foetus ex matris utero procidit, nempe vel *in Terram,* vel *in Sellam,* id enim ſcil. *ſellam obſtetriciam,* vocem iſtam dubiam אבנים probabiliter ſignificare poſſe, protinus in ſequentibus, accuratius demonſtrabitur. Interea autem de hoc quidem מקום נפילת hoc eſt, *Loco Caſus*, videatur, ſi lubet, NICOLAVS FVLLERVS [a]), Sed de his hactenus.

§. CLIV.

Nunc vero commemorandus in hanc ipſam rem, merito quoque venit ſingularis ille et inſignis *Nummus genethliacus,* ut ſic dicam, et *obſtetricius,* Imperatoris ANTONINI PII, quem nitide expreſſum, exhibuit rei nummariae peritiſſimus Vir, GISBERTVS CVPERVS [b]) et poſtea, ex ipſo, in ſuum venuſtum opuſculum appoſite tranſtulit ſupra laudatus CASPARVS BARTHOLINVS [c]). Non autem ex mero ingenii abundantis luſu, aut ſine omni ratione, iſtum quidem ſignatum Nummum ſupra vocavi *genethliacum* et *obſtetricium:* Repraeſentat enim in averſa ſui parte, ut recte et acute conieciſſe videtur nobiliſſimus SEGVINVS, fauſtum infauſtae illius et inceſtae FAVSTINAE puerperium, quae ipſa auguſta ac purpurata puerpera, recens adhuc a partu, (ipſo infante iam ſcite faſciato, et ab exultante foemina in altum elevato), ſeminuda, ſedens conſpicitur in eiusmodi *Sella*

a) Lib. II. *Obſervat. Critic.* Cap. 9. pag. 207.

b) *Miſcellan. Sacr.* Lib. V. cap. 19. pag. 91.

c) In *Commentario*, ad THOMAE BARTHOLINI patris, Synopſin *Antiquitatum Veteris Puerperii*, pag. 59.

Sella obſtetricia, cui et a latere, proxime adhuc aſſidere videtur ipſa obſtetrix, pariter ſeminuda, ni forſan fallar: Namque haec mera eſt coniectura, quae tamen haud omni probabilitate mihi carere videdetur. Ipſe vero hic iudicet ea de opinione, ſi velit, Lector, rei inprimis nummariae non imperitus.

§. CLV.

Sed ad ſtabiliendam magis atque confirmandam iſtam quidem, de antiquiſſimo et frequentiſſimo in puerperiis, Sellarum uſu, unum adhuc ſupereſt Argumentum, ipſo quidem hoc loco, ultimum ac reliquis caſu potius, quam ordine, poſtpoſitum: at primum tamen omnino ac praecipuum, auctoritate, gravitate, antiquitate, praeſtantia, fide atque veritate: eſt enim illud ex illo puriſſimo ac ſanctiſſimo divinae veritatis fonte, ipſa nempe ſcriptura ſacra, depromtum. Statim namque in prima illa ipſius EXODI *Iſodo*, ſive introitu [d]) Hiſtoria illa cuivis putem, ſat cognita, enarratur, quod ſcilicet crudelis iſte ac cruentus Tyrannus Memphiticus, Pharao, ad opprimendam tanto facilius, ac ſenſim penitus exſcindendam Hebraeam gentem nimis nempe foecundam, utpote peregrinam, et alienis ſacris ac moribus ritibusque deditam, hincque ſibi, more tyrannorum, ſemper meticuloſorum ac diffidentium, ſuſpectam admodum, inviſam et exoſam, ipſis obſtetricibus, ceu ſaeviſſimus βρεφοκτόνος, ſeu Infanticida, ſeveriſſime mandaverit, ut ad parturientes ipſorum Hebraeorum foeminas acceſſurae ipſisque opem laturae, omnem quidem prolem maſculam vix in lucem editam, protinus luce privarent, et in ipſa veluti prima herba, acerbe ſuffocarent; foemellis contra, utpote vilioribns, ac hinc minus metuendis, ſic tamen prae illis maſculis, longe felicioribus, ipſam lucis uſuram Vitam-

 que

d) Cap. I, v. 16. ubi vid. *Comment.* item Conf. GVDII Diatriba *de Hebraearum Obſtetricum Origine*, ut et WEISSENBORNII Diſſertat. *de Falſiloquentia Obſtetricum Hebraearum*, ex parte.

que precario quaſi, concederent. Haec igitur cuncta plana claraque, et facillimo quaſi partu, effuſa ſunt, ut nemo non protinus animadvertit.

§. CLVI.

Verum, ſi ipſum illud durum dirumque Regis illius doloſi et inſidioſi mandatum a MOSE ipſo, ſua quidem lingua ſancta prolatum, paullo attentius conſideremus; tum ſane haud levis difficultas nec tenuis obſcuritas ex ipſis illis verbis illico emergit. Sic enim ipſa iſta verba concepta leguntur: וראיתן על־האבנים, h. e. *Quum videritis*, (eas ſcil. puerperas) *ſuper Haaſnajim*, vel *Haobnajim*. Vbi merito omnino quaeritur, quid ſint proprie illi quidem האבנים? Neque id ſane valde mirum: Namque in toto certe *Codice Sacro*, bis tantum, non amplius, et diverſa adeo, ut primam quidem frontem, videtur, ſimul ſignificatione, vox iſta occurrit, ſcilicet primum hoc ipſo noſtro in Loco *Exodi*, et deinde IEREM. XVIII, 16. ubi ſcilicet pro *figuli Rota*, aut machina rotunda, aut ſella orbiculata, ſumitur: quae vero explicatio hoc certe in Loco noſtro, aegre eundem quidem ſenſum habere poſſe videtur. Inde igitur hic ipſe dualis numerus האבנים, non in duas tantum, ſed longe plures potius partes, diviſit Veteres aeque, ac recentiores Interpretes, ita ut inde varios veluti ingenii exundantis foetus, imo et informes interdum offas et abortus praemature parturirent. Quorum proinde pugnantes inter ſeſe ſaepius ſententias et concordiam veluti diſcordem perpetuam, hic quidem ſcrupuloſius referre ac refellere, nimis profecto longum, imo et ingratum ac faſtidioſum haud dubie foret; praeſertim vero Medicis, his quidem philologiae ſacrae arcanis adytis haud ſatis initatis: ex quibus tamen potiores ex *Criticis* praeſertim *Sacris Anglicanis*, NICOLAI FVLLERI *Miſcellaneis Sacris*, DANIELIS FESSELII *Adverſariis Sacris*, item BVXTORFIO, LEIGHIO, CLERICO et aliis, paullo poſt, paucis, quantum nempe ſatis, recenſebimus. Inde ergo Veteres Interpretes Graeci ac Latini,

tini, aliique, ſenſum quidem huius ipſius Loci abſconditum generatim probe perviderunt; hanc ipſam autem vocem ſubobſcuram, duali numero propoſitam, האבנים, tanquam praeruptum quendam ſcopulum, aut rupem acutam nimis, et inacceſſam, reliquerunt plane intactam et inexploratam. Hinc itaque nec ipſe PHILO IVDAEVS, qui tamen tres integros Libros diligentiſſime *de Vita ipſius* MOSIS elaboratos, gratae poſteritati tradidit, nec ipſe IOSEPHVS, qui pari fere diligentia uſus eſt in deſcribendis ſuae gentis et MOSIS inprimis, Hiſtoria; nec EZECHIEL denique, poeta ille Tragicus, ſplendidus ſatis, pro ſua quidem aetate, ac ſonorus [e]), qui ipſius MOSIS gravia fata ac grandia facta diſerte enarraverat, nec alii priſci aevi Auctores de hac controverſa quidem voce האבנים, quidquam monuerunt. Veteres autem Interpretes Hebraei iſtam quidem utcunque paſſim explicare conati ſunt; ſed, ut dicam, quod res eſt, diverſis plane, et inſolitis inſolidisque plerummodis ac rationibus.

§. CLVII.

Sic ergo ille ſatis notus R. DAVID KIMCHIVS [f]) qui in hoc praeſertim Loco noſtro obſcuro illuſtrando, plurimum quidem, et incaſſum tamen, ut mox liquidius apparebit, deſudavit, hanc ipſam dictionem ambiguam האבנים, deducit a verbo noto בנה, *aedificavit,* (tametſi illi τὸ א, nonnihil hic obſtare videatur, quod quippe non eſt *proſtheticum,* aut *epentheticum,* ſeu *adventitium;* ſed potius *Radicale,* ceu notum), *exſtruxit,* unde et derivantur, ſicut cognitum, בנים, *Filii,* et בנות, *Filiae,* quoniam quaſi ſint familiarum ac generationum aedificationes et ſtabilimenta, ut ipſi Hebraei tropice, nec inepte prorſus,

[e]) In *Exagoge*, ſeu *Eductione Hebraeorum*, in Magno Corpore *Poetarum Graecorum*, Tom. II. pag. 1017 ſeqq.

[f]) In noto illo *Libro Radicum*, ſeu Lexico Vocum Hebraearum difficiliorum.

ſus, explicant, de quo praeter Lexicographos, videatur ſi lubet, MARTINVS DELRIO [g]) et quae noſmet ipſi, ſi tanti quidem, de hac ipſa metaphora alibi [h]) paucis obſervavimus. Sed hic non ſubſiſtit placide KIMCHIVS; verum ulterius licentius et confidentius evagatur, atque inde novam paene, et rarius ſane auditam hactenus ipſius dictionis illius האבנים, ſignificationem deducit, imo rectius loquendo, detorquet; dum eandem per משבר, ſeu chald. מתבר, ſine *Matricem*, aut Matricis ipſius os, per acerbos partus dolores apertum et quaſi effractum, explicat. Verum nec hic ſibi ultimam inanium coniecturarum metam modeſte tandem figit; quin potius adhuc portentoſiora et incredibiliora audaciſſime fingit; ut numerum ſcilicet iſtius vocis dualem eo facilius defendat, ſuaeque durae et coactae interpretationi quodammodo accommodet. Opinatur enim, dualem illum האבנים denotare potiſſimum duos iſtos ipſius uteri cardines, ſive rectius, bina iſta cornua, ex anatomicis quidem ſatis nota; ſed hodie tamen, vel a praeſtantiſſimis Anatomicis, (veluti BARTHOLINO, GRAAFIO, VERHEYENIO, HEISTERO, MORGAGNO, aliisque, immo iam dudum, ab ipſo magno VESALIO) in ipſo humano quidem utero, proprie loquendo, aegre admiſſa; ſed brutis potius animalibus, praeſertim autem multiparis, propius aptiusque conceſſa. Sunt enim, ut ſatis ubique conſtat, iſta ſic dicta vulgo cornua, vel rectius, cornicula, quaedam tantum ad ipſius uteri fundi latera, utrinque breves et exiguae protuberantes appendices, vel prominentiae, aut apophyſes, κεραίαι item κόλποι, vel πλεκτάναι, vel denique ἐξοχαί, priſcis Medicis et Anatomicis Graecis inde forſan dictae, quae proinde, neceſſario altius abſconditae ac demerſae, humanis viſibus plane denegatae; hincque ipſis obſtetricibus, quantumvis oculatiſſimis, et plusquam lynceis, prorſus

g) *Adag. Sacr. Vet. Teſt.* Adag. XVIII. pag. 21 ſeqq. Tom. I.

h) Tom. II. *Opuſculor. Med. Philol.* pag. 271 ſqq. ubi complures alios Auctores, Veteres ac recentiores, hanc ipſam in rem, et perquam elegantem Allegoriam, diligenter allegavimus.

prorſus imperſpicuae et impenetrabiles ſunt, foetu praeſertim ipſo uterum adhuc totum occupante, et mole ſua complente ac undique conſtipante. Quare hinc bonus noſter KIMCHIVS, cum haud meliore ſocio ſuo, ELIEZERE, et reliquis Rabbinis, ad quos quidem confidenter nimis provocat, ieiune admodum et imperite ſcripſit: האבנים, *formam dualis, ideo habet, propter Cardines iſtos uteri, quorum duo ſunt in oſtio ipſo Vulvae, ſicut ſunt duo Cardines ianuae,* vel ſua ipſius Lingua: שהם בפתח הרחם, *qui ſunt ad ipſum matricis oſtium.* Namque iſta ſic dicta cornua לא בפתח הרחם, hoc eſt, non in conſpicuo obvioque ipſius Matricis oſtio, אבל ביסוד הרחם, ſed verius rectiusque, in avio et abſcondito potius ipſius fundo, utrinque, ad latus eius, eſſe conſtituta, atque hinc humanis viſibus plane ſubtracta, iam ſupra obiter monuimus.

§. CLVIII.

Quod ſi vero ſagaces iſtae nimiumque perſpicaces obſtetrices etiam tam uterum ipſum, quam recondita quoque ipſius cornua exigua lateralia, novo quodam et inaudito antea veluti miraculo, penitus inſpicere et penetrare potuiſſent; exinde tamen ipſum diſtinctum foetus adhuc in ipſo matricis oſtio capite haerentis ſexum diſtinguere neutiquam valuiſſent, antequam nempe iſte ex utero totus prolapſus fuiſſet, ſicque admiſſa luce, ſexum ſuum ſingularem manifeſtius prodidiſſet. Praeſertim, quum naturali partu, et conſueto plerumque more, ipſi foetus humani, praemiſſo et exerto capite, et pedibus poſt ſequuturis, prodire ſoleant, ut ſcilicet nemini non cognitiſſimum. Ex ſolo igitur capite nullum plane certum fidumque utriusque ſexus diſcrimen tum deſumi potuiſſet ab iſtis obſtetricibus, etiamſi illae longe ſapientiores ac ſagaciores fuiſſent ipſis Sibyllis, deo veluti fatidico plenis et in abſtruſo antro immaniter, at inaniter, bacchantibus et vociferantibus, ut modo dicebamus. Hoc vero potiſſimum ſevere imperaverat ferox iſte atroxque Tyrannus, ut nempe filiolos modo prognatos, ſtatim interficerent; filiolas autem

reſice-

reficerent ac vivas relinquerent. Hinc ergo, ſi MOSES quidem de utero inprimis, hoc ipſum intellexiſſet, tum ſane haud dubie, voces iſtas notas, et uterum ac matricem proprie ac liquide ſignificantes, ſcilicet רחם, vel בטן, vel etiam משבר, hic potius adhibuiſſet; haud vero ſingularem illam rariorem et intellectu difficiliorem dictionem האבנים, et quidem duali numero poſitam, protuliſſet, quod ipſum ſcilicet difficultatem ipſius reconditi ſenſus magis adhuc auget; ut nemo non intelligit. Inde igitur nunc merito concludendum, longe aliud profecto per peregrinam quaſi, atque inſolitam iſtam vocem אבנים, hoc certe dubio in Loco, denotari, quam quidem ſolum uterum, aut exiguos illos apices, ad uterini fundi latera utrinque protuberantes, cornua vulgo, aut cornicula, rectius, dictos. Quae tamen ipſa KIMCHII, ELIEZERIS, et aliorum Veterum Rabbinorum commenta, infauſto ſane et abortivo veluti deformique partu edita, ſolicite diligenterque retulerunt, ac quaſi tacite approbarunt FAGIVS [i]), item et VATABLVS [k]), qui omnia iſta repetit, atque inſuper addit, quosdam interpretes Veteres illud האבנים, tanquam ab אבן, ſeu *Lapide,* deductum, explicuiſſe per *pondus* quaſi inclinatum ac propenſum, quando nempe ipſe partus in eo quidem ſtatu, momento et temporis puncto, immo iamiam in procinctu eſſet, ut protinus utero elaberetur. Verum et haec ipſa interpretatio coacta admodum, et ipſo frigido illepidoque lapide durior omnino eſſe, omnique proinde pondere, auctoritate ac gravitate penitus carere videtur, quoniam ſcilicet exemplis et argumentis ad hanc ipſam novam et inſolitam explicationem ſolide confirmandam, idoneis, opportunis et exquiſitis, prorſus deſtituitur. Sed haec quidem nunc in tranſitu. Illud autem, ut iam ad ſuperiora decenter regrediar, tanto magis miramur, quod vel ipſe ſummus et perſpicaciſſimus alias HVGO GROTIVS [l]) Veteres iſtos Hebraeo-

i) In *Critic. Sacr. Angl.* Tom. I. in *Vet. Teſt.* pag. 433.

k) *Ibidem,* Tom. I. pag. 437.

l) *Comment.* in *Exod.* I. 16. pag. 56. Tom. I. *Annotat. in Vetus Teſtamentum.*

Hebraeorum Magiſtros iuſto ſecurius incautius ac confidentius hic ſequutus, quod et alibi nonnunquam commiſit, ceu notum, hic ſcripſerit: *Quod in Hebraeo eſt* אבנים, *videntur eſſe Fores Vteri,* משבר: Sed bene Vir optimus hic addidit, *videntur:* alibi enim, ubi in IEREMIAM [m]) commentatur, iſtam vocem אבנים, ſic rectius interpretatur: *Alii Sellas malunt interpretari, quomodo vox iſta ſumitur,* EXOD. I, 16. ubi ſeſe ſic ipſe veluti tacite, correxit, Vir alios errantes placide corrigere ſolitus, ſeſeque ipſum errantem ab aliis rectius monentibus, corrigi quoque libenter paſſus, ut ſcilicet magna et ſublimia ingenia ſolent. Sed haec obiter.

§. CLIX.

Ex hiſce igitur cauſſis ſat gravibus ac manifeſtis, opinor, doctiſſimus ille NICOLAVS FVLLERVS [n]) vana iſta Kimchiana aliaque id genus Rabbinica Commenta, ceu abſurda prorſus deliramenta, merito reiicit, ac faſtidita relinquit: cuius iuſtum hic verumque iudicium, tametſi ipſis verbis ferum nonnihil atque ſeverum, recte proinde calculo ſuo approbat clariſſimus ipſius popularis EDVARDVS LEIGH [o]) ut et, niſi fallor, CASPARVS NEVMANNVS [p]), ne de aliis iam dicam, qui iſta Iudaeorum inſomnia paene Corybantica pariter merito exploſerunt. Ipſe vero laudatus modo FVLLERVS hic e contrario, cum multis aliis, ſtatuit; illud noſtrum האבנים deſcendere forſan commode poſſe ab אבן, *Lapide,* unde plural אבנים, *Lapides,* ceu notum: quare et *Septuaginta Interpretes,* in iſto IEREMIAE loco, mutatis forte vel abſentibus punctis, il-

 lud

m) In Cap. XVIII, 2. pag. 200. Tom. II. *Annotat. in Vet. Teſt.*

n) Lib. V. *Miſcellaneorum Sacrorum,* Cap. 19. pag. 91. ſeqq.

o) *Criticae Sacrae,* Tom. I. in *Vet. Teſt.* pag. 2.

p) In *Exodo Linguae Sanctae,* pag. 180. citat. in b. 10. SIMONIS *Lexico Hebraico et Chaldaico,* pag. 8. Ipſe enim NEVMANNI Liber laudatus iam non eſt ad manum.

lud האבנים, reddiderint graece, per λίϑȣς, ſive *Lapides,* legentes nempe אֲבָנִים, *Abanjim, Lapides,* pro אָבְנַיִם, *Abnajim,* de quo iam tractamus. Ex his igitur aſſumtis, et fundamenti quaſi loco, poſitis lapidibus, mox diligenter imo et audacter, exſtruit ipſe FVLLERVS ſellam novam quaſi, ex duplici veluti lapide rotundo conſtantem, (nempe propter dualem, in voce quidem האבנים, occurrentem, de quo iam ſupra ſaepius dictum) coagmentatam ſcilicet, ut ipſe ait, ex duabus tabulis rotundis, pari undique intervallo disiunctis, quarum porro ſuperior ſedilis, inferior autem ipſius Baſis vice fungeretur: illa nimirum huic ipſi ita incumbente, ad quandam ſcilicet catilli metae ipſi imminentis, ſimilitudinem, qua duplicata veluti ſella lapidea poſtea puerperae ad edendos ſuos amabiles pullos, ſeu infantes, figuli vero ad tornandas et adornandas ſuas ollas et paropſidas, uſi fuerint. Haec quidem laudatus FVLLERVS, ſat ſcite, non nego, acute et appoſite: modo etiam ſat ſolide, vere, indubitate, atque invincibiliter.

§. CLX.

Inde igitur IOANNES ille CLERICVS [q]), Vir magni ſane multique laboris ac ſtudii, atque hinc magni quoque multique meriti ac Nominis, amicus quondam noſter et fautor ſummus, nunc eheu! dudum deſideratiſſimus [r]), hanc ipſam novam et male

q) *Comment. in Pentatevch.* Tom. I. Opp. in *Vet. Teſt.* Sect. II. pag. 5. *Comment.* in *Exodum.*

r) Quem longe celeberrimum Virum ante hos quadraginta et amplius annos, noſmet ipſi *Amſtelodami,* adhuc vivum vidimus; imo rectius loquendo, ſemivivum quaſi, aut ſemimortuum. Erat enim tum defectiſſimus annis ac viribus, et obliviofus plane ſenex, ita, ut ſaepius nec ſuos domeſticos, nec ſuam ipſius domum ſat bene ac diſtincte amplius noſſet; adeo ut tunc ipſe CLERICVS in CLERICO, heu! fruſtra, quaerendus eſſet, ipſique hinc appoſite conveniret illud LVCANI, de M. POMPEIO: *ſtat Magni Nominis umbra.* Sed haec hic obiter: data nempe

male formatam coniecturam Fullerianam, haud ſolido nempe lapidi ſuperſtructam, ſed et ex lubrica veluti argilla potius utcunque conflatam, tanquam fictilem futilemque ollulam forti crudelique quaſi manu, miſere diffringit, ac fruſtatim diſſipat. E contrario autem aliam novam prorſus, et nondum a quoquam proditam coniecturam, quantum quidem nobis conſtat, in medium adfert, qua omnem ſcrupulum dubitationemque commodiſſime ſemel ſimulque ita tolli poſſe, ſui nimium profecto ſecurus, coniectat. Putat nimirum Vir iſte ſummus, vocem iſtam duali numero, enunciatam nempe אבנים, nihil aliud commodius ſignificare hic poſſe, praeter *genua*, ſcilicet, quibus olim ipſae puerperae incumbentes parere ſolitae fuerint, uti ſcilicet apparet 1 *Sam.* IV, 19. *in genua ſe demiſit*, (nempe ותכרע, *vattichrah, unde* כרעים, *Chirhajim*, *crura*). Quae vero cuncta leviter admodum, gratis, ac ſine ullo argumento, auctoritate aut pondere, ex mero ingenio, ſic ibi calide nimis, at minus callide, aut ſolide, propoſita, nemo facile prudens admiſerit [s]): multo minus, ubi Vir praeſtantiſſimus ſequentia addit: *Fortaſſis Figuli eodem ſitu corporis, operi ſuo incumbebant:* Quis vero vel ex plebe tantum rerum domeſticarum gnara, obſecro, crediderit, Figulos tam moleſto et intolerabili fere diutius corporis inclinati et contracti ſitu, genibus nempe inflexis incumbentes, opus ſuum ollare ac fictile perfeciſſe,

nempe fortuita hic occaſione: in iucundam ſcilicet illius meae peregrinationis recordationem: quae me interdum adhuc mire ſolatur ac reficit in hac mea extrema ſenectute, ſolitudine, ſolicitudine, et Vita denique negotioſa potius, quam otioſa, aut deſidioſa. Verum tacere praeſtat, quam fruſtra queri ac lamentari, quod ſapientem Senem minime decet.

[s]) Praeſertim quum non uno, ſed diverſo ſaepe modo, foeminae pariant, ut notum. Quaedam enim ſtando, aliae genibus innitendo, rurſus aliae in ſella, et aliae denique in Lecto, aliisve modis, ſecundum diverſam cuiuscunque naturam, indolem, ac conſuetudinem, facilius, felicius ac lubentius, foetus ſuos excludere ſolent; adeo, ut hinc pauciſſimae earum, genibus moleſte incumbant, ut obſtetricibus aliisque ſatis conſtat.

feciſſe, perficere per rerum naturam, unquam potuiſſe? Dubio enim omni caret, quod hoc quidem modo, motuque ac ſitu corporis perverſo, ne ullam quidem ollam teretem ac rotundam ſic unquam ſcite formare valuerint; quin potius monſtroſa ac male formata vaſa, prout coecus nempe caſus ferret, utcunque confecerint, ita, ut, quum ampla forte amphora inſtitui coepiſſet, currente ipſa potius per ſe rota, quam concurrente ſimul figulo, fruſtra nempe humi interea ſedente, exiguus tantum et incurvus urceus, inexpectato fato, exiret, ut ita cum HORATIO loqui hic liceat [t]). Pedibus igitur et manibus ſimul vel maxime indigent ipſi figuli, artis ſuae periti, ad opus ſuum ſcite et affabre ex Voto, perficiendum. Ad Rotam enim ſedentes, illam ipſam pedibus circumagendo, vaſa ſua confingunt, et prout lubet, efformant, ceu omnibus notum [u]). Inde et eleganter et ſignificanter ab HESYCHIO [x]) vocantur ποδοτρόχαλοι, hoc eſt *pedibus Rotam verſantes*. Sic enim ipſe: ποδοτρόχαλος, ὁ τῷ ποδὶ τὸν κεραμικὸν τροχὸν κινῶν, ſive forte rectius δινῶν. Sic enim ipſe HIPPOCRATES [y]): κεραμέες τροχὸν δινέουσι, καὶ οὔτε ὀπίσω, οὔτε πρόσω χωρεῖ, καὶ ἀμφοτέρωσε ἅμα, κ. τ. λ. *Figuli notam Rotam verſant, et neque retrorſum, neque antrorſum illa procedit; ſed ſimul in utramque partem.* Id vero neutiquam ſic accurate obſervari et tractari poſſet; ſi figuli quidem ipſi ſubmiſſis tantum et otioſis veluti genibus, Rotae, vage currenti languide aſſiderenr, nec manibus iuxta pedibusque ſimul vago illi circumactae Rotae motui operam opemque caute praeſtarent, quo iuxta ſuam intentionem ac ſententiam, vaſa illa ipſa deſiderata, et non alia prorſus confuſa, contra votum finemque, incaſſum producerentur. Id vero ipſum antiquiſſimis iam temporibus, imo ab omni fere aevo, receptiſſimi ſemper fuiſſe moris, ut

t) Lib. *de Arte Poet.* ceu notum.
u) Conf. RAMAZZINI Diatriba *de Morbis Artificum*, cap. V. p. 45. ſqq.
x) *Gloſſar.* pag. 773. conf. PRICAEI *Comment.* ad APVLEII *Apologiam*, pag. 117.
y) Lib. I. *de Diaeta*, pag. 194. Tom. I. Opp. per LINDENIVM.

ut ita figuli ſcilicet ad Rotam fomatilem ſuismet ipſorum pedibus aſſidue circumactam aſſiderent, ſicque vaſa, mente prius concepta, artifice deinde manu concinne efformarent; non ſolum hic ipſe ſacer IEREMIAE locus liquidiſſime oſtendit; ſed et a profanis Auctoribus, ipſo nempe HOMERO *), STRABONE a) aliisque, a MENAGIO b), HARDVINO c), COELIO RHODIGINO d), CASAVBONO e) aliisque, copioſe laudatis, abunde confirmari poteſt: adeo, ut illi omnino fallantur, qui ANACHASIDI Scythae, philoſopho, apud DIOGENEM LAERTIVM, SVIDAM et alios, item HYPERBIO, CORINTHIO, TALO, COROEBO, et aliis, iſtud τροχȣ κεραμικȣ ἕυρημα, adſcribere maluerint f). Inde recte vereque SENECA g): *Ego nec Anacharſin Rotae illius Figuli, cuius circuitu vaſa formantur, fuiſſe auctorem contendo*, et quae ibi ſequuntur. Verba igitur illa prophetae: היוצר עשה מלאכה על־האבנים, non ſunt cum CLERICO, Hebraice alias doctiſſimo, ita convertenda: *Figilus ille faciebat opus ſuum ſuper genibus*, vel *ad genua;* quod omni nempe ſenſu commodo caret; ſed potius reddenda, ut omnes ſcilicet Interpretes recte fecerunt: *Iſte Figulus perficiebat opus ſuum ſuper Rotis*, aut *ad Rotas*, aut *Rotam*, vel *ſuper Sella rotunda rotae ſimili*, de quo ſtatim plura h).

§. CLXI.

*) *Iliad.* XVIII. 600. ubi conf. inprimis EVSTATH. pag. 1226.

a) Lib. VII. pag. 343.

b) *Comment.* ad DIOG. LAERT. Lib. I. *Vita* ANACHARSIDIS, pag. 61.

c) *Comment.* ad PLIN. Lib. VII, cap. 56. pag. 414. Tom. I. Opp. adde WESSELING. ad DIODOR. SIC. Lib. IV. pag. 319. Tom. I.

d) Lib. XVIII. *Antiquar. Lect.* cap. 23. pag. 856.

e) *Comment.* in ATHENAEVM, Lib. I. cap. 22. pag. 65.

f) Conf. ALMELOVEEN *Rerum inventar. onomaſt.* pag. 27.

g) *Epiſtola* XC. pag. 321.

h) Hoc unicum vero adhuc commode hic ſubnectere liceat, amoenae ſcil. varietatis gratia: Nimirum, cum hac ipſa voce האבנים, *Haafnajim*, magnam, imo, ut quidem videtur, proximam affinitatem ac convenientiam habere noſtram vernaculam vocem, *ein Hafen*, id eſt, *olla fictilis*, unde

ein

§. CLXI.

Digna igitur haec utique erat conieƈtura tenuis humilisque ac infelici ſub ſidere nata, (ſit venia quaeſo, dicto, hic ab ipſa ſevera veritate nobis paene invitis, ſic expreſſo!) quae non ſolum veluti ſupplex, humi miſera et abieƈta, in genua procumberet; ſed et inſuper, cum infelici illo AVGVSTI imperatoris *Aiace*, in humidam ſpongiam incumberet, ut ſcilicet ſic tota quanta, deleretur et expungeretur. Neque enim hinc ſequens Viri alias magni, interpretatio hic ullo modo commode admitti poteſt: *Hoc ergo vellet Rex Aegyptius, eo momento, quo nati eſſent pueri, dum Matres adhuc genibus incumberent, ſuffocandos fuiſſe, ita, ut nec pater impedire poſſet, nec ipſa Mater ſentiret.* Quomodo enim id apte commodeque fieri potuiſſet, nulla prorſus ratione concipi, aut intelligi poteſt. Praeſertim, quum ipſa naturalis ac conſueta verborum conſtruƈtio omnino ſuadeat, imo valide imperet, ut non de *genibus*, aut ipſius corporis membris; ſed de quodam potius *inſtrumento*, aut *machina* quadam, veluti *Sella*, aut ſimili quadam re, haec ipſa intelligantur, ſuper qua et ipſae puerperae ſuos foetus parerent, ac figuli quoque ſuas ollas vaſaque ſua fiƈtilia pararent; quod ipſum nempe reƈte hic urgebat FVLLERVS, et ipſe CLERICVS ſua auƈtoritate amplius confirmabat. Sed haec pace manium magni alioquin CLERICI, diƈta hic ac modeſte monita ſunto; quos alias laudare magis, ac honorare decet, quam laedere,

ein *Hafner,* hoc eſt *Figulus,* ceu omnibus notum. Hoc aliquando probabilius forſan videbitur, quam cava ille Cl. FRISCHII derivatio, ſi ita dicere liceat, dum voces illas *Hafen* et *Hafner,* veluti *a cavo,* deducit. Quam plurimas vero voces Hebraeas in noſtram Linguam vernaculam ſenſim tranſiiſſe, ſexcentis fere exemplis liquidiſſime oſtendi iam poſſet, ſi locus hic commodus foret. Interim id iam ex parte, ſatis probarunt MORHOFIVS, SCHOTTELIVS, BOEDIKERVS, WACHTERVS, FRENZELIVS, ipſe laudatus FRISCHIVS, aliique plures, et denique nosmet ipſi paſſim demonſtravimus, in *Exercitationibus Grotianis.* Vbi vid. ſi lubet, p. 316. 550. 552. 553. et alibi. Sed haec iam ſufficiant.

laedere aut contumeliis onerare: quippe quod a moribus noſtris prorſus alienum.

§. CLXII.

Sed mox aliam novam coniecturam longe veriſimiliorem ac probabiliorem hic denuo proponit ipſe FVLLERVS, quam nunc diligenter inprimis atque ſollicite expendere ac trutinari utique decebit. Coniicit nimirum Vir ille doctiſſimus, vocem illam dubiam et obſcuram אבנים, origine ipſa et ſignificatione, et ſono denique ipſo, ſatis exacte per omnia, convenire cum alia, ſed idem fere ſignificante voce אפנים, quae pariter duali numero ſic enunciata occurrit *Proverb.* Cap. XXV, 11. denotatque *binas Rotas,* aut *Machinas rotundas,* et rotarum circuitum imitantes, ſcil. ab אבן, vel אופן, *Rota,* uti ubique notiſſimum [i]). Ne vero hic obſtare videatur ſubita illa literarum congenerum fere mutatio, ſcilicet ב, in פ, et vice verſa: literas illas affines inter ſe valde eſſe monet, provocatque ad ipſum

pretatus

[i]) Ipſa illa verba SALOMONIS in ſtatu conſtructo, ita fluunt eleganter: דבר דבר על אפניו, h. e. *verbum dictum rotis ſuis,* hoc eſt, *rotunde. apte et opportune dictum.* Ita pariter Graeci acutiſſime dicunt: λόγους καὶ φράσεις εὐτρόχους, apud PHOT. p. 549. et p. 556. et DIONYS. HAL. T. II. p. 21. ubi plura, item PHILON. IVD. *de Migrat. Abrahami,* p. 313. et alibi, add. SVIDAS. in εὔτροχον, et στρόγγυλα ῥήματα: AELIAN. *de Nat. Animal.* LVCIAN. PLVTARCH. in *Pericle,* et alii. et maxime MAX. TYR. *Diſſ.* XV. p. 148. et alibi. Quo et illud EVRIPIDIS praeſertim pertinet in BACCH. 268. εὔτροχον γλῶσσαν, ὡς φρονῶν, ἔχεις. Sic et IVVENALIS *Sat.* VI. 448. *Sermonem rotatum* dixit, et HIERONYM. *Epiſt.* LXI. 4. *uno Linguae rotatu,* vid. TVRNEB. *Adverſ.* III. 17. et MVRET. *Var. Lect.* VIII. 21. At taceo plura εὐτρόχως. Sed conf. huc CRESOLLII *Theat. Vet.* Lib. III. cap. 26. pag. 349. item IVSTI *Specimen. Crit.* cap. 21. p. 68. ſeqq. et KOEN, in *Not.* ad GREGOR. CORINTH. *de Dialect.* pag. 268. Verum haec nunc ſatis ad explicandas illas aptas et concinnas ſermonis rotundi Rotas a SALOM. obſcurius dictas, quae nobis hic opportuna occaſio ſponte obtulit. Praeſertim, quum alia hic habeat DELRIO, *Adag. Sac.* T. II. p. 255. et B. GEIERVS noſter, p. 1337 ſeqq.

HIERONYMVM, qui *Proverb.* XXI, 14. יכפה, perinde ac יכבה, interpretatus olim fuerit, nempe a, כפה, et כבה, quod utrumque inter alia, *extinguere,* ſignificat, ut nemo fere neſcit. Hic vero, ut ingenue fatear, vehementer admodum demiror, hunc noſtrum quidem FVLLERVM, Hebraice haud dubie doctiſſimum, ad hanc tamen ſuam ſententiam probandam, quaſi ſubtimide et dubitanter, ad unicum tantum illud exemplum ab HIERONYMO prolatum, hic provocaſſe: quum tamen, ut ipſi paene ſciunt Linguae ſanctae Tirones, nihil ſane frequentius in ipſo *ſacro Codice* occurrat, quam iſta quidem literarum congenerum, affinium ac ſibi conſonarum ſcilicet τῦ ב, et פ, inter ſeſe permutatio: ita, ut ex innumeris paene, pauca tantum iamiam in medium hic afferam exempla, promiſcue ſaepius dicuntur בזר et פזר, בצע et פצע, שאב et שאף, item פטר, ac בתר, שרב et שרף, ברזל et פרזל, porro גב, et גף, pariter כבל, et כפל, ut et כשף, ac כשב, nec non בשר et פשר, itidem צרב et צרף, pariter כבש, et כפש, et denique, ut finem tandem faciam, דבה, atque דפה, quae voces ſcilicet ſingulae non ſolum ipſa ſignificatione, ſibi invicem exactiſſime reſpondent; ſed et ſimul perpetuam inter ſeſe literarum illarum ב, et פ permutationem, nullo plane habito diſcrimine, ultro admittunt, et ubique fere exhibent. Sed praeter omnes Gloſſariographos Hebraeos, maximus inprimis SAMVEL BOCHARTVS[k]) illum dudum receptum literarum permutationis morem probe obſervavit et aliquot exemplis, ex innumeris fere, comfirmavit, quem ſummum ducem nosmet quoque ipſi olim, data occaſione, preſſe ac reverenter, etſi haud paſſibus aequis, ſequuti ſumus [l]).

§. CLXIII.

Verum ipſe FVLLERVS nec primus, nec ſolus fuit, qui teretem hanc et rotundam, ut ſic dicam, coniecturam nitide formaret, tornatam-

k) Lib. II. *Chan.* cap. 4. pag. 713. et *Hierozoic.* Part. II. Lib. IV. cap. 4. pag. 471. et cap. 5. pag. 478. et paſſim alibi.

l) In *Exercitat.* ad HVG. GROTII *Chriſtum Patientem, Tragoed.* pag. 420. et pag. 565. et hinc inde in ſequentibus, paſſim.

tornatamque foras efferret: ſed potius, dudum, ante ipſum forſan natum, extitit apud nosmet ipſos, Vir quidam Orientis Linguarum ſua quidem aetate, peritiſſimus, et ab ipſo magno REVCHLINO, praeceptore quondam ſuo, impenſe laudatus, et reliquis diſcipulis, tanquam unus omnium, eximie digneque praelatus [m]), ac ſimul huius ipſius noſtrae Academiae inſigne decus et ornamentum, ſcil. IO. FORSTERVS, qui non ſolum eandem prorſus ſententiam privatim foveret; ſed et poſtea publice proferret, et Lexico ſuo, alias bonae frugis pleniſſimo liberaliter inſereret: ex quo, quum rarius hodie iſtud occurrat, et eruditis parum notum ſit, ipſa eius verba notatu certe digniſſima, huc integra transferre haud gravabimur [n]). En autem nunc iſta ipſa: אבנים, *Nomen dualis Numeri tantum, Sella, in qua, ex Muliere parturiente, filius filiave aedificatur: vel Rotam illam Figuli ſignificat, ſuper qua Vas aliquod luteum ille aedificat. Vel deducitur a Nomine ſingulari* אפן, *quod proprie Circumferentiam illam in Rota, ſignificat, quam Latini Canthum vocant: quanquam ſaepiſſime pars pro toto, accipiatur: Et tum ſcribitur* אבנים, *pro* אפנים, *ſignificat duplicem Rotam, ſicut certe Rota eſt Figuli, quae ſuperne unam circumferentiam, et inferne alteram habet, et eſt quaſi duplex Rota, ſeu duae Rotae, ſeu Sella ex duabus Rotis. Similiter etiam fortaſſe Sella aedificata fuit, in qua Mulieres in partu enitebantur. Et legitur tantum bis, in ſcriptura ſacra,* Exod. I, 16. *Quando obſtetricabitis Hebraeis, et videbitis ſuper Rota, ſeu Sella, quod ſit Filius, occidatis eum. Item* EZECH. XVIII. (hic IEREMIAE potius ſcribere volebat, certe debebat, Vir optimus alias et praeſtantiſſimus, facili atque hinc merito ignoſcibili, memoriae, non

 ſemper

m) Conf. *Vita* IO. REVCHLINI a IO. HENR. MAIO deſcripta, p. 542. ſqq. in *Annotat.*

n) *Dictionario Hebraico Novo*, fol. 103. conf. et ibidem, fol. 659. ſub *Rad.* פנה, unde אפן, et אפנים, (de qua ſupra, et mox plura.) Edit. Baſil. Anno 1654. Add. quoque IO. AVENARII, pariter profeſſoris quondam noſtratis, *Lib. Radicum*, ſeu *dictionarium Hebraicum*. fol. 4. et fol. 46. ubi eadem paene; ſed brevius et conciſius.

ſemper fidae lapſu) *Et deſcendi in domum Figuli, et ecce! ipſe faciebat opus ſuper Rota.* Hactenus igitur FORSTERVS noſter, egregie profecto, in plerisque, docte atque acute, pro more ſcilicet ſolito ipſi atque conſueto. Eadem tamen fere leguntur apud PAGNINVM ac MERCERVM, pag. 20.

§. CLXIV.

Quicunque igitur nunc inter haec ipſa *Forſteriana,* atque illa *Fulleriana* dicta, vel levem tantum comparationem inſtituere voluerit; ſtatim, ni fallor, in non levem forſan ſuſpicionem adducetur, iſtum quidem clarum *Britannum*, tum *iuniorem,* noſtri clarioris *Profeſſoris Wittebergenſis Senioris,* Rotam quaſi verſaſſe, ſuamque ollulam, ut ita loqui liceat, ſuper ipſa illa ſcite efformaſſe. Ego autem hanc facile ſubnatam cuivis ſuſpicionem nec confidenter affirmans, nec diffidenter negans, curo hic potius, quid dictum ſit; quam a quo, aut a quibus, illud demum dictum ſit. Penitus igitur approbo, laudo ac lubentiſſime affirmo egregiam iſtam utriusque ſententiam, אבנים nempe atque אפנים, eiusdem eſſe ſignificationis, eiusdemque originis, mutatis tantum, more conſueto, inter ſeſe literis illis homogeneis, ſibique viciniſſimis, ſcilicet τῷ ב, ac τῷ פ, ut modo ſupra, multis demonſtratum, tumque utramque illam vocem duali numero enunciatam, generatim denotare Rem quandam rotundam, ſphaericam, ſeu Rotae orbiculatae circumferentiae figura et ſtructura ſimillimam: ſive orbis ille ſit ſolidus, ſive etiam excavatus, ac plenae veluti lunae in modum formamque, rotundatus atque circumductus.

§. CLXV.

Sic ergo nunc ultro, et manu quaſi deducimur tandem ad ipſas illas Sellas, quibus olim, more recepto, inſidebant foeminae parturientes: quae et duplices quaſi inde erant, quod ſuperior illa earum pars, cui accline inſidentis puerperae dorſum incumbebat, per commode inſerta et applicata vincula, ligamenta et articulationes,

pro

pro lubitu, commoditate ac neceſſitate, proclinari ac reclinari, ſive ſurſum erigi, et rurſus deorſum demitti ac relaxari poſſet; quales ſcilicet hodieque etiam paſſim adhuc frequenti in uſu eſſe ſolent, ut inter alia conſpicere licet apud SCIPIONEM MERCVRIVM, WELSCHIVM, SOLINGEN, et alios Scriptores Locheuticos, iam ſupra laudatos. Praeterea vero illae Sellae in ipſo ſui medio amplum plerumque habebant foramen rotundum, et ad inſtar Lunae orbiculatae, excavatum, cui propenſo ad partum excludendum, utero, tumido, ipſa puerperae ſic inſidebant, ut ita ipſe foetus in illud ex matrice procidens, ab expectante et obſervante obſtetrice, manibus ſtatim reciperetur, et debito modo procuraretur (de quo vid. ſupra, §. CLIII. pag. 221. 222.). Hoc igitur utrumque, nempe de Sella quaſi plicatili, mobili, item inclinabili ac reclinabili, ſimul autem rotunde perforata, ita ipſe HIPPOCRATES [o]) more quidem ſuo, perquam breviter ac ſuccincte; aſt ſatis tamen ſcite, ſolide ac graviter expreſſit, loco illo eximio, iam ſupra [p]) merito laudato et nonnihil explicato: ἡ γυνὴ ἐπ᾽ ἀνακλίτȣ δίφρȣ τετρυπημένȣ καθήσθω: *Sedeat Mulier puerpera ſuper reclinata Sella perforata.* Vbi τὸ ἀνάκλιτον, reſpicit quaſi ad dualem iſtum in illa Hebraica voce ſervatum אבנים, de qua ſupra; et ſequens mox τὸ τετρυπημένον, ad iſtam affinem et homogeneam vocem אפנים, ſive formam rotundam, aut *ad inſtar Rotae, excavatam* ac orbiculatim efformatam. Rotae vero loco, ipſe MOSCHION [q]), pari fere, imo maiore elegantia, ipſam foraminis iſtius ſimilitudinem orbicularem deducit ab ipſa Luna plena et perfecte rotunda, in loco iſto inſigni, iam ſupra [r]) merito laudato, qui Commentarii veluti vice, commode inſervire poterit loco iſti ar-

 ctiori

o) Libro *de Superfoetatione*, pag. 648. Tom. II. Opp.

p) Scil. §. CXLVIII. pag. 210.

q) *Gynaec.* Cap. XLVII. pag. 4. ſeqq. et pag. 8. *Collect. Gynaecior. Spachianae.*

r) Nempe §. 153. pag. 220. ſeqq.

ctiori et contractiori HIPPOCRATIS, modo producto, uberius et luculentius illuſtrando et explicando. Sic autem ille habet: ὁ μαιευτικὸς δίφρος ἔστω, καθάπερ ἐστὶν ἡ καθέδρα τοῦ κουρέως, ἐν ᾧ καθέζεται, ἵνα χῇ ὑπὸ τὴν φύσιν, ὁμοίωμα σελήνης, στρογγύλην τετμημένην, ὅπως ἐκεῖσε τὸ ἔμβρυον πεσεῖν δυνηθῇ: *Sella iſta obſtetricia ſit ſicut Sella tonſoria*, (h. e. rotunda, ac libera, ſine ſuſtentaculo aut fulcimine, in dorſo, ut notum), *in qua ſedetur, ſic ut ſub ipſo Mulieris inſidentis ſexu, ſive pudendis illa accurate habeat foramen amplum rotundum, ſimilitudine Lunae pleno orbe fulgentis, inciſum et excavatum, quo ipſe infans ex utero prolapſus illuc procidere commode poſſit.* Hactenus MOSCHION, cum ipſo HIPPOCRATE, ipſius MOSIS quaſi hic commentator et Interpres, quamvis ſerus ac profanus, tamen verus, nec plane vanus, ut ita dicam.

§. CLXVI.

Inde igitur, propter ipſam illam aperturae in medio, formam lunatam ac perfecte rotundam, has ipſas parturientium Sellas δίφρους κυκλοειδεῖς, ſeu σεληνοειδεῖς, h. e. *Circulo*, aut *Lunae plenae, rotundae ſimiles*, ut Graeci ſcite loquuntur, *Laſanis* iſtis, ſive ſellis familiaricis, ſeu σωτηρίοις, ut Graecis recentioribus laudabili εὐφημισμῷ, vulgo in uſu eſt s) naturali illi neceſſitati inevitabili deſtinatis, rectiſſime et aptiſſime comparat ipſe HIPPOCRATES, loco ſupra modo indicato. Nec minus autem ſcite et appoſite eaedem paſſim aſſimilantur ſellis illis thermalibus, aut rectius forte, thermaeis, ſive balnearibus, quae pari lunato, vel rotato foramine inſtructae, ceu notum, ſalutares illos vapores calidos, in inferioris ſcilicet corporis languidi medelam, per iſtud ipſum, ſurſum emittunt, illudque blando illo

s) Vid. de his REINESII *Var. Lect.* Lib. III. cap. 7. pag. 469. KÜSTER. ad SVIDAE *Gloſſar.* Tom. I. pag. 392. STEPHAN. *le* MOYNE *Obſſ.* ad *Var. Sacra*, pag. 815. et CANGII *Gloſſar. Med. et Infim. Graecitatis*, Tom. II. pag. 1516. copioſe, ac IO. SCHEFFERI *Not.* ad MAVRICII *Strateg.* pag. 533. et MAVRIC. pag. 353.

iſto aquarum calentium fotu vaporoſo, mirum in modum, perpetuo recreant, ac reficiunt. Quorſum inprimis profecto ſpectat inſignis ille CASSIODORI [t]) locus, de ſalutiferis ſcilicet Thermis iſtis Aponinis celeberrimis, de quibus alibi iam data occaſione, ipſi egimus [u]). En autem nunc ipſa illius verba: *Hinc deſuper Sella compoſita, quae humanis neceſſitatibus, in Abſidis ſpeciem, perforatur, aegros ſuſcepit interno humore diffluentes: ubi, dum feſſi nimio languore, conſederint, vaporis illius delectatione recreati, et laſſa viſcera reficiunt, et humores noxia infuſione laxatos, vitali ariditate conſtringunt; ut quaſi aliquo deſiderabili cibo refecti, valentiores queant protinus inveniri.* In quibus venuſtiſſimis verbis, iſta inprimis attentius conſiderari et ſtudioſius expendi utique merentur: *Sella in Abſidis ſpeciem perforatur.* Ibi enim illa *Abſidis,* ſeu *Apſidis ſpecies* plane reſpondere videtur illi Hebraicae voci, אפנים nempe ab אפן, h. e. *Rota*, ſeu *Rotae Abſis,* aut *Canthus*, late enim ſumi ſolet vox iſta אפן, ut vulgo notum, et ſupra quoque ex FORSTERO noſtro, obiter obſervatum: adeo ut inde Locus iſte noſter ſacer EXOD. I, 16. de quo hactenus diligentius actum, eximiam plane lucem accipere omnino videatur. Illud nempe *Sellae obſtetriciae rotundum foramen* ſimilis erat האפנים, *Rotis*, ſeu *Rotae abſidi,* atque illa *Sella Thermalis Aponina* pariter ſimilis erat forma ſphaerica, ſeu Rotunditate, iſtius modi *Abſidi Rotarum,*

t) Lib. II. *Variar. Epiſt.* XXXIX. pag. 147. conf. IO. RHODII *Not.* ad SCRIBON. LARG. pag. 280. et ſupra §. CLIII. pag. 221.

u) Tom. III. *Opuſcul. Med. Philol.* pag 4. De re autem ipſa, ſic vapores Thermarum calidos ad denudatas inferioris corporis partes admittendi doctiſſime et copioſiſſime agit laudatus modo RHODIVS, ad SCRIBON. LARG. pag. 103. ſeqq. ibique ROBERTELLVS, pag. 109. ſeqq. add. et Cl. PASCHAL. CARYOPHILI Tract. *de Thermis Herculanis*, pag. 33. ſeqq. ut BACCIVM, IOVBERTVM, CAVLIVM, MERCVRIALEM, alioſque, qui de iſta Methodo curandi per vapores, diligentius tractarunt, nunc ſtudio taceamus, quoniam de iſta quidem re iam non ex inſtituto hic agimus.

rum, undique exacte rotundatae et in aequalem ubique orbem accuratiſſime circumductae. Sed de his demum hactenus.

§. CLXVII.

Cunctis autem his argumentis, hactenus quidem longe lateque pertractatis, nec omni certe pondere haud, ut ſpes quidem eſt, plane tenuis, in poſterum carituris, nunc demum, in opportunum veluti adiumentum, ſuccedant ipſi nonnulli vetuſtiſſimi ac praeſtantiſſimi Hebraeorum doctores, ac Rabbini, veluti R. SALOMON, ut et IONAH, et IOSEPH, ac ABARBANEL, aliique, item *Paraphraſtae chaldaei,* BEN VZIEL, atque ONKELOS, qui illud אבנים, hactenus explicatum, pereleganti paraphraſi, reddunt per מושב האשה היולדת, hoc eſt *Sellam parturientis Foeminae;* quod et iidem ſic ſcite exprimunt כאתא, vel כאתתא דיתבא עלמתברא (quod idem nempe, ceu notum) *ſicut Mulier, quae ſedet ſuper Sella parturientis.* Sic nempe vocem illam משבר explicant plerumque per מתברא ſeu *parturientis Sellam,* etiam iis in locis *ſcripturae Sacrae,* ubi non tam de parturientium ſella ſermo eſt, ſed de earum potius doloribus acerbiſſimis, item partu difficili, Matrice clauſa, debili, ad enitendum inepta et inhabili, ut et denique ipſo foetu effoeto, languido, viribus deſtituto, atque in ipſo matricis haud ſatis apertae oſtio haerente ac fruſtra exitum moliente, uti inter alia, liquido apparet ex locis, 2 *Reg.* XIX, 3. 2 SAMVEL. XXII, 5. IESAIAE, XXXVII, 3. HOS. XIII, 13. atque aliis locis, in quibus illa Λox משבר, occurrit, h. e. *Matrix,* ut modo dixi, ſeu ipſe locus, per quem ipſe foetus ſtato tempore, natura urgenta, erumpit, vel quem foetus quaſi niſu ſuo frangit, ac aperit, ut ſcilicet ex ipſis *Gloſſariis,* et aliunde ſatis ubique notum. Sic enim in illis quidem locis IES. et HOS. verba illa, כי־באו בנים עד־משבר reddantur: *Tanquam venerint pueri* vel *filii uſque ad Sellam,* vel in altero HOSEAE loco iſtae voces במשבר בנים, per *in Sella filiorum,* vertantur, tum nullus ſane commodus ſanusque ſenſus utrinque inde emerget. Quod ſi vero contra, prior locus ita redoatur *tanquam, ſi quaſi venerint filii uſque*

uſque

ad matricem, ſive *os matricis:* alter vero ſic vertatur: *in matrice* *) *filiorum,* ex qua ſcil. ipſo partus tempore, filii, ſeu infantes prodeunt, perrupto nempe ipſius oſtio: tum ſane omnia ſibi appoſite, ſcite ac convenienter in utroque loco, protinus reſpondebunt. Quamvis igitur in omnibus illis locis, ſupra iam indicatis, ut alios nunc taceam, ſella illa obſtetricia nullam veluti ſellam, ſive locum proprie habeat; ex illa ipſa tamen explicatione, etiamſi non ſatis commode, aut opportune illuc allata, ſatis perſpicue, opinor, atque luculenter apparet, vetuſtiſſimam quidem atque receptiſſimam olim fuiſſe traditionem ac relationem, veluti πατϱοπαϱάδοτον, ad omnes fere poſtea generationes ſcil. traductam, de *Sellis* nempe *illis obſtetriciis, rotundis, lunatis, aut rotatis,* ut ſic loqui liceat, adeo, ut et inde locum hic habeat commodum illud quidem dictum *Ovidianum:*

Pro magna teſte Vetuſtas
Creditur: acceptam parce movere fidem.

§. CLXVIII.

Inde igitur hos veteres Hebraeorum Magiſtros tanquam fidos et probos duces, hic poſtea, veluti certatim, ſequuti ſunt noſtri recentiores Interpretes et Lexicographi, in explicandis ſcilicet illis אבנים, per מושבים אשת היולדות, ſive per *Sellas Foeminarum parturientium,* veluti FVLLERVS [y]), FESSELIVS [z]), PAGNINVS, ibique MERCERVS [a]), BVXTORFIVS [b]), SCHINDLERVS [c]), FORSTERVS [d]), AVENARIVS [e]), SIMONIS [f]), LEIGH [ff]), aliique, iam

*) Lib. IV. Faſtor. 203.
y) Lib. V. *Miſcellaneor. Sacror.* Cap. 19. pag. 91. ſeqq.
z) Lib. VI. *Adverſarior. Sacror.* cap. 5. pag. 95.
a) *Theſaur. Linguae Sanct.* pag. 20. et pag. 2846.
b) *Lex. Chald. et Talmud.* pag. 2561. et pag. 2320.
c) *Lexic. Pentaglott.* pag. 16. et pag. 1798.
d) *Dictionar. Hebr. Novo,* pag. 103. et pag. 820.
e) *Libro Radic. Hebr.* pag. 4. et pag. 775.

iam ſupra, plus ſemel, merito laudati. Immo ipſe adeo CLERICVS, quanquam invitus quaſi, ac repugnans, illud tamen אבנים etiam vertit per *Sellam,* ita nempe: *Si eas Hebraeas foeminas in Sellis videbitis*, paullo poſt vero in ipſo luculento alias *Commentario,* quaſi facti iſtius ipſum poeniteret, haec ſubiungit: עלאבנים, *Hal Haobnajim, quam vocem, ita, ut fecimus, per Sellas, convertimus, non quod certum ſit, Sellas ipſas ea ſignificari; ſed quia nihil erat certius, quod affirmaremus.* Sed melius ſane atque ſecurius egiſſet, ſi ſuper ea quidem Sella tranquille conſediſſet, atque in ea adquieviſſet; quam, quum illa infeliciter relicta ac deſtructa, poſtea, in ficta illa atque fluxa plane genua miſere procumberet, quae nulli plane ſtabili fulcro inniterentur, ita ut nulla prorſus reſurgendi ſpes ſupereſſet, ut in antecedentibus, ſatis valide diſerteque, opinor, oſtendimus.

§. CLXIX.

Sed de his nunc demum hactenus: quae eum potiſſimum in finem, operoſe nonnihil atque ſolicite a nobis hic diſputata et pertractata fuerunt, ut ſcilicet *dubium* illud *Ramazzinianum*, ſuperius propoſitum [g]) de ambiguo adhuc incertoque *Lectorum vel Sellarum in puerperiis, apud veteres, uſu,* ſi non plane, ex voto quidem noſtro, tolleremus ac removeremus; maximam tamen partem, dilueremus et infringeremus, atque ita, ſi non ad ipſum primum, certe tamen ad ſecundum, vel tertium demum probabilitatis gradum iſtam quidem ſententiam eveheremus, antiquiſſimis nempe temporibus, *Sellas obſtetricias praelatas utique fuiſſe Lectis, atque frequentiore in uſu, apud pleroſque populos olim habitas.* Id vero ita demonſtravimus, quantum ſcilicet in hac noſtra extrema ac praecipiti ſenectute, valuimus, pro mediocritate ſcilicet noſtra, praeſertim in arduo illo Linguae ſanctae

f) *Lexic. Hebr. et Chaldaic.* pag. 8. et pag. 975.

ff) *Crit. Sacr.* Part. I. in Vet. Teſt. pag. 2. et pag. 237.

g) Scilicet §. CXLII. pag. 202. ſeqq.

ctae ſtudio, quod olim quidem a nobis non prorſus neglectum, aut ſocorditer tractatum fuit, ſuaſoribus ſcilicet ac monitoribus candidis, Viris orientalum Linguarum tum peritiſſimis B. nempe GLEITSMANNO, Rectore, atque B. ABICHTIO noſtro, Profeſſore, hoſpite quondam meo Lipſiae, per aliquot annos, ſuaviſſimo, et accedente inprimis ipſo ingenio, induſtria et fervido diſcendi omnia, ſcitu digna, docta et profutura, ardore. Inde igitur tunc ante *quinquaginta* et amplius annos, fortaſſe notum illud e ſacris, dictum pro modulo tamen noſtro, ſine foeda et prorſus inani arrogantia, quodam modo uſurpare potuiſſemus: ἑβραῖοι εἰσὶ, κἀγώ: Iam vero poſt tam ſpatioſum temporis elapſi intervallum, in alium veluti ac novum orbem interea delatus, variisque aliis ſtudiis, curis ac negotiis obrutus, immerſus ac diſtractus, et per omnem paene vitam, agitatus, vere ac verecunde e contrario, pronuncio: ἑβραῖοι εἰσὶ, ἐγὼ δὲ μηκέτι, ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Quare hac mea ingenua ac ſincera confeſſione interea contentus, humaniſſimus et aequiſſimus Lector, Veniam promtam atque paratam mihi placide indulgebit, uti equidem haud vane fruſtraque ſpero, imo confido, ſicubi forſan, quod utique vereor, in his ipſis criticis Hebraicis, non tam ex vana oſtentatione, quam potius inevitabili quaſi neceſſitate, hic tractandis et enucleandis, lapſus nonnunquam, fuero [h]).

Hinc veniam pro laude peto: laudatus abunde,
Non faſtiditus ſi tibi, Lector, ero.

 §. CLXX.

h) Peropportune ſane accidit, ut eo ipſo tempore, quo haec *de Veterum puerperio, Lectisque ac Sellis obſtetriciis,* utcunque commemorarem ac commentarer, mihimet ipſi ſimul auſpicato recurreret iucundiſſima illa memoria propioris mihi atque laetioris puerperii, quo me, quondam, ante *octoginta paene annos*, B. *Mater* feliciter enixa fuit: divinis nempe auſpiciis ac beneficiis maximis, reducto mihi Natali meo, d. X. Febr. A. C. CIↃIↃCCCLXXIV. Quare tum, eo quidem tempore, huic ipſi, de *Sellis Obſtetricum*, exercitationi finem optatum imponens, devotiſſima

§. CLXX.

Illis igitur puerperarum Lectis atque Sellis nunc demum relictis, in quibus paene iuſto diutius commorati ſumus; nec tamen in illis, ut ingenue fateamur, certam plane ſedem, aut ſecuram quietem invenimus; iam protinus ad alios *Lectos*, pro noſtro ſcilicet inſtituto, properemus; ad illos nimirum, quibus *Veteres* olim *Chirurgi* frequentius utebantur, ad artus luxatos apte reponendos, diſtortos et incurvatos perite ac circumſpecte extendendos, et ad fractos denique ſcienter reconcinnandos et leniter blandeque appoſitis ferulis, ſeu arundinibus, et circumiectis habenis, (de quibus nos alibi [i]) plura) firmandos ac conſolidandos, ut tandem oſſa illa fracta et disiecta denuo, natura adiutrice, ſenſim conferverent, ut CELSVS eleganter loquitur, atque ſic demum ſolidum ac decorum Callum ducerent. Eiusmodi ergo *Lectum chirurgicum* nobis fuſe et accurate deſcriptum reliquit ipſe HIPPOCRATES [k]) Artis etiam chirurgicae

votiſſima et gratiſſima mente, cum *Hieropſalte* cecini: הללו־יה הללי נפשי את־יהוה: אהללה יהוה בחיי אזמרה לאלהי בעודי *Lauda,* inquam, *Anima mea, Deum! imo laudabo Deum, donec vivam: Deum meum cantabo, donec ero:* כי־אתה גחי מבטן מבטיחי על־שדי אמי *Namque Tu ipſe mi Deus, me ex utero ptotraxiſti, Tu mihi etiam iam ſub Matris uberibus fiduciam in Te, dediſti.* Vt interea haec ipſa ex *Pſalmis* ſcil. CXLVI. 1. et XXII. 10. appoſite, profecto, deſumta, ita in gratiam τῶν Ἀνεβϱαίων, Latine convertere et circumſcribere liceat. Ceterum vero hic malignus aut profanus abſit Interpres quam longiſſime, nec pietatem noſtram, ac haec debita Deo ſummo εὐχαϱιστήϱια ἀχαϱίστως καὶ ἀχϱήστως aſpernetur, aut vilipendat. Sed nunc de his ſatis.

i) Vid. ſi placet *Opuſcul. noſtr. Med. Philol.* Tom. I. Part. II. p. 318. ſq. et deinde adhuc fuſius et diſertius, pag. 328. ſeqq. uſque ad pag. 399. ubi ſcilicet *de Remedio Habenarum atque Arundinum,* ex inſtituto, tractatum.

k) Lib. *de Articulis,* pag. 845. Opp. per LINDENIVM: item in *Mochlico,*

chirurgicae, uti notiſſimum, peritiſſimus, his nempe verbis: τῆς κλίνης ἰσχυροτάτης καὶ μεγίστης τῶν παρεουσέων, τοὺς πόδας, ἢ τοὺς πρὸς κεφαλῆς, ἢ τοὺς πρὸς ποδῶν, ἐρηρεῖσθαι πρὸς τὸν οὐδὸν, εἴτε ἔξωθεν ξυμφέρει, εἴ τε εἴσωθεν· παρὰ δὲ τοὺς ἑτέρους πόδας παρεμβεβλῆσθαι ξύλον τετράγωνον, πλάγιον, διῆκον ἀπὸ τοῦ ποδὸς πρὸς τὸν πόδα. κ. τ. λ. *Lecti cuiusdam robuſtiſſimi et ex praeſentibus, maximi, pedes, qui ad caput ſunt, aut a pedibus, ad limen ianuae, intus; aut foris, prout commodum fuerit, firmentur. Ad alteros tamen Lecti pedes, Lignum quadrangulare transverſum obiiciatur, ita, ut a pede, ad pedem pertingat, etc.* et quae ibi ſequuntur longe plura; quae huc omnia ſine faſtidio properantis Lectoris, commode ſatis transferri nequeunt. Ibi igitur iſta ſtudio hic omiſſa, diligentius et attentius legantur a Studioſis harum rerum ſcitu ſane digniſſimarum cupidis; praeſertim, quum ipſe GALENVS, in ſuis ad hunc HIPPOCRATIS Librum, *Commentariis* [l]) de hoc ipſo *Lecto*, eiusque in luxatis membris reponendis, uſu, ne verbum quidem dixerit, et quaſi ſine *Lecto*, obdormiverit; quod hic mirandum magis, quam laudandum, aut commendandum.

§. CLXXI.

Ad eosdem vero Lectos etiam quodammodo pertinere videtur *Scamnum* illud *Hippocratis*, chirurgis priſcis ſatis certe notum; ab ipſo quidem Auctore nude tantum ac generatim, ξύλον, aut ξύλον μέγα, τετράγωνον, ab aliis autem βάθρον, item σχεδία, ſeu *ſcamnum extenſorium*, dictum, atque ab ipſo bis [m]) accurate deſcriptum; fuſius autem atque explicatius poſtea delineatum et expoſi-

 tum

lico, ſeu *Vectiario,* pag. 871. ibidem, etſi paullo brevius, ut in iſto Libello HIPPOCRATES ſolet, recte quoque obſervante HIERONYMO MERCVRIALE.

l) Tom. nempe XII. Opp. pag. 465. ubi ſcilicet nihil plane ad locum illum memorabilem commentatus eſt, uti tamen vel maxime decebat.

m) Lib. *de Fracturis,* pag. 725. et Lib. *de Articulis,* pag. 839. Tom. II.

tum a RVFO, apud ORIBASIVM [n]) item et GALENO [o]) aliiſque, ceu notum. Quamvis enim illud machinamentum chirurgicum proprie quidem loquendo, Lectus non ſit: ſecundum tamen ipſam ſui formam, Lecto cuidam quadrato non plane disconvenit, ut certe manifeſtius patet ex ipſa illius figura, apud laudatum modo ORIBASIVM [p]), GALENVM [q]), item et GORRAEVM [r]), CRVCAEVM [s]), atque inprimis IVNGERMANNVM [t]) aliosque, adhuc conſpicua, et ipſis oculis accurate propoſita. Praeſertim, quum miſeri iſti et infelices, quibus graviter luxata membra rurſus ex lege artis chirurgicae, apte reponenda, aut caute extendenda eſſent, iſti quidem machinae artificioſae, veluti Lecto, imponerentur. Sic enim manifeſto ipſe noſter CORNELIVS CELSVS [u]): *Collocandus autem Homo ſuper id ſcamnum eſt, aut pronus, aut ſupinus, aut in latus, ſic, ut ſemper ea pars ſuperior ſit, in quam os prolapſum eſt: ea etiam inferior, a qua receſſit.* Quem ipſum CELSI locum, una cum ipſis illis locis Hippocraticis, egregie illuſtrat laudatus iam ſupra IVNGERMANNVS, in doctiſſimo illo *Commentario,* ad dictum infra *de Equuleo,* Libellum [x]) HIERONYMI illius MAGII, memoria, paene divina et inuſitata, longe felicioris, quam ipſa quidem Vita, et fato, foedoque ac triſti, ſed non ſua culpa, Vitae afflictiſſimae exitu, ſicut ubique, putem, notiſſimum. Conferendus quoque huc FOESIVS [y]) laudatus

n) Lib. *de Machinamentis*, Cap. XXIX. pag. 83. ſeqq.

o) Opp. Tom. XII. pag. 571. Conf. AEGINET. L. VI. cap. 117. p. 102. b.

p) Loco citat. pag. 84.

q) Opp. Tom. XII. Tabul. X. ſeu ult. Figura ſeptima.

r) *Definit. Med.* pag. 70.

s) *Chirurg. Vniverſal.*

t) In *Commentar.* ad HIERONYM. MAGII Librum Poſthumum *de Equuleo*, Cap. XII. in diro carcere, ſine Libris, conſcriptum, apud SALLENGRE, *Theſauri Novi Antiquitat. Romanar.* Tom. II. pag. 1228.

u) Lib. VIII. cap. 20. pag. 554.

x) Loco ſupra modo citato, pag. 1229. apud laudatum SALLENGRE.

y) *Not.* in Lib. HIPP. *de Articul.* pag. 835. et in *Oecon.* HIPP. p. 74. voce βάθϱιον.

datus ſupra GORRAEVS [z]) item πολυγλωττότατος ille et πολυμαθέστατος STEPHANVS *le* MOYNE [a]), ut et elegantiſſime doctus CHIMENTELLIVS [b]), item et DANIEL CLERICVS [c]) praecipue autem chirurgus ille ſua quidem aetate peritiſſimus, IOANNES SCVLTETVS [d]), qui non ſolum de hoc ipſo HIPPOCRATIS *ſcamno,* ſive *Lecto,* accuratiſſime egit, ſed et propriam et naturalem ipſius formam, una cum ipſis hominibus, tam prono, quam ſupino corpore, iſti impoſitis, quatuor figuris aeneis ſcite ac diligenter delineatam, oculis curioſis nitide repraeſentat, ſicque ipſum illum CELSI locum ſimul egregie illuſtrat.

§. CLXXII.

De iugulo igitur fracto, ſive et Clavicula, apte cauteque reponendo haec circa commodum ipſius laeſi hominis ſitum, perite ac prudenter monet GALENVS [e]) et ex eo ipſo ad verbum, tranſcripſit ORIBASIVS [f]): ὅταν ἦν τὸ συνεχὲς τῷ στέρνῳ μέρος τῆς κλειδὸς, ἢ εἰς τὸ πλάγιον, ἢ εἰς τὸ κάτω παρολιϑῇ, τηνικαῦτα γένοιτ᾽ ἂν ἡ κατόρϑωσις, εἴ τις τὸν ἄνϑρωπον ὕπτιον κατακλίνας, ὑποϑείη μεταξὺ τῶν ὠμοπλάτων, κατ᾽ αὐτὴν τὴν ῥάχιν, προσκεφάλαιον, ἢ ὑπαυχένιον, ὡς περικεκλασμένον κατὰ τοῦτο γίγνεσϑαι τὸν ϑώρακα σύμπαντα, κ. τ. λ. *Vbi igitur iuguli pars, quae*

z) In *Definit. Med.* pag. 69. ſeqq.
a) *Obſervat. ad Varia Sacra,* pag. 507. ſeqq.
b) Lib. *de Honore Biſellii,* Cap. XXVI. pag. 233.
c) *Hiſt. Med.* P. II. Lib. IV. Sect. II. Cap. 5. pag. 239.
d) *Armament. Chirurg.* Part. I. Tab. XXIII. Fig. V. et Tab. XLVI. Fig. I. item Tab. XLVII. Fig. III. et denique Tabul. L. Figura unica.
e) *Comment.* I. in HIPPOCRATIS Lib. *de Articulis,* pag. 328. Tom. XII
f) Libro *de Fracturis,* ex GALENO, deſumto in *Veterum Graecorum Chirurgorum Collectione,* a NICETA olim diligenter curata, et nunc primum ex antiquiſſimo Cod. MSto Florentino, in publicos uſus, luculenter evulgata, a Celeb. ANTONIO COCCHIO, pag. 85. ubi et conf. ipſius *Not.*

quae a pectore eſt, vel in latus, vel deorſum, elapſa ſit; tum Repoſitio fiet, ſi quis homini ſupino collocato, puluinum, vel Cervical, ſubiiciat, inter ſcapulas, ad ipſam ſpinam, ita, ut pectus totum circa illud incurvetur. Haec quidem hic ad noſtrum inſtitutum iam ſufficiant: Reliqua vero, quae ad ipſum felicis repoſitionis et reſtitutionis modum ſpectant, ibidem plenius expoſita legantur, ut et apud ipſum HIPPOCRATEM g) CELSVM h) AEGINETAM i) et alios, quos iam ad optatum finem properantes, de induſtria tacemus.

§. CLXXIII.

Sed multis interiectis, idem ORIBASIVS k), laborioſus certe compilator, poſt GALENVM ipſum l) ſequentem eximium HIPPOCRATIS locum m) de concinna elapſi humeri in ſedem ſuam priſtinam, reductione, in medium adfert: *χρὴ δὲ τὸν μὲν ἄνθρωπον χαμαὶ κατακλῖναι ὕπτιον, τὸν δὲ ἐμβάλλοντα χαμαὶ ἵζεσθαι, ἐφ' ὁκότερα ἂν τὸ ἄρθρον ἐκπεπτώκῃ, κ. τ. λ.* *Oportet autem hominem humi ſupinum reclinare, eum vero, qui reponit luxatum illud membrum ſcilicet, humi ſedere decet, ea nimirum parte, qua ipſe articulus excidit.* Vbi legi et expendi omnino ſunt digna, quae de hac ipſa reponendi methodo ſingulari, ceu xime naturali, in ipſius ſimul promeritam HIPPOCRATIS laudem, praeclare attulit ipſe praeſtantiſſimus Commentator, GALENVS n). Conferri hic quoque omnino meretur Vetus quidem ille, ſed verus et prudens Chirurgus IO. SCVLTETVS o), qui non ſolum hunc ipſum HIPPOCRATIS locum perite explicat, et iſtum reponendi modum

g) Lib. *de Artic.* pag. 771. et pag. 776.
h) Lib. VIII. cap. 8. pag. 526. ſeqq.
i) Lib. VI. cap. 117. pag. 102. b. et cap. 118. p. 103. ſq. et paſſim alibi.
k) In eadem *Veterum Chirurgorum Collect.* NICETAE, pag. 138.
l) Loco mox infra citando.
m) Lib. *de Articulis* iam citat. pag. 758.
n) *Comment.* in illum HIPP. Librum, pag. 297. ſeqq. Tom. XII.
o) *Armament. Chirurg.* Part. I. pag. 184. ſeqq.

modum penitus approbat, ſed et inſuper addita eleganti et accurata figura, perſpicue ſatis illuſtrat [p]), quod et pariter utrinque fecit Cel. ille AMBROSIVS PARAEVS [q]) ut FABRIC. HILDANVM HIERON. FABRIC. ab AQVAPENDENTE, VIDVM VIDIVM, FORESTVM, FALLOPIVM, aliosque Veteres chirurgos iam ſtudio taceamus.

§. CLXXIV.

In antecedentibus autem, idem ORIBASIVS [r]) de violenta ipſius claviculae incurvatione, ſingularem refert caſum, qui ipſi Galeno, anno tum ſuae aetatis XXXV. aliquando, in palaeſtra a rudi duroque luctatore, obtigit: adeo, ut inde ſtatim locum iſtum laeſum perpetuo frigidum ſentiret, atque hinc periculoſam ipſius colli muſculorum ac nervorum diſtenſionem et convulſionem, proxime adfuturam, ex praeviis iam quibusdam ſuſpectis indiciis, haud ſine ratione, metueret. Quare, eo ipſo quidem tempore, caniculae aeſtu vehementius flagrante, ipſe totus nudus, in pelle corpori ſubſtrata, iacens, oleo calido aſſidue perfundebatur, quod ex declivi illa pelle; in vacuam pelvim iuſte ibi ſuppoſitam, defluens, iterum igne allato, fervefactum, denuo loco illi affecto ſuperfundebatur, idque ſine intermiſſione, per dies atque noctes, intra ſat longum temporis ſpatium: nimirum ad pertinax illud et intolerabile fere ipſius colli ac claviculae frigus ſic tandem perdomandum et expugnandum, ipſosque ſimul terribiles ac minaces ſpaſmos, hucuſque merito formidatos, procul arcendos atque repellendos. Sed audiamus

p) Tabul. aen. XLVI. Figur. 2.

q) *Opp. Chirurg.* Lib. XV. cap. 23. pag. 438. et pag. 439. ubi ipſa Figura delineata proſtat.

r) Nempe pag. 134. laudatae modo *Syllogae Vett. Chirurgorum*, per NICETAM factae, et per Cl. COCCHIVM, publicatae, ut ſupra iam monitum. Conf. AEGINET. Lib. VI. cap. 113. p. 101. b. ubi de *palaeſtra*.

audiamus iam, ſi placeat forte, ipſum GALENVM [s]) ſic ſuam illam calamitatem palaeſtricam graviſſimam fuſe ac perſpicue deſcribentem: *ἐγὼ δ' ἐν καὶ αὐτὸς, ᾐσθανόμην ψυχρȣ̃ τȣ̃ χωρίȣ πάντως, ὡς ἀναγκάζεσθαι δι' ὅλης ἡμέρας, καὶ νυκτὸς, ἔλαιον καταντλεῖν θερμὸν, ὑποβεβλημένȣ δέρματος ὅλῳ τῷ σώματι, γυμνὸς γὰρ ἐπ' αὐτȣ̃ κατεκείμην, ὡς ἂν καὶ τῶν ὑπὸ κύνα καυμάτων ὄντων. Ὑποκειμένης ȣ̃ν κατὰ τὸ πρὸς τῶν ποδῶν μέρος, λεκάνης κενῆς, ἐσχηματίσαι κατὰ τȣ̃το, πρὸς ἔκρεν, ἐπιτηδείως τὸ δέρμα, πάλιν τε τὸ ἀθροισθὲν ἐν τῇ λεκάνῃ, μεταβαλόντες εἰς λέβητα, κατὰ πυρὸς ἐπικείμενον, ἐθέρμαινον, ἐντεῦθεν λαβόντες, ἐπήντλȣν τῷ πεπονθότι χωρίῳ παντί. κ. τ. λ.* Sed ad faſtidia vitanda, ſtudio iam omitto reliqua, ibidem, ſi lubeat quidem, legenda, una cum ipſa Graecorum horum verborum verſione, ideo pariter a me conſilio, omiſſa, ne ſcilicet unum idemque bis fruſtra et iniucunde, hic legeretur. Sicut enim ipſum GALENI corpus oleo perquam copioſo tum aſſidue perfuſum fuit, ut modo percepimus; ita et iſta longa funeſti illius caſus deſcriptio largiſſimo veluti verborum flumine, more ſcilicet ipſius GALENI conſueto, pariter undique inundata fuit, adeo, ut omnia potius accuratius depicta, quam conciſius deſcripta, aut obiter enarrata, hinc merito videantur. Sed nunc de his tandem hactenus.

§. CLXXV.

Denique ex celeberrimo quondam ARCHIGENE, *de ſupercreſcente* poſt vulnera, praecipue ipſius capitis, *carne* fungoſa ac ſpongioſa, eiusque cauta extirpatione, circa cubiculum atque ſitum ipſorum aegrotorum, ſequentia ſaluberrima et utiliſſima praecepta proponit idem ORIBASIVS [t]) iam ſaepius a nobis merito citatus et laudatus: *κατάκλισις, δὲ καὶ θεραπεία ἐν σκεπινῷ τόπῳ, ἀκάπνῳ, ἀνόσμῳ τροφῆς δὲ κανονιζέσθω δόσις, ὥρα, ἡλικία, πάθȣς κατασκευῇ, ἔθει, ἔτι τε-*

τοῖς

[s]) *Comment.* I. in HIPPOCRATIS Lib. *de Articulis*, ad Text. LXII. pag. 32?. Tom. XII. Opp. per CHARTERIVM.

[t]) *Collectan.* ex ARCHIGENE, de *Fracturis*, pag. 118. *Syllogae* NICETAE, ibidem.

τοῖς συγχρονοῦσιν, καὶ μᾶλλον, ἐπὶ τὰς ἁπλᾶς, καὶ εὐδιοικήτους τρέπειν, ἢ ἐπὶ τὰς ἐναντίας, καὶ ὑπάνεσιν μὴ πυρετῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ὀδύνης, μετὰ θεραπείαν. κ. τ. λ. Collocandus autem ipſe aegrotus, et curandus eſt in loco opaco, non fumoſo, nec odorato; ipſiusque Cibi modus pro anni tempore, aetate, ipſius affectus natura, conſuetudine, et pro omnibus denique, quae una incidunt, ſumendus eſt, et ad ſimplices, et qui facile digeruntur, magis quam ad eos, qui contrarias proprietates habent, propendere decet, et remiſſionem, non Febrium modo, ſed et doloris, poſt ipſam curationem, expectare. Haec quidem prudentiſſime, ipſe ARCHIGENES, cuius pretioſam veluti tabulam ex ingenti illo et luctuoſo naufragio, nobis perquam opportune et auſpicato, adhuc ſervavit ORIBASIVS.

§. CLXXVI.

Haec ipſa vero ſpecialis quaſi ὑπερσάρκωσις, ſiue carnis inanis luxuries, nos ſua quaſi ſponte, iam ultro deducit ad illam veluti generalem univerſi corporis humani πολυσαρκίαν, ſive illud *immenſum carnis atque pinguetudinis augmentum et incrementum* ſubitum, quod, quoniam ſcilicet non naturale ac neceſſarium eſt, inde merito ad ipſos Morbos chronicos, ſive diuturnos, eſſe referendum, multis atque eximiis plane argumentis ac rationibus ſolide demonſtravit COELIVS AVRELIANVS [u]). Namque ipſam Obeſitatem plurimum obeſſe ſanitati vitaeque ipſi, gravem corpulentiam corpus ſenſim corrumpere, πολυσαρκίαν parere πολυαργίαν et πολυαλγίαν, atque ὄγκον denique generare ὄκνον, vel in vulgus notum eſſe arbitror ex quotidiana ſcilicet experientia. Corpora enim ſaginae et otio dedita, ſubito pingueſcunt, pigreſcunt, conſuetam artuum agilitatem, et promtam ſeſe libere commovendi facilitatem tandem plane amittunt; adeo, ut praemoleſta illa nimiae carnis acpinguedinis mole, nihil fere commode moliri, aut iucunde peragere queant. Inde recte et appoſite SENECA [x]). *Languent per inertiam, ſaginata, nec labore tantum, ſed motu,*

[u]) Lib. V. *de Morbis Chronicis*, cap. XI. 596. ſeqq.

[x]) Lib. *de providentia* cap. II. p. 191. et Lib. IV. *de Beneficiis* cap. 13. init.

motu, et ipſo ſui onere, deficiunt, et alibi [y]) adhuc diſertius ac venuſtius: *Aves, quae conviviis comparantur, ut immotae, facile pingueſcant, in obſcuro continentur: Ita, ſine ulla exercitatione, iacentibus, tumor pigrum corpus invadit, et ſuper membra iners ſagina ſuccreſcit:* Mox ibidem ad ipſos illos homines, ſi tam praeclaro quidem nomine digni ſint, nihil in ſua vita, aliud ſatagentes, quam ſeſe ſaginantes, appoſite tranſit, eosque ſic iuſte increpat: *Ita iſtorum corpora, qui ſe tenebris dicaverunt, foeda viſuntur. Quippe non ſpecioſior illis, quam morbo pallentibus, color eſt: languidi et evanidi albent, et in vivis caro morticina eſt* Eadem vero cuncta, quanquam ſuo more oreque peregrino Africano, non ita Latine comteque expreſſit ibidem COELIVS AVRELIANVS [z]): *Etenim quae ſequuntur Animalia nutrimento dedita, vel in cuſtodia reſervata, ut inflato* (vel *elato*, nam in ipſo Cod. eſt *flato*) *atque extento, et prominenti corpore videantur; haec eadem cuncta patientes ſequentur.* Magnos nimirum, admodumque graves, quin et ſaepius lethales morbos ſibi plerumque contrahunt miſerandi eiusmodi homines, iſtius quidem generis tunica carnoſa et pinguedinea moleſta quaſi onuſti ac oppreſſi, veluti lethargum, coma, carum, aſthmata, anxiam pectoris anguſti oppreſſionem, catarrhum ſuffocativum, apoplexiam, ephialten, ſeu pnigalionem, de quo ſupra accuratius actum [a]) item dirum hydropem, cachexiam aliaque funeſta mala, et mortem denique ipſam ſubitam, minusque praeviſam, aut expectatam. Sunt enim haec ipſa *Bona valde ſuſpecta* et doloſa, ut CELSVS acute, ait, imo et ἄδωρα δῶρα, κ᾽ οὐκ ὀνήσιμα, ut apud SOPHOCLEM legitur, in *Aiace flagellifero*, quin et proprie loquendo, τροφὴ, οὐ τροφὴ, ὄνομα τροφὴ, ἔργον δ᾽ οὐχὶ, ut ipſe HIPPOCRATES acutiſſime pronunciat Libro, *de Alimento:* de variis vero malis illis ac *periculis* ex iſta ſuſpecta et oneroſa *polyſarcia* et *polypimelia,* ut ſic dicam, iure metuendis, et certius expectandis, praeter GALENVM, Lib. XIV. *de Method. Med.* cap. 15. pag. 335. ſeqq. Tom. X. et reliquos

y) Epiſt. CXXII. pag. 490. Conf. et *Epiſt.* XV. item COLVMELL. Lib. VIII. cap. 7. et *Script. Geopon.* Lib. XIV. cap. 7

z) Loco cit. pag. 596.

a) Sect. III. §. XXX. ſeqq. pag. 79. ſeqq.

quos veteres Medicos, vid. inprimis QVERCETANI *Diaetet. Polyhiſt.* Sect. II. cap. XIII. pag. 167. ſq. et ſcriptores *de Corpulentia nimia*, infra producendos. Quare ipſe COELIVS AVRELIANVS hanc ipſam polyſarciam, ſive immenſum, ultra naturae modum, carnis ſuperabundantis incrementum, ad *Cachexiam* potius, quam *evexiam*, rectiſſime et veriſſime retulit, quum ita ſcriberet: *praeterea quoque hoc ſpeciem accipimus Cachexiae, ſi quidem indecens difficultas patientes afficit: Nam ſequitur nimia ac ſuperflua multitudo carnis, quae in pinguem prominentiam erigitur, cum tardo motu, atque gravatione, et debilitate, et ex parvo greſſu, anhelatione, ac ſudore, ut ſuo ſe corpore praeſocari ſentiant aegrotantes, quo neque levia ferre valent veſtimenta.* Hactenus noſter COELIVS.

§. CLXXVII.

Quod igitur SENECA ſignificanter ſupra vocaverat *corporis onus*, ut et *Tumorem pigri corporis, et inertem ſaginam ſupra membra ſucreſcentem:* item acutiſſime *moras membrorum, et circumfuſam gravem ſarcinam;* LACTANTIIS pariter, Lib. *de Mort. perſecutor.* Cap. IX. pag. 1389. de illo ſaevo Tyranno Maximiano: *Carnem ingentem, et in horrendam magnitudinem diffuſam et inflatam,* ipſe autem COELIVS AVRELIANVS modo dixerat *ſuperfluam carnem, polyſarciam,* et adhuc ſignatius *nimiam ac ſuperfluam carnis multitudinem, quae in pinguem prominentiam erigitur:* LVCANVS [b]) quoque *diſteuti corporis auctum* appellaverat: PERSIVS [c]) pariter *pinguem aqualiculum extantem:* SVETONIVS [d]) autem *praependentem carnem*, et TERTVLLIANVS [e]) denique atque HIERONYMVS *corporis,* aut *Ventris Ambitionem:* Id inquam omne *ſanctus* ille divinae ad *Hebraeos* Epiſtolae *ſcriptor* [f]) ſignificantiſſime expreſſit per ὄγκον εὐπερίστατον, ſive *ſuperfluae et inertis carnis Tumorem,*

 corpus

[b]) Lib. IX. *Pharſal.* 796. ſeqq. conf. *Opuſcul.* noſtr. *Med. Philol,* Tom. III pag. 157.

[c]) *Satyra* I. 57. ubi vid. CASAVBON. in *Comment.* pag. 68.

[d]) In *Vita Galbae*, Cap. XXXI. ubi vid. *Comment.* et Interpretes: conf. et eiusdem *Vita Horatii.*

[e]) Lib. *de Ieiunio*, cap. XVII. pag. 554. et pag. 282. [f]) Cap. XII. v. 1.

corpus ipſum facillime circumſtantem, circumdantem et undique ſubito circumcingentem: idque more veluti perpetuo et conſtanti non ſolum ipſorum Veterum Medicorum, ut HIPPOCRATIS ipſius, ARETAEI, item GALENI inprimis, AEGINETAE, AETII, et reliquorum, ſed etiam Auctorum aliorum, non quidem Medicorum: ceu abunde ac perſpicue probant et confirmant ex GALENO potiſſimum, PETRVS FABER [g]), THOM. GATAKERVS [h]) et eum ſequutus ELSNERVS [i]) ex DIODORO SICVLO, Cl. MVNTHE [k]), ex AELIANO et aliis, WETSTENIVS et SCHWARZIVS [l]) et ex PLVTARCHO, LIBANIO, THEMISTIO, ARRIANO, APPIANO et aliis, alii doctiſſimi Viri: Quibus omnibus vel ipſe ingentem admodum et ampliſſimum eiusmodi locorum numerum adhuc adiicere poſſem ex ATHENAEO [m]) APPIANO [n]) PLVTARCHO [o]), EVRIPIDE [p]) PHILONE inprimis IVDAEO [q]) LVCIANO [r]), BASILIO MAGNO [s])

EVSEBIO

g) Lib. II. *Agoniſtic.* cap. 3. pag. 220. ſeqq. et Lib. III. cap. I. p. 437. ſqq. et KÜHN. ad AELIAN. *Hiſt. Var.* Lib. IX. cap. 13. pag. 727. et 451.

h) *Adverſar. Poſthum.* Cap. III. pag. 419. ſeqq. copioſe.

i) *Obſervat. Sacr.* in *Nov. Teſt.* Tom. II. pag. 372. ſeqq.

k) *Obſervat. Sacr.* in *Nov. Teſt.* ex DIODORO SICVLO collect. pag. 449. ſeqq.

l) *Comment. Philol. Ling. Graec. Nov. Teſt.* pag. 959. WETSTENIVS autem in *Not.* ad *Nov. Teſt.* pag. 483. Tom. II. admodum copioſe.

m) Lib. XII. cap. 12. pag. 549. et pag. 550. conf. *Opuſcul. Med. Philol.* Tom. I. pag. 312.

n) Tom. II. pag. 1220. *Excerpt.* et alibi.

o) vid. II. *Sympoſ.* 6. pag. 524. et III. 8. 9. pag. 656. et IV. 1. pag. 537. et Lib. *de Deo Socrat.* pag. 662. item in *praecept. Sanit.* et alibi.

p) In *Cyclope,* 343. ubi vid. BARNES. et in *Bellerophonte,* pag. 462.

q) Lib. *de Execrat.* pag. 724. vid. et pag. 67. item pag. 108. et 124. et ſaepe al.

r) *Dialog. Mort.* pag. 279. Tom. I. *de Amoribus,* 883. Lib. *de Gymnaſ.* et ſaepius alibi.

s) Opp. Tom. I. pag. 296. ubi vulgo male legitur: σαρκῶν ὄχλον, pro

ὄγκον,

EVSEBIO [t]), DIONE CHRYSOSTOMO [u]) IOANNE CHRYSOSTOMO, PORPHYRIO, aliisque pluribus; niſi iure vererer longa moleſtaque Lectorum nimia rerum copia obrutorum et delaſſatorum faſtidia: quare etiam reverentia ductus, digito veluti indice tantum iſta inſignia maximam partem, loca in margine ſolum infra, quaſi obiter, adnotavi, non autem integra adſcripſi: licet iſta forſan, ut crediderim, haud ſine uſu ac iucunditate, hic legi potuiſſent; forte et omnino debuiſſent: Niſi iam fugaci tempori, urgenti neceſſitati et imperioſis denique charorum ſcilicet chartariorum precibus utcunque parendum, aut rectius, parcendum, et nonnihil indulgendum fuiſſet. Sed haec nunc tranſeant.

§. CLXXVIII.

Illum ergo τῆς πολυσαρκίας ὄγκον, ſiue ſuperfluae et adiectitiae carnis tumorem, ipſis curſoribus in amplo ſtadiodromo expedite decurſuris, impedimento futurum, (παχύποδες enim non ſunt ταχύποδες, nec εὐπερίςατοι ſolent eſſe εὐπερίπατοι, nec ſatis bene currunt, qui corpus ſarcinatum et ſaginatum plusquam ſatis, ac nimis curant,) illud inquam luctuoſum magis, quam lucroſum ponderoſae carnis incrementum ibidem, paullo poſt explicationis ſcilicet gratia, ſingulari cum emphaſi ipſe Apoſtolus vocat εὐπερίςατον, ſive εὐπερίςατον ἁμαρτίαν, metaphorica nempe translatione ac tropica comparatione, a corporis vitio, ad ipſam animam, eiusque deteriora et graviora Vitia ac peccata, perquam appoſite ſapienterque traducta. Haec ipſa vero admodum elegans atque emphatica vox εὐπερίςατος, licet ſui ſignificatione, facilitatem quandam atque levitatem indicare videatur:

ὄγκον, vid. et ibidem, pag. 167. et paſſim; item et Tom. II. pag. 768. et aliis locis plur.

[t]) Lib. VIII. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 16. pag. 315. et Lib. I. *de Vita Conſtantini*, cap. 57. pag. 437, ubi conf. *Lactant.* loc. ſupra citat. *de Mort. Perſecut.*

[u]) *Orat.* VIII. pag. 136. et in ſeqq.

videatur: ea tamen ita viſa non fuit plerisque interpretibus, adeo ut hinc potius ἄςατοι fierent atque ἀσύςατοι, ut ita dicam, et dum plana obviaque vitio mentis humanae fere communi, ſectari vellent, in avia et ſalebroſa abriperentur, ut ex acerrimo iſto ac perpetuo fere diſſenſu SALMASII atque HEINSII, ALEXANDRI MORI x), ARROWSMITHI y), ut et HAMMONDI, et CLERICI z) MAII a) aliorumque, a GATAKERO b) ipſo HEINSIO c) ELSNERO d), GLASSIO e), LEIGHIO f), CRAVSERO g) LYDIO h) WOLFBVRGIO i), SCHWARZIO k) WETSTENIO l) inprimis B. noſtro WOLFIO m) copioſe citatorum, ſatis liquido ſane apparet: Sed lis iſta hucusque inter doctos philologos acriter quidem, at forſan inaniter, ſit venia dicto, agitata, me quidem iudice, facile ita componi forte poterit: Nimirum, ſicut vox iſte antecedens ὄγκος a Medicis proprie deſumta fuit, ut ſupra iam oſtenſum: ita et nunc altera iſta vox εὐπερίςατος, vice ſcilicet ἐπεξηγήσεως, ibi adiecta,

x) In *Not.* ad quaedam *Nov. Teſt.* loca, pag. 267. ſeqq.

y) Lib. III. *Tactic. Sacr.* Cap. 3. pag. 303. ſeqq. ubi de HAMMONDI nova tum explicatione tractat.

z) *Comment.* in *Nov. Teſt.* Tom. II. pag. 487. ſeqv.

a) Lib. IV. *Obſervat. Sacr.* pag. 51.

b) *Adverſar. Miſcellan. Poſthum.* cap. III. pag. 426. ſeqq. quae exſcripſit KÜSTER. ad SVIDAM, Tom. I. pag. 902.

c) *Exercitat. Sacr.* cap. VIII. pag. 579. ſeqq.

d) Tom. II. *Obſervat. Sacr.* pag. 373. ſeqq.

e) *Philol. Sacr.* Lib. I. Tract. II. pag. 168. ſeqq.

f) *Crit. Sacr.* Tom. II. pag. 134.

g) *Phoſphor. Phraſ.* N. T. pag. 931.

h) *Agoniſt. Sacr.* cap. XIX. pag. 71. et in *praef.* in *Flor. Sparſ.* ad *paſſ. Chriſti.*

i) *Obſ. Sacr.* in *Nov. Teſt.* pag. 244. ſeqq. perquam copioſe.

k) *Comment. Philol. Ling. Graec. Nov. Teſt.* pag. 605.

l) In *Not.* ad hunc locum, Tom. II. pag. 433. *Nov. Teſt.* ab ipſo editi Conf. et WINCKLERI *Hypomnem. philol.* pag. 118. ſeqq. et KYPKE *Obſſ. Sacr.* Tom. II. pag. 406. ſeqq. ubi iterum alia.

m) In *Curis philol.* et *Crit.* in *Nov. Teſt.* Tom. III. pag. 776. ſeqq.

ieſta [n]) ex media quoque Medicorum ſchola depromta eſt. Tradebant nempe iſti olim, omnem quidem corporis ipſius nutritionem, tam naturalem ac neceſſariam, quam etiam uberiorem et ſuperfluam, fieri potisſimum per quandam *περίςασιν*, *περίτασιν*, ac *περίθεσιν*, cive *circumſtantiam*, ut ſic dicam, ſeu circumpoſitionem et circumiectionem (ut ſic cum ARNOBIO et AVGVSTINO loquár) ipſius ſucci nutritii, ſanguinisque pinguis, chyloſi et alibilis, ipſis illis membris nutriendis ſenſim allati, appropriati, atque in eorum demum ſubſtantiam, et augmentum converſi: quo de mirando magis, quam rimando ipſius Naturae polydaedalae miniſterio, imo myſterio, iam ſupra [o]) parcius egi, veluti in tranſitu: plenius vero et diligentius alibi [p]).

§. CLXXIX.

Sed nunc veterem hanc, et novam ſimul noſtram ſententiam de hac quidem *περιςάσει θρεπτικῆ*, ſive de hoc *τροφήματι ἐυπεριςάτῳ*, ſat valide opinor, luculenterque probemus ac confirmemus ex ipſo HIPPOCRATE: cuius en ipſa verba notatu certe dignisſima [q]): *τὸ αἷμα ἀπὸ παντός τȣ̃ σώματος τῆς γυναικὸς κατὶον, κυκλόσε περιΐςαται περὶ τὸν ὑμένα ἔξω, κ. τ. λ. ξυμπήγνυται, καὶ ἄυξει τὸ μέλλον ζῶον ἔσεσθαι*: *Ipſe ſanguis a toto Mulieris corpore deſcendens, in orbem, forinſecus, pelliculam circumſtat*

[n]) Ὄγκος igitur eſt proprie effeſtus *τῆς περίςασεως τȣ̃ τροφίμȣ αἵματος, ἀδρȣ̃*. Praecedit *περίςασις*, ſequitur tum *ὄγκος*. *Καὶ γὰρ περισσὴ καὶ ὑπερβάλλȣσα περίςασις τȣ̃ τροφίμȣ καὶ λιπαρȣ̃ αἵματος ἐςὶ καὶ πρώτη καὶ μέση καὶ ἐχάτη αἰτία τȣ̃ ὄγκȣ τȣ̃ σώματος, τȣ̃ ὀκνηρȣ̃, καὶ ἅμα πολλάκις τȣ̃ ὠκυμόρȣ·* ut quidam ex veteribus philoſophis dicebat, ſi reſte memini. Sed conf. huc praeſertim GALEN. *Comment.* II. et III. in HIPP. Lib. de *Aliment.* p. 240. ſq. Tom. VI. de quo mox infra.

[o]) Seſt. III. §. LXXVIII. pag. 127.

[p]) In Diſſertat. *de pinguedine, ceu ſucco nutritio ſuperfluo,* quae extat Tom. I. *Opuſculor. noſtr. Med. Philol.* pag. 294. ſeqq. ubi vid. inprimis, ſi placeat, pag. 302. et ſeqq.

[q]) Lib. *de Natura Pueri*, pag. 137. Tom. I. Opp.

circumſtat, ſicque compingitur et coagmentatur, ipſique futuro animali augmentum et incrementum praebet. Quod ipſum infra [r]) alio loco, rurſus repetit brevius quidem; ſed iisdem paene verbis: τὸ αἷμα περιϊστάμενον κύκλῳ, περὶ τὸ ἐν τῇσι μήτρῃσιν ἐὸν (ἔμβρυον) αὔξει κεῖνο: *Sanguis circa ipſum, qui in uteris eſt, foetum, in orbem veluti, circumſtans, illum ſenſim nutrit et auget:* qualis ſententia et ſaepius alibi, in iſtis ſcil. Libris de *Mulierum Morbis* legitur [s]), item et apud GALENVM [t]), frequenter, ut et ARISTOTELEM, PLVTARCHVM, PLATONEM, NEMESIVM et alios [u]), res enim iſta ſat nota: quare his iam non amplius immorabimur; id ſaltim adhuc hic ſubnectere liceat: etiam de aliis tumoribus, in corpore humano, praeter naturam, natis et elatis, ipſum HIPPOCRATEM noſtrum frequentius uti quidem vocibus περιΐστασθαι, atque τῇ περιστάσει: Sic, ut pauca tantum ex quam plurimis, quae ſuppetunt, loca iam afferamus [x]) dixit: περὶ τὸ ἔντερον περιΐσταται φλέγμα, καὶ ἐκεῖνο περιοιδέει, *pituita inteſtinum circumſtat, et tunc illud intumeſcit.* Item alibi [y]), περιΐσταται ἀπὸ φλέγματος, ὕδερος, item ἐς ὕδερον περιΐσταται [z]), ut et οἰδήματα ἐς ὕδρωπα περιΐσταντο, *Tumores in hydropem*

r) Lib. I. *de Morb. Mul.* pag. 442. Tom. II. Opp.

s) Conf. et Lib. *de Princip.* aut *Carn.* item *de Genitura.* ut et Lib. II. *de Diaeta, de Alimento*, et alibi.

t) Lib. *de Vſu partium*, ubi conf. HOFFMANN. in *Comment.* praeſertim vero ipſum GALENVM rurſus vid. in *Comment.* ad HIPPOC. Libr. *de Alimento*, Tom. VI. pag. 240. ſeqq. item pag. 252. ſeqq. et p. 264. et pag. 277. ac praecipue LINDENII *Phyſiolog. Med.* Cap. XVI. p. 717. ſeqq. et Art. XX. pag. 863. ſeqq.

u) Ita pro περιΐστασθαι, eodem ſenſu, ARISTOTELES, Lib. I. *de Generat. et Corrupt.* cap. 5. pag. 50. ſeqq et *de Generat. Animal.* paſſim, habet περικυκλοῖ. EMPEDOCLES, apud STOB. περιστέλλει, MARC. ANTONINVS, Lib. X. p. 288. περίκειται, GALENVS, loc. cit. περιχεῖται, et denique THEODORETVS, Serm. III. *de Provident.* p. 74. περινοστεῖ ἅπαν τὸ τοῦ σώματος μόριον, qui locus certe huc eximie facit: ut multa id genus alia nunc taceamus.

x) Lib *de Affect.* p. 173. et 174. Tom. II. Opp. et p. 163. y) Lib. de *Intern. Affect.* pag. 255. Tom. II. z) *Coac. praenot.* p. 569. T. I.

hydropem extendebantur, vel *convertebantur* [a]), qua phraſi inprimis frequentisſime utitur HIPPOCRATES et GALENVS. Quo et illa eximius, de re tamen minime eximia, de diro nempe cancro, locus pertinet illius felicisſimi HIPPOCRATIS imitatoris, ſcil. ARETAEI [b]) φλέβες ἐν ὑστέρῃ ἐς ὄγκον αἴρονται, ξὺν περιστάσεσι τῶν πέλας: *Venae in utero in tumorem elevantur, cum reliquis partibus, proxime circumſtantibus, itidem diſtentis*, in quo nempe ſingulari loco, utramque vocem ab ipſo *Apoſtolo* ſupra adhibitam habemus, ſcilicet ὄγκον, et περίστασιν, a περιΐστασθαι [c]).

§. CLXXX.

Ex quibus cunctis, hactenus pertractatis, ac ſedulo diſputatis liquidiſſime nunc, opinor, patebit, σῶμα quidem εὐπερίστατον, Graecis et ipſi forſan *Apoſtolo*, idem eſſe ac *corpus bene nutritum, opime paſtum*, item et *nimis obeſum, ſarcinatum ac ſaginatum*, hincque onere circumiectae carnis craſſioris nimis gravatum, atque inde ad actiones celeriores, et curſus inprimis citatiores, expeditius peragendas, ineptum prorſus atque inagitabile inhabileque. Quale PHILOSTORGIVS Lib. I. *Hiſt.* Cap. 4. apud CANG. Tom. I. *Gloſſ. Lat.* pag. 1076. ſcite vocat: τὸν σαρκὸς ὑπερτραφοῦς ὄγκον στεσωρευμένον, et BASILIVS M. apud CASAVB. in *Comment.* ad PERSII *Sat.* II. γάστρωνα κατατεσαρκώμενον ὑπὸ τροφῆς καὶ τρυφῆς. Quemadmodum nempe ſimilia Gallorum luxui et ignaviae deditorum corpora εὐπερίστατα καὶ ὑπερογκώδη vivide de ſcripſit APPIANVS [d]): ὑπὸ τῆς ἀδηφαγίας καὶ μέθης, ἐς ὄγκον καὶ βάρος ἐξεχεῖτο, καὶ πρὸς δρόμους, καὶ πόνους ἀδύνατα πάμπαν ἐγίγνετο. ὑπό τε ἱδρῶτος καὶ ἄσθματος, ὅπου τι δέοι κάμνειν, ἐξελύοντο

a) Lib. III. *de Morb. Epidem.* pag. 728. Tom. I. et paſſim ibidem.

b) Lib. II. *de Cauſſis et ſign. Morb. Chron.* Cap. XI. pag. 64. Edit. BOERHAAV. et ex parte, etiam noſtrae.

c) De hoc verbo vid. GATAKER. Tom. I. p. 426. ſeqq. FOES. *Oecon.* p. 299. WELSCH. *Curat. Med.* X. 9. p. 630. et quae fuſe notavimus ad THOMAM MAGIST. p. 708. ſq. add. et PHRYNICH. p. 165. ibique PAVW.

d) Tom. II. Opp. pag. 1220. in *Excerptis Hiſtoricis.*

λύοντο ταχέως. *Corpora ex nimia ingluvie et ebrietate, in elatum Tumorem et praegrave pondus diſtendebantur: et hinc ad expeditos curſus, ac labores, plane inepta et invalida reddebantur: ubi enim forte quid laborandum eſſet; tum ab oborto mox ſudore atque anhelitu, celerrime deficiebant, ac viribus orba ſuccumbebant.* Qui eximius plane locus hunc ipſum ſacrum noſtrum luculentiſſime ſane illuſtrat et explicat. Verum σῶμα contra ἀπερίστατον, *corpus* denotare *minus nutritum, carne nimia haud oneratum,* hincque gracile, tenerum, leve, expeditum atque ad actiones curſusque praeſertim promtum ſemper atque paratum nunc ſatis liquet. Quod igitur ſanctus *Apoſtolus* ita enunciaverat de anima: ὄγκον ἀποθέμενοι πάντα, καὶ τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν; id ipſum HIPPOCRATES[e]) iisdem paene verbis, certe eodem ſenſu, de corpore, tempore dirae peſtilentiae, praeparando, praemuniendo ac conſervando, ita perbelle expreſſit: τὸ δὲ σῶμα ὁρᾷν, ὅκως ἔσαι ὡς ἀογκότατον καὶ ἀσθενέστατον[f]): *Videndum tum in primis, ut corpus ipſum ab omni ſuperfluae carnis tumore ac mole ſit liberum, et quam maxime gracile, attenuatum et compactum.* τὸ γὰρ σῶμα ὀγκηρότερον καὶ λιπαρότερον καὶ εὐχρέστερον ἔσαι ἀεὶ νωθρότερον καὶ νοσηρότερον, *Corpus enim carne tumidius, pinguius et coloratius, ſemper fere erit ſegnius, et morboſius,* ut alibi perquam apposite ad hunc ipſum noſtrum locum, ſcripſit. Hinc ergo rectisſime

e) Lib. *de Natura Humor.* pag. 274. Tom. I. Opp.

f) Ita quidem omnes legunt Vett. Codd. teſte FOESIO, quod et ipſi vidimus. Sed LINDENIVS mutabat illud ἀσθενέστατον, in εὐσθενίστατον. Verum facilius hic poſſet legi ἀεισθενέστατον, vel ἀγαθενέστατον, item ἀστεγέστατον, aut ἀτενέστατον, aut ἀσινέστατον, et ſimilia. Sed nihil plane videtur hic mutandum: σῶμα enim ἀσθενέστατον, idem eſt ac λεπτότατον, ἰσχνότατον, ἢ ἀπιμελότατον, ſeu *corpus attenuatiſſimum,* ſic ſaepe apud HIPPOCR. λεπτὴ καὶ ἀσθενὴς δίαιτα, item. σιτία ἀσθενέστατα πτισσάνη ἀσθενεστάτη, et ſimil. et σῶμα λεπτότερον καὶ ἀσθενέστερον, apud GALEN. Tom X. pag. 335. ſeqq. et praecipue *Comment.* IV. in HIPP. Lib. de *Aliment.* pag. 286. Tom. VI. Sed vid. huc inprimis FOES. *Oecon.* pag. 42. in ἀογκότατον et pag. 64. in ἀσθενὴς.

g) Lib. II. *Praedictor.* pag. 492. 493. Tom. I. Inde in *Vita* HORAT. apud SVETON. *circuitus Ventriculi* ὀγκηρότατος, vel ὄγκῳ ἐντατὸς, legendum videtur, pro vulgato ὀτηκωαντατος; Sed de quo alibi plura.

rectiſſime ac ſapientiſſime B. IOANNES CHRYSOSTOMVS [h]): τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν explicat per τὴν εὐκόλως περιϊσταμένην ἡμᾶς, ἢ τὴν εὐκόλως περίστασιν δυναμένην παθεῖν, vel πράττειν. A quo haud longius abit THEODORETVS [i]) ita in hunc locum commentatus: τὴν εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, ὡς εὐκόλως συνισταμένην, τε καὶ γινομένην, κ. τ. λ. Quale fere etiam apud THEOPHYLACTVM occurrit, obſervante GATAKERO, cum aliis. Sed elegantiſſime (virtus enim etiam in hoſte laudanda eſt) hunc ſacrum *Apoſtoli* locum ita quaſi παραφράζει PORPHYRIVS [f]): Ἀπολυτέον ἄρα τοὺς πολλοὺς ἡμῖν χιτῶνας· τόν δὲ ὁρατὸν τοῦτον καὶ σάρκινον, καὶ οὓς ἔσωθεν ἠμφιέσμεθα, προσεχεῖς ὄντας τοῖς δερματίνοις· γυμνοὶ δὲ καὶ ἀχίτωνες ἐπὶ τὸ στάδιον ἀναβαίνωμεν, ἐπὶ τὰ τῆς ψυχῆς ὀλύμπια ἀγωνισόμενοι, κ. τ. λ. *Exuendi igitur multis tunicis ſumus, viſibili hac et carnali; tum illis, quibus intrinſecus induti fuimus, quae cutaneis ac pelliceis proxime ſuccedunt: ut ita expediti ac nudi, ingredi ſtadium valeamus, Animi Olympia decertaturi* [g]). Sic, ut id obiter hic adiiciam, περιβλήματα σαρκὸς, pariter dixit ARRIANVS et SIMPLICIVS ad EPICTETVM, et ἐσθήματα περίθετα, ſive *carnium veſtimenta circumiecta,*

h) Tom. VI. Opp. in *Nov. Teſt.* pag. 923.

i) Tom. III. Opp. pag. 624.

k) Lib. I. *de Abſtinent. ab Eſu Animal.* pag. 52. ubi vid. Cl. IACOBI *de* RHOER. *Notas*. Conf. GATAKERI *Comment.* ad MARC. ANTONIN. Lib. X. p. 288. copioſe, et ex eo, ELSNERI *Obſſ. Sacr. philol.* Tom. II. p. 431. ſq. item SVICERI *Theſaur.* Tom. I. pag. 1261. ſqq. et WINCKLERI *Hypom. philol.* pag. 119 ſeqq.

l) Εὐπερίστατος γοῦν ἁμαρτία ἐστὶ, ἥτις εὐκόλως τρέφεται, καὶ ὡς τάχιστα ὀγκοῦται, τὴν δὲ ψυχὴν ὁμοῦ πάντοθεν περιΐσταται καὶ αὐτὴν ποιεῖ ὀκνηρὴν καὶ πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν καὶ ἅγιον, ἄθυμον καὶ ἀδύναμον. *Peccatum undique preſſe circumſtans, id eſt peccatum, quod facile nutritur, et quam celerrime in tumorem latum ac gravem attollitur: ipſam vero animam ſimul undique cingit ac circumſtat, illamque tunc ad omne opus bonum et ſanctum perficiendum, ignavam plane reddit, meticuloſam, inaudacem, trepidantem et impotentem;* unde nunc ſatis accurate, opinor, interior ipſius vocis εὐπεριστάτου, ſignificatio perſpicitur, atque inſigne eiusdem pondus ab omnibus protinus perſentitur. Sed haec hactenus.

cumiecta ipſe noſter HIPPOCRATES [m]) Ἐυπερίςατον igitur, ut ad ſuperiora redeamus, HESYCHIVS recte breviſſimis quidem, exponit per ἔυκολον, ſcilicet περιβάλλεσθαι, περιτίθεσθαι, περικολλᾶσθαι, περιπήγνυσθαι περικυκλοῦσθαι, περιχεῖσθαι, et ſimilia.

§. CLXXXI.

Quare mihi admodum veriſimile videtur, pro voce *fragile*, qua τὸ ἐυπερίςατον, in Veteri Latina verſione ante HIERONYMVM, redditur ſcribendum potius eſſe *facile*, h. e. ἔυκολον, facili ſcilicet et frequenti lapſu inter *facile* et *fragile*. Vnde merito mirari iam ſubit, quomodo doctiſſimus alias ALEXANDER MORVS, loco ſupra citato, hanc ipſam dubiam fragilemque lectionem adoptare et adprobare potuerit, adeo, ut hic quidem, Vir paene ſui nominis, ſi ita per iocum, dicere liceat, factus aliquando fuiſſe nonnullis forſan

m) Lib. *de Partu Octimeſtri*, pag. 493. Tom. I. Opp. qui inſignis plane Locus ſacrum illum IOBI locum, Cap. X. pag. 8. ſeqq. de *Carnis indumentis*, eximie illuſtrat, ut dudum obſervavimus Tom. III. *poemat.* noſtr. p. 165. in *Not.* add. et p. 52. in *Not.* Namque ipſi Hebraei iſta bella allegoria ſaepius delectantur, ut oſtendit BVXTORF. *Lexic. Chald. et Talmud.* p. 1545. HOTTINGERVS, SCHOETTGENIVS et alii. In ipſius quoque IVDAE *Epiſt.* v. 23. pariter ita legitur ὁ τῆς σαρκὸς χιτών. ubi vid. ELSNERI *Obſſ. Sacr.* Tom. II. pag. 431. ſeqq. qui ibi ſua debet GATAKERO ad MARC. ANTONIN. Lib. X. pag. 288. ubi plura. Sic et EVRIPIDES in *Bacch.* v. 745. acute dixit σαρκὸς ἔνδυτα, et in *Hercule Fur.* 1269. σαρκὸς περιβόλαια: quomodo et ARETAEVS EMPEDOCLES vero, in *Excerpt.* STOBAEI *phyſic.* GROT. p. 169. σαρκῶν χιτῶνα, ut IVDA ſupra: nec minus ſcite MAXIMVS TYRIVS, *Diſſ.* XLI. p. 413. τὸ σάρκος vocat χλανίδια ἐφήμερα, καὶ ῥακία ἀσθενῆ καὶ τρίχινα. ut et ſupra, *Diſſ.* XXVII. p. 276. et *Diſſ.* XXVIII. p. 282. ψυχὴ ἀποδυσαμένη τὸ σῶμα, plane ut ipſe dixit S. *Apoſtolus*, II. *Corinth.* V, 3. οὐ θέλομεν ἐκδύσασθαι. ubi vid. WOLF. et WETSTEN. p. 190. et p. 738. conf. et GOENS, et PORPHYR. *de Antro Nymph.* p. 103. Huc tandem et SENECA, *Epiſt.* XCII. pag. 333. eleganter. *Ipſa Natura corpus, ut quandam Veſtem, Animo circumdedit. Velamentum eius eſt.* Sed plura, quae adhuc ſuppetunt, iam velanda ſunt.

forſan videretur: de quo conferatur praeter alios, B. WOLFIVS noſter loco ſupra laudato, *Morum* vero utique SVIDAE eſt interpretamentum, quando illud iam ſaepius dictum ἐυπερίϛατον, reddit per μωρὸν: quomodo nempe HESYCHIVS interpretatus fini contrarium ἀπερίϛατον. Sed et ibi μωρὸν revera μωρὸν eſſe videtur: adeo, ut forte rectius ibi legendum ſit μόνον, aut ἄμοιρον, ut et ἄποϱον, ἄχωρον, ξωρὸν, aut ſimile item et ἔρημον, quod infra manifeſte confirmat ipſe HESYCHIVS, τὰς ἐρήμας ſcite interpretatus, per ἀπεριϛάτας; eſt enim τὸ ἀπερίϛατον, ceu notum, idem ac *ſolitarium, deſertum, egenum, infrequentatum, incomitatum, a turba remotum, curarum externarum vacuum atque hinc tranquillum* [n]), ut inter alia, perſpicue patet ex DIOGENE LAERTIO [o]), MAXIMO TYRIO [p]), LIBANIO, PLVTARCHO et aliis, res enim putem, notiſſima. Sed haec quidem nunc ſatis, περὶ τοῦ ἀπεριϛάτου, oppoſito τῷ ἐυπεριϛάτῳ, ut hactenus oſtenſum. Ceterum vero hanc ipſam Apoſtoli ſententiam, medicam ſcilicet ſimul ac ethicam, ut ita dicam, de ἀποθέσει nempe τοῦ ὄγκου σωματικοῦ τῇ ψυχῇ περικειμένου καὶ ἐυπεριϛάτου, ſic eximia, pro more, veluti illuſtrat et circumſcribit, ſapientiſſimus SENECA [q]): *Maiore corporis ſarcina Animus eliditur, et minus agilis eſt. Itaque quantum potes, circumſcribe corpus tuum, et Animo locum laxa. Quidquid facies, cito redi a corpore ad Animum, illum diebus ac noctibus exerce: labore modico alitur ille*, etc. et quae ibi ſequuntur, de Arte nempe agoniſtica, ac gymnaſtica ad quam ipſe quoque *Apoſtolus* manifeſto reſpexit atque inde ſimilitudinem et allegoriam ad ipſam animam, eiusque

n) Conf. huc GLASSII *philol. ſacr.* Lib. I. Tract. II. pag. 168. ſeqq. et ALEX. MORI *Not.* in *Nov. Teſt.* loc. cit. pag. 268.

o) In Lib. VII. *Vita* ZENONIS, p. 369. Edit. MEIBOM. ubi eſt ἀπερίϛατον χωρίον, *Locus liber et ſolitarius.*

p) *Diſſ.* XX. pag. 194. ubi eſt βίος ἀπερίϛατος, *vita, libera, tranquilla*, ibi et περίϛασις ſaepe occurrit. conf. Cl. KYPKE, *Obſſ. Sacr.* Tom. II. pag. 406. ſeqq.

q) *Epiſt.* XV. init. conf. et *Conſolat.* ad HELVIAM cap. XI. pag. 116. circa finem et paſſim alibi.

que officia pietatis ac religionis, ſapientiſſime traduxit, ut praeter omnes Interpretes, fuſius luculentiusque oſtenderunt PETRVS FABER, IACOBVS LYDIVS, ARROWSMITH, HIERON. MERCVRIALIS, et alii iam ſupra laudati. Denique etiam ut plura alia, apud PLVTARCHVM, MAXIMVM TYRIVM, PLATONEM, ARRIANVM, SIMPLICIVM, DIONEM CHRYSOSTOMVM, et STOBAEVM, item CICERONEM, PLINIVM, MACROBIVM aliosque plures, in hunc quidem ſenſum, ubique obvia, iam ſtudio praetermittamus, huc etiam egregie ſpectat illud HORATII [r])

Quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis, Animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.

§. CLXXXII.

Nunc autem tempus demum eſt, ut et audiamus, quomodo illa nimia corporis ſarcina circumfuſa commode ſit levanda, aut tollenda, iſtaque ſuſpecta admodum *Evexia,* ſive rectius, *Cachexia,* ut eam COELIVS vere et acute vocat, removenda; ſicque ille ἐυπερίςατος σώματος ὄγκος mutandus tandem ſit in σῶμα ἀπερίςατον. Sic igitur ipſe noſter HIPPOCRATES [s]) breviter quidem, pro more; ſed ſatis tamen accurate et ſufficienter: τὲς παχέας χρὴ, καὶ ὅσοι βέλονται λεπτοὶ γενέϑαι, τάς ταλαιπωρίας ἁπάσας νήςιας ποιέεϑαι, καὶ τοῖσι σιτίοισιν ἐπεχειρέειν ἔτι ἀϑμαίνοντας ἐκ τȣ͂ κόπȣ. κ. τ. λ. ἀλλὰ καὶ μονοσιτέειν

r) *Sat.* II. 78. Lib. II.

s) Lib. *de Salubri Diaeta,* pag. 628. Tom. I. Opp. ubi vid. maxime GALENI *Comment.* pag. 228. Tom. IV. Conf. et ex parte, Lib. II. *de Diaeta,* pag. 236. ſeqq. inprimis PHILONIS IVDAEI Lib. *de Inſomniis,* pag. 454. ubi Athletam paratum et expeditum, fortem ac ſtrenuum, elegantiſſime et acutiſſime vocat χαμευνȣ͂ντα, καὶ λίϑω προσκεφαλαίῳ χρώμενον, *humi cubantem, et duro lapide, pro molli pulvino, capiti ſuppoſito, utentem,* qualia etiam occurrunt ſubinde apud LIBANIVM, THEMISTIVM, DIONEM CHRYSOST. PLVTARCHVM, et alios paſſim, ceu notum eſſe arbitror.

σιτέειν, καὶ ἀλουτέειν, καὶ σκληροκοιτέειν, καὶ γυμνὸν περιπατέειν, ὅσον οἷόν τε μάλιστα ᾖ. *Craſſi illi pinguesque, qui graciles fieri volunt, omnes labores ieiuni facere debent, et cibos adſumere, anhelantes adhuc ex ipſa fatigatione. Sed et ſemel tantum in die cibum capere, et illotos manere, ac ſtratum inprimis durum habere, et nudato denique corpore, incedere illos oportet, quantum eius nimirum maxime fieri poterit.* Scilicet σκληροκοιτίαν, ſeu durum et aſperum cubile obeſis illis, ac nimio carnium circumiectarum onere oppreſſis, ad inutilem illam ingratamque molem amoliendam, in opportunum veluti remedium et adiumentum, ſuadet hic potiſſimum ipſe HIPPOCRATES, quod et iam alibi [t]) itidem nimium corpulentis ita praeceperat: καὶ σκληροκοιτίῃσι, καὶ νυκτοβατίῃσι, καὶ κονιβατίῃσι χρέεσθαι ξυμφέρει· πάντα γὰρ ταῦτα ἰσχναίνει καὶ θερμαίνει: *Illis inprimis uti conducit ſtrato duriore, et nocturnis itineribus, ac deambulationibus in pulvere; Omnia enim haec attenuant et calfaciunt corpora.* Neque aliter ſane Hippocrates ille Latinus, ſiue CORNELIVS CELSVS [u]). *Extenuat Corpus Lectus, per aeſtatem, Terra: hieme, durum Cubile; curſus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio,* etc. et quae ibi ſequuntur plura, ac quoque anteceſſerunt: hic uero iam de induſtria, omiſſa, quoniam ad noſtrum hic argumentum unice ſpectat ἡ σκληροκοιτία, HIPPOCRATIS, ac durum item terreſtre Cubile CELSI: de reliquis autem remediis, ab utroque

[t]) Lib. II. *de diaeta*, pag. 243. Tom. I. Opp. de quo loco dubio adhuc et obſcuro, vid. DACERII *Not.* ad *Verſionem Gall.* Tom. II. pag. 360. ſeqq. MERCVRIAL. *de Arte Gymnaſt. Caſaubonian.* WOLFII pag. 53. FOES. in *Oecon.* et FABRI *Agoniſt.* init. aliosque plures.

[u]) Lib. I. cap. 3. pag. 28.

[x]) Vti MELCHIOR. SEBIZIVS, ETTMÜLLERVS noſter, IAC. WOLFIVS, atque alii, item ipſe GALENVS, Lib. XIV. *de Methodo Med.* cap. 15. pag. 335. ſeqq. Tom. X. ut et Lib. VI, c. 8. *de Sanitate Tuenda* Tom. VI. pag. 174. ſeqq. et alibi ſaepius. Conf. et DIETERICI *Iat. Hippocrat.* pag. 487 et praeſertim pag. 943. ſeqq. copioſe. Vid. et huc *Artemidor.* L. V. *Onir.* c. 79. p. 267. et SVIDAS. Tom. II. p. 333.

que, et ipſo quoque COELIO ibi propoſitis, iam alii plures ex inſtituto tractarunt, qui *de nimia obeſitate*, aut *Corpulentia* ſcripſerunt [x]): quibus et noſtram macram admodum *de pinguedine,* opellam adiiciat, (in *Opuſcul.* Tom. I. p. 311. ſqq.) ſiquidem velit, et lectu dignam reputet Lector benevolentiſſimus.

§. CLXXXIII.

Occupet extremum Scabies! inquit HORATIVS [y]) ſuo quidem ſenſu: Nos vero hic nunc demum, alio dicamus, ſi liceat quidem per nitidos et delicatos Lectores: *occupet extremum locum ſcabies illa tetra,* viva, animata, ferox voraxque, nempe foediſſima *phthiriaſis*, dirum illud durumque, ſed iuſtum ſimul divinae irae ac vindictae flagellum in crudeles ac cruentos Tyrannos, et inſanos divini Numinis Contemtores, ſeu Atheos, de qua deterrima lue vivace, quum iam dudum alibi [z]) ſat accurate, ni fallor, et copioſe egerim; ideo hic denuo plura commentari nec libet, nec licet. Id unicum tamen COELII AVRELIANI [a]) conſilium circa cubiculum eiusmodi miſerorum σκωληκοβρώτων, ἢ φθειροβρώτων, ſive viva illa et mordaci peſte exeſorum cadaverum adhuc viventium, his ſub finem, adiicere liceat: *Superpoſitionis tempore, iacere oportet aegrotos loco mediocriter frigido, atque cibis conſtrictivis refici. Fomenta vero et cataplaſmata membratim erunt adhibenda, etc. ſed ea loca, quae capillatura veſtita ſunt, erunt praeradenda:* ita enim rectius ibi legendum videtur, quam vulgatum illud *praeterea radenda.* Praeſertim, quum ſaepe alibi iſto verbo *praeradere,* utatur ita COELIVS noſter, et id genus aliis pluribus, ad eundem modum compoſitis, ut v. gr. *praefacere, praetangere, praefomentare, praedare, praevexare, praetingere, praelavare*, et complura alia, quae ſedulo collecta adnotavit THOMAS REINESIVS [b]) aliis

[y]) Lib. *de Arte poet.* pag. 417.

[x]) *Opuſcul. Med. Philol.* Tom. I. Part. II. pag. 413. ſeqq. Conf. WETSTEN. ad *Act. Apoſt.* XIII. 23. pag. 530. ſeqq.

[a]) Lib. IV. *de Morb. Chron.* cap. 2. pag. 497.

aliis doctis permultis iure praelatus. Ceterum eadem fere ſuadet hic et commendat Remedia et Vitae regimina toties iam laudatus, et certa ratione, blande quoque notatus, NICOLAVS PISO [c]) additis tamen inſuper ſequentibus cautionibus ac conſiliis, quae, quoniam opportune huc ſpectant, hic infra, ipſius quidem verbis, ſubiicere haud grvabimur: *Maxime quoque habenda eſt cura exercitationis, et cultus corporis: ſicuti enim Quies morbum hunc adiuvat, ita Exercitatio tollit; ſed quae cibum praecedat. Balnea ſimiliter ante cibum, uſurpata, maximo uſui ſunt, utcorpus mundum ſervetur: Quare et omnis ſordities, omnis illuvies quotidie tollatur: panni et praeſertim induſia, ſaepius mutentur:* et quae ibi ſequuntur plura. Sed relinquamus nunc quantocyus loca iſta ſordida, tetra et abominanda atque ſuperis volentibus ac faventibus, potius *Arva, beata*

Petamus arva, divites et inſulas, etc.

§. CLXXXIV.

Interea vero iam *Cubiculum* hoc noſtrum ampliſſimum demum claudamus, et de *Lectis* ipſis, aulaea iam diu ſuſpenſa et ſurſum retracta, tandem modeſte demittamus. Forte enim unus alterve Lector, horum multorum Lectorum dudum pertaeſus, ex PRVDENTIO, ſed neſcio, an ſatis prudenter,

Auferte, clamat, Lectulos,
Aegros, ſoporos, deſides.

Quod ſi autem quaedam forſan, hinc inde, nimis ſomniculoſe dicta hic fuerint, aut parum vigilanter enunciata et expoſita; tum perpendant, quaeſo, aequi et honeſti Lectores, nos de *Lectis*, placidi nempe ſomni inſtrumentis, hoſpitiis ac receptaculis, ut ita loqui hic liceat, commentatos fuiſſe; tumque nobis inde benigne ignoſcant: quoniam ſcilicet

Opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.

 Ceterum

[b]) Lib. III. *Var. Lect.* cap. 18. pag. 657. ſqq. copioſe.

[c]) Lib. I. *de Cognoſcendis et Curandis humani corporis Morbis*, cap. 4. pag. 32. ſeqq. Tom. I.

Ceterum vero ſub finem, memores ſemper ſimus, (praeſertim vero nos, qui iam inter *octogenarios ſenes* numeramur) iſtius notae IVSTI LIPSII admonitionis piae et chriſtiano perquam dignae, qui, quoties Cubitum olim diſcederet, ſemper ad ſuos domeſticos dixiſſe fertur:

EAMVS AD LECTVM, IMO AD LETHVM,
et
AD SOMNVM, IPSIVS MORTIS FRATREM GERMANVM.

Perquam egregie profecto et ſapienter. In hac enim fugaci et fallaci Vita,

Quis ſcit, an adiiciant hodiernae craſtina ſummae
Tempora Di ſuperi?

Namque, ut Tragicus ille Vates vere quondam pronunciavit,

Nemo tam divos habuit faventes,
Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.

Ideo Craſtinum ſi adiecerit Deus, laeti recipiamus. Ille profecto beatiſſimus eſt, et ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſolicitudine expectat. Quisquis ergo in ſomnum iturus, dixit Vixi, *is quotidie ad lucrum ſurgit*: ut ita cum ſapientiſſimo et paene divino SENECA, pie finire nunc liceat.

VIRGILIVS.

Dulcis et alta Quies, placidaeque ſimillima Morti.

T A N T V M.

Antonio Sanrasi

INDEX

INDEX
RERVM MEMORABILIVM
LOCVPLETISSIMVS.

A.

Achilles Tatius, duplex ipſius editum exemplar 173

Acopa et *corpora*, confuſ. apud *Coel. Aurelian.* et *Theodor. Priſcian.* 74

Aegineta, Paullus, emendat. 144. 194. 206 ſqq.

Aegrotorum Lecti, vid. infra *Lecti Aegrotorum*, ubi omnia ordine collecta, quae ad eorum Lectos pertinent.

Aer purus, aegrotis utilis, et ita legendum in Celſo pro *Aer parvus*, quod *Io. Rhodius* male malebat, 44. frigidus, Nervis et Vulneribus inimicus 175 ſeqq.

Aeſculapius, Medicus med. forſan aevi, ſub hoc ſplendido nomine latens, Coel. Aurel. Theodor. Priſcian. Garioponturn et Plin. Valer. fere ubique ſequitur 86. et per totum opus, paſſim.

Aetius, ſeu *Demoſthenes* apud ipſum emendat 182

Agnus Caſtus, ſive Vitex, inepta vocis compoſitio, 66. caſtitatem ſervare credebatur, unde in Theſmophoriis, Matronis ſubſternebatur 67 ſeqq. item ſacerdotibus, et Monachis, in eundem finem, ſi verum 69

Analdia, pro *Arnaldia*, legend. apud *Cangium* 119 ſqq.

Anglicus, ſeu *Britannicus Sudor*, vid. *Sudor Anglicus*.

Animi Securitas, apud *Celſum*, et alios quid? 98. non debet mutari in ſeveritas, ibidem.

Anſerum plumae Lectis inſtratae, ſanis ſaepe nocent, aegris vero pleriſque tanto magis 29 ſqq. vid. infra *Plumae Anſerum*: *Chenoplumata* ſcite ac nove eas vocat *Chryſoſtomus*, 32. de illis elegans *Plinii* locus 33. calculoſis minus conveniunt iuxta *Alex. Trall.* 29. 162 ſeqq.

Ἀπερίςατον, quid? oppoſitum τῷ εὐπεριςάτῳ, 262 ſeqq.

Apocalypſeos locus, cap. 11. 22. de Lecto calamitoſo et moleſto, explicatus, 21

Apoximeron, vox monſtroſa apud Gariopont. emendat. 71

Appropriatio Ciborum, apud *Coel. Aurelian.* quid? 127

Archigenes, apud *Oribaſ.* in collect. Chirurg. Vett. *Nicetae*, de cubiculo et Diaeta eorum, quibus vanae et vagae carnis copia, praeſertim poſt capitis vulnera, excreſcit 252 ſqq.

Arena, fervefacta olim Hydropici obruebantur 147 ſqq. et alii aegri 159 ſqq.

Aretaeus, emendat. 106. explicat 261

Ariſtidis, Rhet. aſthmatici, ſitus in Lecto erectus 53

Arotheus, vox monſtroſa et inaudita apud *Papiam*, et *Cangium* probabili ratione explicata 39

Arthriticis et podagricis caprarum fimus conducere credebatur olim 160

Aſpaſia, celebris olim foemina medica, artis inprimis obſtetriciae peritisſima 196

Aurelianus Coel. ſcatet adhuc innumeris fere mendis, et nuper ſic cum omnibus illis, bis male editus 51. et paſſim in ſeqq. Hippocratem maligne et immerito reprehendit in Cura Opiſthotonicorum 55 ſqq. Emendatus 50. 51. 74. 81 ſq. 88. 89. 94. 126. 127 ſqq. 254 et 268

Aurum, materiasque inauratas, ictericorum conſpectui aſſidue expoſitas ipſum icterum tollere poſſe olim credebatur, 132 ſqq. per illud et Bilis indicatur 134 ſq.

Auſteritas Lucis, Colorum ac Gemmarum, apud *Coelium Aurel.* et *Plin.* quid? 89. apud utrumque autem aliquoties male mutatum in *Auctoritas* deprehenditur, ibid.

B.

B, et *P*, ſeu *Ph*, Hebraei frequentiſſime inter ſe, permutare ſolent, quod multis exemplis oſtenditur 236

Barthius, Caſp. male emendat. Macrobium, loco quodam 78. *Demoſthenem*, Veterem Med. ocularium celeb. male pro nomine ficto, ab otioſo monacho excogitato habet, hinc a Reineſio notatus 182

Baſilicum, etiam Tetrapharmacum dictum 169 ſqq.

Bathron, ſeu Bathrion, *Hippocratis*, vid. *Scamnum Hippocratis.*

Bilis ſymbolice et aenigmatice, propter aureum nempe colorem, per Aurum indicatur, ab Artemidoro, et ipſo Salomone, in Coheleth, 134. 135

Bohnius, *Io.* laudat. lepidam narrat Hiſtoriam de Gallo quodam per Germaniam peregrinante, atque ibi Lectos plumeis culcitis turgentibus inſtructos, cum ſui metu et horrore, conſpiciente 33 ſqq.

Borſius, Ferrar. dux, pertinaci alvi obſtructione diu laborans, ex *Savanarolae* ille conſilio, pedibus nudis, in ſolo gelido lapideo, aqua frigida perfuſo, ambulando, facile curatur, et ad ſellam urgetur 180

Boum et aliorum Brutorum ſtercora exterius calidiſſime applicata, in hydropc

hydrope, podagra aliisque morbis chronicis pertinacibus plurimum prodeſſe, a priſcis Medicis traditum eſt 152 ſq. 160 ſqq.

C.

Calculoſi vitare debent culcitas plumeas, praeſertim de plumis anſerinis, ex *Alexandri Tralliani* et aliorum conſilio 29. et 162 ſq.

Caligula, noctu, ſaepe Epialo, ſeu Ephialte, oppreſſus, teſte *Suetonio*, 85 ſq. vid. infra *Epialus*.

Canis, ab eo ſordidum proverbium, de lippientibus 185. ſqq.

Caprinae pelles, ſubſtratae, nihil nocent Epilepticis 90. caprina ſtercora podagricis et arthriticis exterius calide impoſita, plurimum prodeſſe creduntur 160 ſq. ſed anceps eſt remedium 161

Caſaubonus, Iſaac. integrum iuſtumque commentarium de *Lectis* Veterum, bis promiſit, ſed non promſit aut publicavit, pag. 9. confundit nonnihil priapiſmum et Satyriaſin 59

Celſus, *Corn.* emend. 131

Chenoplumata, apud *Io. Chryſoſt.* nova vocis compoſitione de mollibus Anſerum plumis 32. vid. ſupra *Anſerum plumae*.

Cholerici tractandi, ut Cardiaci 49 ſq.

Cholereuca, vox monſtroſa, apud *Coel. Aurelian.* pro *cholera ſicca*, ex ipſo Hippocr. 50 ſqq.

Ciceronis, locus eximius Lib. II. de orator. emendat. 135. ſqq.

Clericus, Io. v. c. locum illum difficilem et ambiguum *Exod.* I, 16. de *Haaſnajim*, nove quidem, ſed non probe, nec probabiliter feliciterque explicat de *flexis genibus puerperarum*, ſine ulla auctoritate, ſive ullo S. Cod. exemplo, quod ſolide oſtenditur 231 ſq. 234. in extrema ſua ſenectute memoriam prorſus perdidit, quod ipſe Autor ipſius olim amicus, dolens, vidit, ibidem.

Clinica Ars, ſeu Lectualis, quam primus inſtituiſſe dicitur a Plinio, *Hippocrates*, 16. inde illa pro ipſa morborum diverſitate, diverſos quoque Lectos, ſaepius ordinavit et praeſcripſit 17 ſq. et per totum opus. Inde Medici poſtea vocati *Clinici*, item et ipſi *aegroti*, generatim, ſpeciatim autem *chriſtiani*, metu imminentis mortis, in Lectis baptizati, aut ſuperfuſi 18 ſq.

Conringius, *Herman.* laudat. uſum culcitarum plumearum maximam partem, reiicit 30

Contactus et *Cantus*, male confuſ. apud *Ciceron.* Lib. II. de orat. quod multis oſtenditur. 136. 137. legendum nempe eſſe ſibi *Contactum*, ſeu *Tactum*, non *Cantum*.

Coqui et Medici, ſibi contrarii, diverſam plane diaetam ordinantes 10

Cornua uteri, quid? et an recte ſic dicantur? 226

Cornutus collegae ſuo *Plinio*, lippienti,

enti, ſalutaria dedit conſilia, quae ille cum ſucceſſu ſequutus 184

Corpulenti et obeſi, ut gracileſcant, humi noctu cubare debent in ſtrato duro et frigido 267 ſq.

Corpus humanum eiusque circumiectae carnes, venae ac membranae, elegantiſſima metaphora, a ſcriptoribus ſacris ac profanis vocantur, *Veſtimenta, velamenta, indumenta,* et *involucra,* quod multis exemplis ex utriusque generis, et diverſi ordinis, pretii ac faſtigii Auctoribus illis, docetur 263. 264. otioſum ac opime ſaginatum ab affluente aſſidue et preſſius circumſtante ſucco nutritio facillime augeſcit, craſſeſcit ac pingueſcit, ut ad omnes actiones iners, pigrum, et ineptum reddatur 253 ſq. et 259 ſq. usque ad pag. 266.

Criticorum nonnullorum nimia audacia ac praecipitantia in Vett. Auctorum locis temere nimisque calide emendandis, ſingulari magni Reineſii exemplo, modeſte et amice redarguitur 82 ſqq.

D.

Demoſthenes, Celeb. olim Medicus Ocularius, *Aetio* et aliis, ſaepe commemoratus, hinc male a *Caſp. Barthio,* pro mero otioſi Monachi figmento, habitus, 182. corruptus quidam ipſius Demoſthenis locus apud *Aetium,* emendatus, ibidem.

Dolores oculorum formoſae foeminae Perſarum et Macedonum olim venuſte et acute dictae 188

Dyſenteriae ac Teneſmi curatio ac mitigatio per *Lemniſcum,* ſeu *Penicillum, Tetrapharmaco,* ſeu *Baſilico,* cum oleo plumbato, ano inditum facta, ex conſilio *Alex. Tralliani, Theodori Priſciani* et *Aeſculapii* ſic dicti 166 ſq.

E.

Ephialtes, Iucubus, et pnigalion, item et Epialus et *Epopheles,* ſeu *utilis* a *Coel. Aureliano* dictus, gravis, terribilis et ſaepe periculoſus et funeſtus affectus, de quo multa 97. ſqq. cur autem *Epopheles,* ſeu *utilis,* vocetur, clare oſtenditur contra *Reineſium,* ex *Artemidoro,* 81 ſqq.

Epialus et quandam febris ſpeciem denotat, et ſimul quoque ipſum Ephialten, ſeu Incubonem 81. et 86. quae ipſa vox *Epialus,* reſtituenda videtur *Suetonio,* in Caligula, ubi male vulgo hodie legitur *Pelagus,* ſeu *Pelagi ſpeciem,* 85 ſqq. namque ibi de ipſo Ephialte ſermonem eſſe, ex ipſis verbis probabiliter colligi ac concludi poteſt, ibidem, et 86

Epilepticis pelles caprinas ſubſtratas nocere, olim creditum, ſed merito refutatum ab *Hippocrate* ipſo, et aliis 90 ſqq.

'Ευπε-

Ἐυπερίςατος ὄγκος, *Hebr.* XII. de quo tot inanes fere lites, eſt ſuperflua carnis inertis et pinguedinis tumidae moles, quae corpus ſaginatum et otioſum facile circumſtat et cingit 255 ſq.

Ἔυτροχος, *bene rotatus,* rotundus, eleganter dicitur de ſermone opportuno, acuto et promto, ut *Verbum iuxta Rotas,* dictum apud *Salom.* 235

Exodi, Cap. I, v. 16. locus difficillimus hactenus, de Obſtetricibus Hebr. earumque apud parturientes foeminas adhibitis *Haafnajim,* fuſius et explicatius diſſeritur; tandemque multis rationibus et argumentis forte ſat liquido oſtenditur vocem illam bis tantum in toto Cod. ſacro obviam, nempe hic *Exod.* et *Ierem.* XVIII, 3. ſignificare, priore loco, *ſellas obſtetricias rotundas, ac foramine amplo lunato excavatas,* poſteriore autem *Rotam* ſeu *orbem figularem,* vel et ipſe figuli ſellam pariter orbiculatam. 244 ſq. 239 ſq. uſque ad pag. 244. ubi inprimis contra *Io. Clericum,* diſputatur, qui illud *Haafnajim,* per *genua* explicabat, coniectura nullis genibus innixa.

F.

Farina oryzae ſtrato indita, confert ad exſiccandas ruptas variolas 177

Fauſtinae puerperium in Numo Antonin. pii exhibitum 222

Febris Tertiana, pulegii ramo aegroti ſtragulis ſubiecto, curata fuit olim a *Xenocrate,* ſi fama quidem aut fabula vera 143

Fertorius Lectus, qualis? utilis paralyticis, reſolutis, pſoadicis, iſchiadicis, aliisque 40 ſq. 158 ſq.

Ficter, pro ano, aut ipſius orificio, vox monſtroſa apud Gariopontum et Cangium, videtur pro *Sphincter,* male poſita 199. ſolet enim iſte Gariopontus ubique fere voces graecas mire miſereque corrumpere, quod multis exemplis oſtenditur 200

Figulorum Rota antiquiſſima 232. ſqq. inde non genibus inflexis incumbentes opus perficiebant, contr. *Clericum* 231

Fimus boum et aliorum animalium, in hydrope et aliis morbis chronicis, olim frequenter adhibitus 151 ſqq. 155 ſqq. 160 ſqq.

Florum, frondium et herbarum refrigerantium per cubicula aegrotorum ſparſiones, cum aquae gelidae aſperſione, ſaepe admodum utiles 48. 76. 96. 99. 100. 105 ſqq. 107. 114. 115 ſqq. 144. 145 ſqq. 147. et paſſim in ſqq.

Foetus, in utero materno per quandam ſanguinis nutritii, pinguis et ſuccoſi, περίςασιν, ſive *circumſtantiam* et circumpoſitionem ut et adglutinationem, et appropriationem potiſſimum alitur, augeſcit, carneſcit et pingueſcit, ex ipſius *Hippocrat.* aliorumque Veterum Medicorum et philoſophorum mente 259 ſqq. a

tre editus, in Terram vel Sellam prolapſus 218 ſq. 221 ſq.
Fonſeca, Roder. plumarum uſum in Lectis, prorſus damnat, ceu noxium 30
Forſterus, Io. profeſſor olim Acad. *Witteberg.* Linguar. Orient. celeb. magni quondam *Reuchlini* diſcipulus omnibus aliis ab ipſo merito praelatus, locum illum obſcuriſſimum, *Exod.* I, 16. de *Haaſnajim,* ſeu ſellis parturientium rotundis et perforatis, doctiſſime et veriſimillime in plerisque explicat 237. item *Pagninus* 238
Frigida Nervis et Vulneribus ulceribusque inimica 175 ſq.
Fullerus, Nicol. locum illum dubium, *Exod.* I. 16. pariter ſcite et probabiliter expoſuit 235. quanquam paullo preſſius et liberius ſequutus fuiſſe videatur *Forſterum* noſtrum ſuper laudatum, et *Pagninum* atque *Mercerum* 235 ſqq. 238

G.

Galenus, inſtratis Roſis, pollutiones nocturnas feliciter cohibet 96. non ſatis feliciter emendaſſe videtur *Hippocratem* 103. Methodum praeſcribit iugulum fractum, aut luxatum, ſeu claviculam, apte et tuto reponendi 249 ſq. ipſe violentam claviculae incurvationem in palaeſtra paſſus, oleo calido per totum corpus perpetuo madefactus, ſeſe curat 251 ſq.
Galli, notante *Appiano,* ex nimia voracitate et bibacitate, pingues nimis ac carnoſi facti, poſtea ad omnes actiones, curſus et expeditiones, plane inepti, inertes et inhabiles 261 ſq.
Galilaei Lecti, qui et unde dicti? 3
Gallus quidam, in Germania Lectos multis culcitis plumeis inſtratos, videns, ridicule putabat homines ſic hominibus ibi imponi, interiectis pulvinaribus; hincque anxie rogabat hoſpitem, ut ſibi imponeret hominem gracilem potius, et parvum, quam magnum et obeſum, ne forte ſuffocaretur 33 ſq.
Gargathus, Girgathus, aut Gyrgathus, Lectus mobilis, penſilis ac portatilis, quo paralytici inprimis, atque alii aegri viribus defecti, in balnea et alia loca, item ad Medicos deportabantur, ut vel ex ipſo *Nov. Teſt.* patet p. 41. 42 ſq. conf. et p. 116. 117.
Gariopontus, emendat. 71. 100. 103. 200. ubi perperam ſcripſit pedaſina, pro Thapſia, fruſtra illud defendente magno Reineſio, nam in vocibus graecis ſcribendis et pronunciandis, perpetuo fere graviſſime peccat, quod ibidem pluribus exemplis liquido oſtenditur.
Genibus innixae, non ſemper pariunt gravidae, ut putabat *Io. Clericus,* ſed aliis quoque diverſis modis, ac corporis motibus, inclinationibus ac figuris 231. 234

Genua nunquam ſignificari poſſunt per dualem illum *Haafnajim, Exod.* I, 16. ut putabat quidem *Io. Clericus:* quoniam nullum plane iſtius novae explicationis exemplum alicubi reperiri poteſt 231 ſq.

Germanica Lingua permultas habet voces, Hebraicas ſibi ſenſim illatas et temporis proceſſu, admixtas, quod paucis tantum oſtenditur 234

Graciles qui fieri volunt ex obeſis et corpulentis humi et in duro frigidoque ſolo, praeſertim dormire debent, ex *Hippocratis, Celſi,* et aliorum conſilio 267 ſq.

Gyrgathus, vid. ſupra Gargathus.

H.

Haafnajim, vox Hebr. dual. numeri bis tantum in S. Cod. occurrens, ſcil. *Exod.* I, 16. et *Ierem.* XVIII. 3. Veteres novosque Interpretes vehementer hactenus exercuit, ut in diverſas plane ſententias diſcederent 224 ſq. ex quibus tamen illi maiorem aſſenſum mereri videntur, qui in priore *Exod.* loco, Sellas rotundas ac perforatas obſtetricias intelligunt; in altero vero *Ierem.* XVIII. 3. Rotas figulares vel etiam figuli ſellas rotundas a Rota enim, ſive forma orbiculata vox iſta *Haafnajim,* magna probabilitate, deducenda videtur 235 ſq. 239. 242 ſq.

Hebraeos ad *Ep.* locus XII. de ὄγκω εὐπερίςατω, fuſe explicatus et illuſtratus 255 ſq. 258 ſq.

Heraclitus, hydropem ſuum fervefactis arenis et ſtercore bubulo ſole calefacto, curaturus, miſere periit. 153

Herodotus, tentatus 109

Heſychius, emendat. 265

Hippocrates, Artem clinicam primus inſtituiſſe dicitur 16. inde primus de ordinandis diverſis Lectis in diverſis Morbis, praecepta dedit ſaluberrima 17. et paſſim in ſeqq. immerito reprehenditur a *Coel. Aureliano,* in Curatione opiſthotonicorum 55 ſq. pelles caprinas Epilepticis ſubſtratas, nihil nocere docet 90. emendat. 103 ſq. 123. 191. 262. etc. Lectus ipſius ad partum difficilem, ſeu foetum mortuum excutiendum vel et ſecundas pertinacius adhaerentes pertrahendas 267 ſqq. 209 ſqq. Sellam obſtetriciam rotundam ac perforatam deſcribit et cum Laſano pariter perforato aptiſſime comparat 209. 210. 240. multum confert ad explicationem loci ſacri difficillimi, *Exod.* I, 16. de *ſellis perforatis obſtetriciis,* 239 ſq. Lecti ipſius chirurgici ad luxatos et fractos artus, reponendos et redintegrandos accommodati, 247. ſpeciatim ipſius *Scamnum,* ſic dictum, ſive et *Bathron,* 248 ſq. ipſius modus facilis elapſum humerum apte reducendi,

cendi, 250. Loca ipſius eximia, ad illuſtrandum Cap. XII. 1. *Epiſt.* ad *Hebr.* de ὄγκῳ εὐπεριςάτῳ, 259 ſq. et 262 ſqq. ſaluberrimum eius et prudentiſſimum Conſilium, in minuendo illo et tollendo tandem corporis nimium aucti et gravati, tumore, ſive ὄγκῳ εὐπεριςάτῳ, vel εὐπεριβεβλημένῳ, 266 ſqq.

Hydropici vel littoris Arenis ſole candente ignitis obruti, vel pellibus pariter ſole fervefactis involuti, vel denique ſtercore bubulo toti perliti et perlutati ſicque ſolis radiis flagrantiſſimis diutius expoſiti olim curabantur, ad ſudores ſcil. ſic potentiſſime proliciendos, de qua dura, dira, olida ſordidaque, nec tamen interdum plane inutili medendi methodo exactius tractatum 147 ſq. et 151 ſq. verum utraque illa violenta curatione incautius adhibita, miſere periit lacrymoſus ille philoſophus *Heraclitus* 153 ſq.

I.

Ictericos per continuum obiecti Auri et aliarum materiarum inauratarum, aureique coloris operimentornm, aſpectum, curari poſſe, olim creditum ac traditum fuit 132 ſq. de eo ipſius *Coel. Aureliani*, noſtrumque iudicium, ibidem.

Ieremiae, locus, XVIII. de *Haafnajim*, ſeu Rota Figuli, fuſe explicatur, contra *Clericum*, et alios, 231. et 233. ſimulque obiter obſervatur vocem German. *Hafen*, h. e. olla fictilis, et *Hafner*, id eſt Figulus, ab iſto Hebr. *Haafnajim*. probabiliter eſſe deducendam 233

Infantes ex utero, vel in Sellam perforatam obſtetriciam, vel in Terram prolapſi, vel ex more antiquo humi prius depoſiti; deinde de terra rurſus levati, reſumti, et ad educationem traditi 218 ſqq. unde locus Iuſtiniani Imp. de foetu in terram prolapſo, et mox mortuo, intelligendus, item et ambigua Hebraeorum ſententia, *de loco caſus Infantis*, explicanda videtur 219 ſq. 222

Iuſtinus Martyr, loco aliquo, de Paride, illo Helenae raptore, emendatus 19

Iuſtiniani Imp. Lex. 3. *Cod.* de *Poſthum. Hered. Inſtit.* de foetu in terram prolapſo, et ſtatim mortuo, explicatur 219. 221

K.

Καρωθεὶς et κεκαρωμένος, quid? explicat. 39. ubi ſimul quidam *Luciani* locus, in *Philopatr.* contra B. *Geſneri* ſententiam, rectius certiusque emendatur, ſed debita tam probo doctoque Viro cum modeſtia, 38

Kimchius, R. cum *Eliezere* R. et aliis Rabbinis locum illum difficillimum et obſcuriſſimum, *Exod.* I, 16. ubi vox illa ambigua *Haafnajim*, legitur,

tur, inepte et infeliciter plane explicat 225 ſq. oſtendente quoque praeter alios, *Nicol. Fullero,* 229 ſq. *Io.* tamen *Clericus,* Vir alias doctiſſimus, non meliorem, imo peiorem et multo duriorem et infeliciorem illius loci ardui explicationem attulit, quae ſolide confutatur 231 ſq. Idem *Kimchius,* cum R. *Salomone, Abarbanele, Paraphraſte Chald.* et aliis vocem Hebraeam *Maſchber,* haud commode apteque reddidit per *Sellam parturientium,* quum interpretari potius debuiſſet, per *Matricem,* aut *Os Matricis,* ut ex allegatis S. S. locis, *Ieſ.* 27. 3. *Hoſ.* XIII, 13. et aliis clariſſime patet 242

L.

Laſanum, quid? 209. ipſi propter foramen amplum rotundum, Sellam obſtetriciam aptiſſime comparat *Hippocrates* 240

Lecti, eorum origo, neceſſitas, utilitas ſimplicitas, vilitas, varietas, luxus, ornatus, forma, ſtructura, materia, varii uſus et abuſus, variaque inde nomina, et ſimilia plura a pag. 1. ſqq. usque ad pag. 7. Auctores varii qui de *Lectis* ſcripſere p. 7 ſqq. *Galilaei Lecti,* qui, et unde dicti? 3. item *punici,* ſeu *Carthaginenſes,* ibidem. *Tricliniares,* et Scriptores de eis 9. penſiles et agitabiles, in variis lentis morbis utiles, 40. *Maeevtici, Lochevtici, Lochiaei,* ſeu obſtetricii 203 ſqq. 211 ſqq. Inſtrumenta Belli et pacis, et rurſus pacis et Belli, inter altercantes et diffidentes coniuges. 2

Lecti Aegrotorum, multi variique, pro diverſa morborum variorum ratione, diverſe inſtructi et inſtrati, a priſcis Medicis perquam ſolicite ac diligenter obſervati et ordinati 11 ſqq. 15 ſqq. et 22 ſq. 26. per tot. ſed ab hodiernis, maximam partem, neglecti, aut parce tantum et obiter; a nonnullis commemorati 11 ſqq. Lecti phreniticorum. 35. Lethargicorum et caroticorum, 37 ſqq. Apoplecticorum et paralyticorum, 40 ſq. pleuriticorum, 43. peripnevmonicorum, 44. cardiacorum ſeu diaphoreticorum, 45. Cholericorum, 49. Synanchicorum, 51. Aſthmaticorum, et orthopnoicorum, 52. Tetanicorum et opiſthotonicorum, 54. ſqq. Hydrophoborum, 56. Iliacorum, 58. Rhevmaticorum et Catarrhoſorum 58. Entaticorum, Satyriacorum et priapiſmo tentatorum, 59 ſq. Gonorrhoea laborantium 61 ſq. Frigidorum et ad rem veneream impotentium, 70 ſq. Cephalalgicorum, 75. Scotomaticorum et vertiginoſorum, 77. Ephialticorum, 78 ſqq. 83. Epilepticorum, 88 ſq. Maniacorum, ſeu inſanorum 91. Aures dolentium, ſeu otalgicorum, 93. Sanguinem vomentium, aut aliis

aliis modis effundentium 94 ſeq. Thromboſi, ſeu mictu cruento vexatorum, 101. 164. foeminarum nimis menſtruatarum, 102. 189. Lipothymorum, aut Syncopticorum 104 ſq. phthiſicorum, 109 ſq. Syntecticorum, Hecticorum et Maraſmod. 113 ſq. cachecticorum et atrophicorum, 118. 119 ſq. Vomicoſorum et Empyicorum 122. Lipyricorum et Aſod. 124. Stomachicorum, 125 ſq. Hepaticorum ac ſplenicorum, 129. Ictericorum 130 ſq. Mutorum ex ebrietate, 142. Febre tertiana correptorum, 143. Synocho, Cavſo et Homotono decumbentium, 144 ſq. Febre calida bilioſa laborantium, 146. Hydropicorum, 147 ſq. Coeliacorum, 155. Colicorum, 157. Iſchiadicorum et Pſoadicorum, 158 Arthriticorum et podagricorum, 159 ſq. Calculoſorum 162. Nephriticorum, 163. Dyſentericorum et Teneſmo afflictorum, 165. Odoratum laeſum habentium, 174 Nevrotrotorum, 175. Linguam aridam et aſperam habentium, 176 Varioloſorum, 177. Nauſeantium, 179. alvo nimis adſtricta laborantium, 180. Lippientium et ophthalmicorum, 181 ſq. Foeminarum uteri ſuffocatione oppreſſarum 190 ſq. foedo uteri prolapſu gravatarum 192 ſq. eiusdem reclinatione, averſione, recurſu et inflammatione affectarum, 196. 197. Ani procidentia laborantium 198. parturientium, 201 ſq. partu difficili laborantium, 204. ad abortum aut foetum iam mortuum eximendum, apte reponendarum, 207 Luxatorum, aut oſſium fracturas perpeſſorum, 246. ſq. praeſertim Claviculae, vel iuguli, 249. ubi ſingulare eius rei exemplum de Galeno ipſo, 251 ſqq. ſupercreſcentem poſt vulnera, carnem fungoſam inanem et inutilem habentium, 252. Polyſarcorum, obeſorum et nimia carnis et pinguedinis mole onuſtorum, 253 ſq. et 266 ſq. Teterrima Phthiriaſi, ſeu morbo pediculari abominando correptorum et corruptorum 268. Lecti proinde ipſorum aegrotorum moleſtae poſſeſſiones et moeſtae manſiones, 20. ad cruciatus quoque ac tormenta adhibiti ab Agathocle, procruſte aliisque ſaeve tyrannis, 21. igniti quoque, ad ſanctos Martyres torquendos et uſtulandos. ibidem. *Orthocathenteni,* pro aſthmaticis, quales? 52 ſq. *Fertorius,* qualis? 158 ſq. Lecti et Sellae obſtetricum, promiſcuo olim in uſu, antiquiores tamen et frequentiores ſellae, quod copioſe oſtenditur 203 ſq. 209 ſq. 215 ſq. 225 ſq. 239 ſq. uſque ad p. 244.

Lemniſcus chirurgorum h. e. Linamentum, penicillum, Turunda, etc. de quo fuſe 167 ſq. 169

Lippien-

Lippientibus et inflammatis oculis obſcura ac tenebricoſa loca magis conducunt, quam lucida et ſplendida 182 ſq. quorſum et tecte taciteque quaſi reſpicere videtur obſcoenum quoddam de canis camera obſcura, proverbium Graecorum 185 ſq ſed iſtam lippientitium neceſſitatem ac conſuetudinem melius et elegantius ad ſenſum ethicum, politicum ac theologicum traducunt Auctores graeci ſacri et profani 168 ſq.

Luciani Philopatris loco aliquo inſigni contra b. *Geſneri* ſententiam rectius emendat. et explicat. 38 ſq.

Lupi pellis, in colica prodeſſe dicitur 157. vid. inf. *Pellis*.

M.

Macrobius, aut *Publ. Syrus*, apud ipſum emendat. 150

Magius, Hieron. felicior ſtupenda memoria, quam Vita ac fato et morte, de *Equuleo* et *Tintinnabulis*, in foedo carcere, doctiſſime ſcripſit ſine ullis Libris, ſola divina paene memoria feliciſſime adiutus, ut notum 248

Malfactiones, apud Gariopont. quid? 104

Matthaeus Silvaticus, pandectarius, emend. 53

Maſber, vox Hebr. os potius Matricis, quam parturientium ſellam ſignificat, ut clare contra Rabbinos quosdam oſtenditur 242 ſq.

Maximus Tyrius, duas diuerſas ſui operis editiones dedit 173

Mead, Richard, Med. ill. Amicus Auctoris ſummus 173

Medici et coqui ſibi prorſus contrarii in diaeta 10. nonnulli iſtorum Med. boum aliorumque animalium ſtercoribus exterius admotis, curabant olim hydropem, podagram, arthritidem aliosque morbos chronicos. 151 ſq. 154. partim inde laudati a *Galeno, Aetio* et al. 152. vix tamen laudandi 155

Medicus quidam *Zwickavienſis*, hodie nomine incognitus, ann. 1529. ſua prudentia et ſolertia, ſolus ſervavit innumeros paene cives, quum ibi antea, *Sudor*, ſic dictus *Anglicus*, perquam ingentem per urbem ſtragem edidiſſet, dum aegri per integras 24 horas, ſtragulis paene ſuffocati, ſine omni potu, aere et motu, ſudare, crudeliſſime cogerentur: donec ipſam animam exſudarent. 27 ſq. Conf. inf. *Zwickavia*.

Medicina nova aeſthetica, blanda et vix ſenſibilis, per fuſtes, alapas, flagella et ſclopeta curandi cum aliis eiusmodi novis nugis, per iocum, relata, 113

Melior et *Maior*, frequenter confunduntur in Vett. Codd. Mſt. quod oſtenditur 57

Mortuis debebat concolor fieri philoſophus Zeno, ſi optime vivere vellet, ex veteri oraculo, quomodo illud intelligendum? 140 ſq.

Mortuo-

Mortuorum et Eruditorum pallor. prov. 141
Morus, Alexander, locum illum ſacrum, *Hebr.* XII, 1. de εὐπερισάτῳ ἁμαρτίᾳ, male explicat *de peccato fragili*, ſive, quod facile frangi ac repelli poſſit: quod contra ipſius peccati indolem ac naturam, ceu notum. Sed male inductus hic fuit per veterem illam iſtius loci verſionem Latinam, ubi vulgo legitur *deponere peccatum fragile*, quod vitioſe ibi poſitum, pro *facile*, ſic enim illud εὐπερίςατον, ſcil. per εὔκολον, ſeu *facile*, exponunt *Heſychius*, *Suidas*, *Phavorinus* et alii 264 ſq.
Moſchion, Medicus obſtetricius celeb. emendat. 190. 212
Myropolium, elégantiſſima ab illo allegoria ad res doctas et morales, a *Cicerone*, *Seneca*; *Macario* et aliis acutiſſime traducta 139 ſq.

N.

Natu et *Natatu*, male confuſa in *Scribonio Largo*, inde emendando 57
Nervis ſauciatis molliſſimus Lectus convenit 175. illis aer frigidus nocet: ibidem. item vulneribus et ulceribus 176
Novi Teſtamenti paralyticus, ad Servatorem Lecto penſili ac portatili delatus, et per Tectum detectum demiſſus, ac coram ipſe poſitus, accurate ex Medicis Vett. explicatur 41 ſq. vid. et pag. 117.
Nudis pedibus per ſolum gelidum, durum, lapideum, et frigidiſſima inſuper aqua large inundatum, deambulatio aliquandiu patienter facta, pertinaciſſimam alvi obſtructionem ſua ſponte ſolvit, quod ipſum inſigni cum levamine, in tali caſu, ex ſalubri *Savonarolae*, Medici Cl. Conſilio, expertus *Borſius*, dux Ferrarienſ. qui proin Medicum iſtum opulento et luculento munere merito digneque ditavit 180 ſq.
Nummus Imp. *Antonini Pii*, ſingularis, exhibens puerperium *Fauſtinae*, in ſella obſtetricia, ſeminudo corpore, adhuc ſedentis, edito iam et faſciato foetu, explicatus, 222
Nutritio corporum, per quandam quaſi ipſius ſucci nutritii περίςασιν ſive *circumſtantiam*, circumiectionem, ac circumpoſitionem, adglutinationem et appropriationem, potiſſimum fieri, unanimis fere ipſius *Hippocratis*, *Galeni*, *Ariſtotelis*, et aliorum fuit ſententia, quod late oſtenditur 259 ſq. ſimulque opportune adhibetur ad veram forte explicationem τȣ͂ ὄγκȣ εὐπεριςάτȣ. *Hebr.* XII, 1. de quo tot inanes hactenus lites 255 ſq. 259

O.

Obeſi humi cubare debent in ſolo duro et frigido 267 ſqq.

Obſcura loca lippientibus oculis magis conveniunt, quam lucida 182 ſq.
Obſtetricum Sellae antiquiores Lectis, quod ex ſacro Cod. ipſo et profanis Auctoribus fuſe et ſolide probatur 214 ſq. 223 ſq. 239 ſq. earum forma rotunda et amplo foramine lunato excavata 221 ſqq. 239 ſqq. uſque ad 244.
Obſtructio alvi pertinax, ſolvitur per ambulationem in ſolo gelido lapideo, nudis pedibus factam 180
Oculorum dolores pulchrae foeminae olim dictae 188
Ὄγκος εὐπερίςατος, *Hebr.* XII, 1. de circumſtante et amplectente, corpus carnea mole 258 ſq.
Oleum plumbatum apud *Alex. Trall.* et alios Med. Vett. quid et quomodo parandum? 170
Onirogmon et Onirogonon confundit Coel. Aurel. 61
Oraculum ambiguum *Zenoni* olim datum, quod Mortuis concolor fieri deberet, ſi optime vivere vellet, quod de aſſidua Veterum Auctorum lectione intelligendum 140
Oribaſius, varia eius chirurgica a *Niceta* collecta et a Cl. *Cocchio* nuper edita, recenſentur 249 ſq.
Ὁρμαὶ πρὸς ἀφροδίσια, apud *Hippocratem*, quid? 103
Orthocathemenus, Lectus pro Aſthmaticis, et aliis aegrotis aegre ſpirantibus, qualis? 52 ſqq. in ea voce *Matthaeus Silvat.* emendat. 53. Talis Lectus *Ariſtidis*, oratoris, ibid.
Oryzae et Ervi farina ſtrato indita exſiccat ruptas variolas 177

P.

Pallor doctorum et mortuorum, prov. 141
Paralyticorum Lectus penſilis, mobilis et portatilis quali et paralyticus ille N. T. ad Chriſtum portabatur et per Tectum detectum demittebatur 41 ſq. Lectus ille vocabatur Gyrgathus, aut Gargathus 42 ſqq. 117
Pedaſina, vox monſtroſa et paene aſinina apud *Gariopontum,* forſan, ut probabiliter videtur, pro *Thapſia,* poſita; atque male hinc defenſa, et peius explicata a magno *Reineſio* 200
Pelagi Species, apud *Sueton.* in *Caligula,* quid? 85 ſq.
Περίςασις, περιίςαθαι, et περίςατον, de ipſius corporis nutritione, per quandam quaſi ipſius ſucci nutritii περίςασιν, ſeu circumſtantiam, vel circumpoſitionem, ſenſim facta; inde ergo locus ille controverſus, *Hebr.* XII, 1. de ὄγκῳ εὐπεριςάτῳ, admodum probabiliter videtur explicandus 256 ſq. 259 ſq.
Pelles ſole fervefactae, exterius applicatae, hydropicis multum prodeſſe creduntur 147 ſq. lupinae praeſertim in affectu colico, ventri impoſitae, utiles cenſentur 157
Petronis, antiqui Medici, Methodus perverſa, in tractandis febricitantibus

bus, multis ſtragulis coopertis, et poſt ingentem calorem, ſitimque excitatam aqua frigida large potatis, carneque aſſata ſuilla bene paſtis merito reprehenditur ac deridetur 23

Pharnuchis, apud *Herodot.* triſte fatum 109

Philopatris Luciani, contra B. *Geſneri* ſententiam, rectius emendat. et explicat. 38 ſq.

Phlyctaenae generatim vocantur variolae 177

Piſo, *Nicol.* egregio ſuo de cognoſcend. et curand. Morb. operi integras ſaepe paginas totasque longas periodos ex priſcis Medicis Graec. et Lat. intertexit, nec tamen illos nominat, nec locos ipſos indicat, exemplo haud imitabili 14. 35. 46 ſq. 62. 73. 93. 102 ſq.

Plinii iun. locus elegans de lippitudine ſua explicat. et illuſtrat. 184

Plumae Anſerum et aliorum alitum nec ſanis ſemper proſunt, multo minus vero conveniunt aegrotis plerisque, ut calculoſis, cardiacis, nephriticis, Onirocticis ut et aliis; unde earum uſus nimius merito damnatur a *Clement. Alex. Alex. Trall. Io. Chryſoſt. Coel. Aurelian.* et aliis, item *Conringio*, aliisque 29 ſqq. 32. 33. 162 ſq.

Podagra et Arthritis fervida arena et fimo caprino curari creditur 160 ſq.

Polyſarcia, ſeu Obeſitas, aut corpulentia nimia, Cachexia potius eſt ac Morbus, quam Evexia, oritur enim plerumque ex nimio otio, nimiaque ſagina, unde pigreſcunt et pingueſcunt corpora, ut prorſus ad actiones inepta et inertia fiant, quod multis, ex *Coel. Aureliano, Seneca, Hippocr.* et aliis docetur 233 ſqq. *Hippocratis* ipſius propoſita ſapienter methodus, polyſarciam illam ſenſim imminuendi Carnemque iſtam ſuperfluam, moleſtam, ſuſpectam ac periculoſam arcendi ac reſcindendi, proponitur et expenditur 266 ſq.

Porphyrii eximius locus, ad explicandum Cap. XII, 1. *Epiſt.* ad *Hebraeos.* 263

Porphyropola novus, de Cimicum ſanguine, ſacerdos quidam laudat 30

Priſcianus, Theodor. emendat. 73 ſq. inprimis 166 ſq. loco illo inſigni, de Embaſi aluminoſa dyſentericor. iam Tom. III. Opuſcul. pertractato et iterum 190. Binas diverſas plane ſui operis editiones olim evulgaſſe videtur, quod liquido oſtenditur 171 ſq.

Proverbium obſcoenum de cane, lippientibus applicatum et acclamatum, unde? 185 ſq. *Salomonis* explicat. 235

Pulegii ramo ſtragulis ſuppoſito, aut naribus aegri ipſius admoto, febrim tertianam curaſſe olim dicitur, vix creditur, *Xenocrates* 143

Punicani, ſeu punici Lecti, qui? 3
Purpura nova, ſplendida et ſuaveolens ſcil. paratur et exprimitur ex ſordidis foetidisque Cimicibus a ſacerdote quodam, vi ſcil. ſui officii ipſi impoſiti 30. ſed hoc obiter.
Puſtulae, ſeu *Phlyctaenae* dicuntur *Variolae* 177

Q.

Quercetanus, Ioſeph. de damnis ac periculis ex nimia corpulentia, aut obeſitate iuſte metuendis, atque inde, quantum pote, praecavendis et avertendis, docte et perite commentatus eſt 254

R.

Ramazzini, Bernard. prof. patav. Cl. dubitat, et inde quaerit, utrum olim apud obſtetrices ac parturientes, *Lecti,* an vero *Sellae,* frequentiore fuerint in uſu? Cui proin fuſe, late, diligenter et exacte oſtenditur, tam illos, quam has, pro neceſſitate, aut circumſtantiarum ratione diverſa, promiſcuo quidem fuiſſe in uſu: *Sellas* tamen ipſas longe antiquiores eſſe, 202 ſq.
Reineſius, Thom. bene emendat *Gariopontum,* 71. et 190. at male *Coelium Aurel.* in *Ephialte* 80 ſqq. peius quoque defendit iterum et explicat *Gariopontum,* in corruptiſſima ut videtur, voce *Pedaſina,* pro *Thapſia,* imperite inepteque ſcripta, 200
Rhodius, Io. pro *aere puro,* apud *Celſum,* haud ſatis bene, nec opportune, legebat *aerem parvum,* 44. Locum *Scribonii Largi,* de Hydrophobia, difficillimum haud feliciter explicat 57
Roſis ſubſtratis, nimium ſeminis profluvium nocturnum feliciter ſiſtit *Galenus,* 69
Rota figularis, cuius miniſterio, ollae aliaque vaſa parantur, antiquiſſimis iam temporibus, in uſu fuit, ut *Ierem.* XVIII, 3. item ex *Homero, Hippocrate,* et aliis multis, liquido oſtenditur, 232. 33. et inde merito ſolideque refellitur *Io. Clericus,* contrarium aſſerens, 31 ſeqq. Rota in verbis, apud *Salomon Prov.* XXI, 14. elegantiſſime dictum de ſermone opportuno, concinno, et promto, 235 ſq.
Rufus Epheſ. emendat. 164

S.

Savonarola, Med *Borſio,* duci Ferrar. alvo obſtructa laboranti ſuadet, ut pedibus nudis frigidum ſolum lapideum perambulet, unde alvus ſolvitur, et ipſe renumeratur 180
Sanguinis profluvium per intempeſtivam venerem facile excitatur in uteris praeſertim, laxa nimium et dilatata vaſa habentibus, teſte ipſo *Hippocrate* 103
Scamnum *Hippocratis,* ſive *Bathron,* aut *Bathrion,* ſic dictum, quid? et ad quosnam uſus Chirurgicos aptum

et commodum? 247 ſqq. vid. ſupra *Bathron Hippocratis.*

Scribonius Largus, loco difficili, de Hydrophobia, facile emendatur, 57

Securitas Animi, apud *Celſum*, explicatur, nec debet mutari in *Severitas* 98

Sellae obſtetricum antiquiores et frequentiores Lectis 202 ſq. 209 ſq., ipſarum forma rotunda et foramine lunato excavata 221 ſq. 239 ſq.

Siccitas quomodo facienda ex inundatione? per obſcurum ſatis aenigma, a Medicis rei ignaris, quaerebat philoſophus *Heraclitus*, tum hydropicus 153 ſq.

Silentium diuturnum maxime prodeſt ſanguinem ſpuentibus, aut vomentibus, quod praeter alios, ex utroque *Plinio* probatur 98 ſeqq. item lippientibus 182

Solinus binas diverſas plane ſui operis Editiones evulgavit 173

Solis Contactus, apud *Cic. Senec. Arnob. Coel. Aurel.* et alios, elegantiſſime dicitur 137 ſq.

Somnus placidus, bonum ſignum in morbis dicitur 143

Stercoribus hydropem aliosque morbos olim curabant Medici 151 ſq.

Sudor *Anglicus*, ſeu *Britannicus*, pernix ac perniocioſus lethalisque Morbus Anno 1529. 30. per Germaniam graſſatur, *Zwickaviae* praeſertim, ex perverſa per 24. horas, ſudores ciendi, methodo, ingentem civium numerum ſuſtulit 24. 25 ſq. ſcriptores potiores de iſto novo Morbo Britannico, recenſiti 27

Sudor hydropicis vi ſumma expreſſus per large iniectas litoris arenas ſole ignitas, vel per admotas corpori pelles eodem ſole fervefactas vel denique per ſtercus bubulum toti corpori undique craſſa copioſeque inunctum et iniunctum 147 ſq. 151 ſqq.

Sudore et ſiti olim paene enecabat ut febricitantes Medicus priſcus, *Petron*, vel *Petronas* 23. quem multi recentiorum, perperam ſequuti et imitati 24 ſqq.

Suetonius, in *Caligula*, tentatus, et emendat. 85. 86

Suidae Lexicon emendatum 141. 265 ubi et notatur.

Supinus corporis ſitus in paucis morbis prodeſt, in plurimis vero nocet, praeſertim onirogmo, priapiſmo, gonorrhoea, pollutione nocturna, et ſeminis abundantia, nimiaque libidine, item Ephialte, et aliis 61 ſq. 65. praeſertim p. 156 ubi plura loca citata

Syneſius ipſas variolas generali Nomine vocat *Phlyctaenas*, quum ſpecialius Graeci non haberent, quo Morbum varioloſum ipſis alias ſatis cognitum diſtincte et ſeparatim, ſpeciatimque exprimerent 178 ſq.

T. Tatius,

T.

Tatius, *Achilles*, binas diſcrepantes ſaepe a ſe invicem editiones ſui operis evulgavit, monſtrante Salmaſio 173

Teneſmi mitigatio per Lemniſcum Baſilico imbutum 166 ſq.

Terra foetus excipiebat de Matre cadentes, vel nati, ex veteri ritu, in Terram prius depoſiti, deinde rurſus levabantur et educabantur, ut notum 218 ſq. cubile illis, qui gracileſcere volunt 267 ſqq.

Tetrapharmacum, notum Ceratum ſeu Emplaſtrum, etiam Baſilicum dictum 169

Thapſia, pro ea abſone et ridicule, more ſolito, *Pedaſina* ſcripſiſſe videtur *Gariopontus*, fruſtra licet monſtrum illud vocis defendente et explicante *Reineſio* 200

Thermales Sellae, ad excipiendos corpore nudo, vapores calidos, ex profundo, ſurſum aſcendentes, Rotae in modum, vel Abſidis in ſpeciem efformatae, et foramine quaſi lunato excavatae, ex eleganti *Caſſiodori* deſcriptione 241

Topica, ſeu externa remedia, praeſertim humida, aut frigida, in podagra, arthritide, iſchiade etc. incautius adhibita, periculoſa ſunt et ſaepe funeſta 261

V. U.

Variolae, *Graecis* quidem *Medicis* ſat cognitae, ſed haud ſatis diſtincte et ſpeciatim deſcriptae: verum ſub generali tantum *phlyctaenarum* nomine, quum ſpecialius haud ſuppeteret, utcunque deſcriptae. Ab *Arabicis* contra *Medicis* poſtea accuratius, diſtinctius et exquiſitius deſcriptae et explicatae 178 ſq. earum vero inſitio dubia, incerta et noxia: ibidem. Ad easdem exſiccandas prodeſt farina oryzae et Ervi 177

Verbum dictum in Rotis ſuis, aut *ad Rotas ſuas,* elegantiſſime et acutiſſime dictum a *Salomone, Proverb.* XXI, 14. de ſermone opportuno, concinno, rotundo, ingenioſo et arguto, quod elegantiſſime pariter et frequentiſſime imitati ſunt Graeci et Latini Auctores, ut multis exemplis oſtenditur 335

Vitex, vulgo, ſed male, *Agnus Caſtus*, dicta (de quo ſupra ſub *Agnus Caſtus*,) ad vitandam libidinem, olim ſubſternebatur matronis caſta Theſmophoriorum ſacra caſte ſancteque celebraturis, de quo fuſe 67 ſqq. item et ſacerdotibus, et monachis denique, ad venerem arcendam ſcil. 69

Voglerus, Henr. plumarum anſerinarum uſum in Lectis conſuetum, non uſquequaque probat, ut et *Behrens*, *Fonſeca*, *Conringius* et alii 30

Vteri nimis laxi et vaſa ampla ac dilatata habentes, facillime ſtimulantur ad largum longumque ſanguinis por-

profluvium, per Veneris praeſertim uſum, intempeſtivius et iuſto frequentius adhibitum, iudice ipſo *Hippocrate*, cuius inſignis hac de re, locus emendatur et illuſtratur 103 ſq. eiusdem prolapſus fuſe deſcriptus ab Auctoribus priſcis, qui explicantur et partim emendantur praeſertim *Aegineta*, 192 ſq. et maxime 194 ſq. de multis aliis uteri affectibus periculoſis, vid. p. 196 ſqq. uteri cornua quid? et an recte ita dicantur? diſquiritur 226

X.

Xenocrates pulegii ramo, vel naribus admoto, vel ſtragulis aegri ſubiecto, febrem Tertianam curaſſe, dicitur 143

Z.

Zenoni philoſopho oraculum datum, *quod mortuis concolor fieri deberet, ſi optime vivere vellet*, quod de aſſidua Veterum Auctorum optimorum dudum mortuorum, lectione et applicatione intelligendum 140. 141

Zwickaviae Anno 1529. Sudor ſic dictus Angl. ſeu Britannicus ingentem civium copiam ex perverſa inprimis methodo medendi ſuſtulit, dum miſeri aegroti per integras 24. horas, clauſis feneſtris, ac denegato omni potu, ſudare cogerentur; donec unus Medicus, cuius tamen nomen male hodie ignoratur, methodum iſti contrariam prudenter introduceret, ſicque perquam multos feliciter ſervaret 26. 28. conf. ſupra *Medicus Zwickav.* ibidem tum ſudorem illum per 24 horas continuandum, edito Libello impenſe commendaverant *pharmacopola* quidam ut et *Typographus*: ſed uterque vix evulgato iſto libello encomiaſtico, protinus, illo ipſo 24 horarum ſudore, ſaluberrimo et beatiſſimo ſcilicet, (namque ad aeternam quietem illos deducebat) miſerrime periit 26

1:50